DOCTRINA,
ET POLITIA
ECCLESIAE ANGLI-
CANÆ, A BEATISSIMÆ
Memoriæ PRINCIPIBVS
EDOVARDO SEXTO, REGINA
ELIZABETHA STABILITÆ, ET A
Religiosissimo, & Potentissimo Monarcha IACOBO,
Magnæ Britan. &c. Rege continuatæ.

QVIBVS EIVSDEM ECCLESIÆ
Apologia præfigitur pro sua discessione in vtraque
à grauissimis Romanæ Ecclesiæ corruptelis, Tyrannide, Idololatria, Erroribus, & quod ad Concilium Tridentinum non accesserit.

Varia totius operis capita pagina quinta indicat.

LONDINI,
Apud IOANNEM BILLIVM. 1617.
Cum Priuilegio.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

Admonitio ad Lectorem.

OMnia *in quibus fideles intra Dei domum, Ecclesiam præcipuè versentur, ad ea quæ* credenda, *vel* agenda, *possunt reuocari. Et* credendorum *quædam est varietas, sicut & diuini verbi ex cuius vnius fonte vbertim hauriuntur. Etenim Dei verbum* [1] Lac & potum infantibus, cibum *adultioribus,* [2] solidum cibũ sensus habentibus exercitatos *abundè suppeditat. Et quemadmodum* credenda, *sic &* agenda, *in aliquo sunt discrimine. Sunt enim aut* [3] preces, *aut* [4] Sacramenta, *aut* Actio *quæ ad Sacramentorum naturam propè accedit, nempe* Ministrorum Ecclesiæ [5] ordinatio, *aut huius & illorum fructus & effectus, nimirum* [6] pietatis, temperantiæ, & iustitiæ *opera.*

1. Cor. 3. 2.
Heb. 5. 14.
1. Tim. 2. 1.
1. Cor. ca. 10. ca. 11.
1. Tim. 5. 22.
Titus 2. 11.

Huic tum credendorum *tum* agendorum

varietati doctrina & disciplina Ecclesiæ Anglicanæ sunt admodum accommodatæ. Catechetica *eius* doctrina magis succincta *est instar lactis, & potus pro infantibus*; Catechetica doctrina magis ampla *quasi cibus enutriendis adultioribus inseruiens*; Articuli Religionis *ad Diaconorum & Presbyterorum examen, sunt tanquam solidus cibus, quem sensus nacti exercitatos deglutiunt ac digerunt. Et perinde ampla est Anglicanæ Ecclesiæ* disciplina, *omnia intra Ecclesiæ ouile* agenda, *suo ambitu complectens. Nam quà* Liturgia *traditur, in publicis precibus effundendis, administrandis Sacramentis; quà explicatur libro* Sacrarum ordinationum, *in Ecclesiæ ministris vocandis; quà denique Ecclesiæ nostræ* Politia *exhibetur, in omnibus pietatis temperantiæ iustitiæ actionibus regendis norma est, & repagulum. Quamobrem cùm Anglicanæ ecclesiæ doctrina & disciplina tam plenè sint constitutæ, tam omnibus suis partibus & membris perfectæ: si his aliquando non acquiescimus, verè de nobis dici potest, nos potius* doctrinæ & disciplinæ, *quàm illos nobis defuisse.*

CA-

Capita Totius Operis.

1 Apologia Ecclesiæ Anglicanæ pro sua discessione in doctrina & disciplina, à grauissima Romanæ Ecclesiæ Idololatria, Tyrannide, Corruptelis, & Erroribus: & quòd ad Concilium Tridentinum non accesserit.

2 Doctrina Catechetica Ecclesiæ Anglicanæ magis succincta, qua iuuentus & plebs rudior, à parœciarum ministris, antequam confirmentur ab Episcopis, & Eucharistiæ Sacramentum percipiant, sunt imbuendæ, Symbolum Apostolicum, Decalogum, Orationem Dominicam, Doctrinam Sacramentorum complectens: cui formæ benedictionum ad mensam & precationum mane & vespere ab vnoquoq; in priuatis familiis dicendarum, publica authoritate editæ, subijciuntur.

3 Doctrina Catechetica magis ampla, quam Ecclesię Anglicanæ constitutionibus, omnes pædagogi ac ludi-magistri suos discipulos teneantur Latinè & Anglicè pro eorum captu edocere: cui subnectuntur matutinæ & vespertinæ precationes studiosis & scholis accommodatæ.

4 ECcleſiæ Anglicanæ doctrina, ad cuius Analogiam, omnes Diaconi & Presbyteri ab Epiſcopis ordinandi examinantur, diuiſa in 39. articulos, vnanimi conſenſu Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & vniuerſi cleri Anglicani, Anno 1562. approbatos, & regia authoritate ſtabilitos ad *Sabellianorum, Manichæorum, Arianorum, Tritheitarum, Macedonianorum, Ebionitarum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Nouatianorum, Donatiſtarum, Pelagianorum, Semipelagianorum, Pontificiorum, Seruetianorum, Anabaptiſtarum*, & reliquorum inſignium hæreticorum, hæreſes & errores condemnandos; tollendam opinionum diſſenſionem, & conſenſum in vera religione confirmandum. Præterea horum articulorum 35. in quo homiliæ publica authoritate in Eccleſia Anglicana prælectæ approbantur, earundem homiliarum enunciata didaſcalica ſubijciuntur.

5 LIber Precum Publicarum, adminiſtrationis Sacramentorum, aliorumque rituum & Ceremoniarum in Eccleſiâ Anglicanâ.

6 FOrma conſecrandi Archiepiſcopos & Epiſcopos, & ordinandi Presbyteros & Diaconos in Eccleſia Anglicana.

7 DIſciplina & Politia Eccleſiæ Anglicanæ, ad cuius calcem adijcitur Tabula graduum affinitatis & conſanguinitatis, intra quos non licet in hac Eccleſia matrimonium contrahere.

APO-

APOLOGIA
ECCLESIÆ ANGLICANÆ
PRO SVA DISCESSIONE IN doctrina & disciplina à grauissima Ecclesiæ Romanæ Idololatriæ tyrannide corruptelis & erroribus *& quòd ad Concilium Tridentinum* non accesserit.

Argumentum huius Apologiæ.

NOn esse nouum si hodie postliminio restituta & quasi renascens Religio Christiana contumelijs ac conuitiis accipiatur. Id enim ipsi Christo, Apostolis & primæuæ Ecclesiæ Christianis accidisse. Parag. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.

TAmen ne quis se istis aduersariorum nostrorum clamoribus abduci, & sibi imponi patiatur; exponit rationem vniuersam religionis nostræ: quid de Deo Patre, quid de eius vnico filio Iesu Christo, quid de Spiritu Sancto, quid de Ecclesia, quid de Sacramentis, quid de ministerio, quid de sacra Scriptura, quid de cæremoniis, quid de omni parte persuasionis Christianæ sentiamus. Par. 18 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44.

PRæterea nos, omnes antiquas hæreses quas aut sacrosanctæ Scripturæ aut vetera Concilia condemnárunt vt pestes & pernicies animorum detestari; & in fundamentis veræ religionis vnanimes consentire. Par. 45. 46. 47. 48 49. 50. 51.

NOs disciplinam Ecclesiasticam, quam Aduersarij nostri penitùs euerùrunt, quantum maximè possumus reuocare; & omnem vitæ licentiam & dissolutionem morum priscis & auitis legibus, & ea, qua par est quaque possumus, seueritate vindicare. Parag. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63.

REgnorum statum eo quo accepimus loco sine imminutione vlla aut mutatione retinere, & principibus nostris maiestatem quantam maximè

maximè possumus incolumem conseruare. Parag. 63.64.65.66.67.68.69.70.71.72.73.74.75.76.

AB illa Ecclesia quam illi speluncam latronum fecerant, & in qua nihil integrum aut Ecclesiæ simile reliquerant, quamque ipsi fatebantur multis in rebus errauisse, vt Lothum olim è Sodoma, aut Abrahamum è Caldæa non contentionis studio, sed Dei ipsius admonitu discessisse. Parag. 77.78 79.80.81.82.83.84.85.86.87.88.89.90.91.92.93.94.95.96.97.98.99.100.101.102.103.104.105.106.107.108.109.110,111.112.113.114 115.116.117.

EX sacris libris quos scimus non posse fallere, certam quandam religionis formam quæsiuisse, & ad veterum Patrum atque Apostolorum primitiuam Ecclesiam, hoc est ad primordia atque initia tanquam ad fontes redijsse. Parag. 118.119.120,121.122.

AVthoritatem in ea re aut consensum Concilii Tridentini, in quo videremus nihil rectè atque ordine geri, vbi ab omnibus in vnius nomen iuraretur, vbi legati principum nostrorum contemnerentur, vbi nemo nostrorum Theologorum audiretur, vbi apertè partibus atque ambitioni studeretur, non expectasse. Parag. 123.124.125.126.127.128.129.130.131.132.133.134.135.136.137.138.139.140.141.142.143.144.145.146.147.148.149.150.151.152.153.154.

SEd quod olim Sancti Patres quodque maiores nostri sæpe fecerunt, authoritate ciuilis magistratus atque prouinciali conuentu nostras Ecclesias restituisse. Episcopi vero Romani cui obstricti non eramus, quique nihil habeat nec Christi, nec Petri, nec Apostoli, nec omnino Episcopi simile, iugum & tyrannidem pro eo ac debuimus, excussisse. Parag.155.156.157.

POstremò nos inter nos de omnibus dogmatis & capitibus religionis Christianæ conuenire, & vno ore vnoque spiritu colere Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Parag.158.159.160.

Apo-

APOLOGIA ECCLESIÆ ANGLICANÆ.

VETVS illa est querela à primis vsq; Patriarcharum & Prophetarum ducta temporibus, & omnis memoriæ literis & testimonijs confirmata, veritatem in terris peregrinam agere, & inter ignotos facilè inimicos & calumniatores inuenire. Id etsi alijs fortasse incredibile videri possit, si qui sint, qui ista minùs attentè obseruauerint, præsertim cum hominum vniuersum genus ipso naturæ ductu, sine magistro, sua sponte sit appetens veritatis: & Christus ipse Seruator noster, cum inter homines versaretur, quasi nomine ad exprimendam omnem vim diuinam, aptissimè voluerit appellari *Veritas*. Nos tamen qui in sacris Scripturis versati sumus, quiq; legimus ac vidimus, quid omnibus pijs omnium ferè temporum, quid Prophetis, quid Apostolis, quid sanctis Martyribus, quid Christo ipsi acciderit, quibus illi probris, maledictis, contumelijs, cùm viuerent, veritatis vnius causâ vexati fuerint: videmus id non tantum non esse nouum aut incredibile, sed etiam receptum iam & omnibus temporibus vsitatum. Imò illud multò potiùs mirum atque incredibile videri posset, si pater mendaciorum atque hostis omnis veritatis Diabolus, nunc tandem repentè mutârit ingenium & speraret veritatem aliter, quam mentiendo posse opprimi, aut alijs nunc artibus, quàm quibus ab initio semper vsus est, inciperet regnum suum stabilire. Ex omni enim memoria vix vllum tempus inuenire possumus, vel crescentis, vel constitutæ, vel renascentis religionis, quo non veritas atque innocentia indignis modis ab hominibus, & contumelioßissimè acciperetur. Videt, scilicet diabolus, veritate incolumi, se incolumem esse, atq; sua tueri non posse.

Tertul. in Apologetico.

Ioan. 8.

2 Nam vt ne quid de veteribus Patriarchis ac Prophetis commemoremus, quorum, vti diximus, nulla pars ætatis fuit à contumelijs & probris libera, scimus fuisse olim quosdam qui dicerent, & publicè

 prædicarent,

Cornelius Tacitus. Tertul. in Apologet. cap. 7. C. Plinius.

prædicarent, veteres Iudæos, quos non dubitamus fuisse cultores vnius & veri Dei, numinis loco aut suem, aut asinum coluisse, & omnem illam religionem nihil aliud fuisse, quàm sacrilegium & contemptum omnium numinum. Scimus filium Dei & Seruatorem nostrum Iesum Christum, cum doceret veritatem, habitum fuisse pro præstigiatore, pro malefico, pro Samaritano, pro Beelzebub, pro seductore populi, pro homine bibulo & vorace. Et quis nescit, quæ dicta olim fuerint in acerrimum præconem, atq; assertorem veritatis Diuum Paulum: illum modò hominem seditiosum esse, militem conscribere, secessionem facere: modò esse hæreticum, modò insanire, modò contentionis atque animi causâ in legem Dei blasphemum esse, & patrum instituta contemnere? Quis nescit Diuum Stephanum statim, cum penitus intimis animi sensibus veritatem accepisset, & eam cœpisset liberè, sicut debuit, & fortiter prædicare, & præ se ferre, statim vocatum esse in iudicium capitis, quasi qui contumelias nefariè dixisset in legem, in Mosem, in Templum, in Deum? Aut quis nescit fuisse olim qui sacras Scripturas arguerent vanitatis, quòd in illis dicerent contraria & planè pugnantia contineri: & Apostolos Christi singulos inter se, Paulum verò ab omnibus dissensisse? Et ne longum sit omnia colligere, id enim esset infinitum, quis nescit, quæ olim conuitia iacta fuerint in patres nostros, qui primi cœperunt agnoscere, & profiteri nomen Christi: illos inter se conspirare, & occulta concilia inire contra Rempublicam, & eâ causâ antelucanis horis inter se in tenebris conuenire, occidere pueros infantes, explere se humanis carnibus, & ferali ritu bibere humanum sanguinem: postremò extinctis luminibus adulterium inter se & incestum promiscuè perpetrare, & fratres cum sororibus, filios cum matribus sine reuerentia sanguinis, sine pudore, sine discrimine concumbere homines impios, sine religione vlla, sine Deo: hostes humani generis, indignos luce, indignos vita?

Ioan. 7. 9, 10. Marc. 11.

Act 16. Epiphanius.

Marcion ex Tertulliano, Arius è Lactantio. Eusebius lib. 5. cap. 1. Tertullian. 3. Apologet 1. 2. 3. & 7. 8. 9.

3 Ista tum omnia dicebantur in populum Dei, in Christum Iesum, in Paulum, in Stephanum, in eos omnes, quicunq; primis temporibus amplexi sunt veritatem Euangelij, & se passi sunt odioso in vulgus nomine, appellari Christianos. Et quamuis ea non essent vera, id tamen Diabolus satis putabat sibi fore, si effecisset saltem, vt crederentur esse vera, vtque Christiani publico omnium odio laborarent, & ab omnibus ad exitium quærerentur. Itaque reges & principes huiusmodi tum persuasionibus inducti, occidêre Prophetas Dei ad vnum omnes: Esaiam ad serram: Hieremiam ad lapides: Danielem ad Leones: Amos ad vectem: Paulum ad gladium: Christum ad crucem: Christianos omnes ad carceres, ad equuleos, ad furcas, ad rupes, ad præcipitia, ad bestias, ad ignes condemnare; & rogos ingentes, ex illorum viuis corporibus, tantum ad vsum nocturni luminis, & ad ludi-

Tertul. in Apolog. cap. 3.

Sueton. Tranquil. in Nerone.

brium

brium inflammare: eoſque non alio loco numerare, quàm quo ſordes viliſſimas, & catharmata ac ludibria totius mundi: Sic videlicet ſemper accepti ſunt, auctores & profeſſores veritatis.

4 Quo nos animo æquiore ferre debemus, quicunque profeſſionem Euangelij Ieſu Chriſti ſuſcepimus, ſi in eadem cauſa, ad eundem tractemur modum, vtque olim patres noſtri, ita nos quoque hodie, nullo noſtro merito, tantum quia docemus & profitemur veritatem, conuitijs, contumelijs, mendacijs exagitamur. 1. Tim. 4.

5 Clamant hodie paſſim nos omnes eſſe hæreticos, diſceſſiſſe à fide, & nouis perſuaſionibus atque impijs dogmatis, Eccleſiæ conſenſum diſſipauiſſe: nos veteres & jam olim damnatas hæreſes ab inferis rediuiuas reſtituere, & nouas ſectas atque inauditos furores diſſeminare: jam etiam in contrarias factiones & ſententias diſtractos eſſe, nec vllo pacto potuiſſe vnquam inter nos ipſos conuenire: eſſe homines impios, & gigantum more, Deo ipſi bellum facere, & prorſus ſine omni numinis curâ, cultuque viuere: nos omnia recte facta deſpicere, non virtutis diſciplina vti vlla, non legibus, non moribus, non fas, non ius, non æquum, non rectum colere: ad omnia flagitia laxare frænа, & populum ad omne genus licentiæ atque libidinis prouocare: nos id agere & quærere, vt Monarchiæ & regnorum ſtatus euertantur, & omnia ad popularem temeritatem, & imperitæ multitudinis dominationem redigantur: nos ab Eccleſia Catholica tumultuoſè deceſſiſſe, & nefario ſchiſmate orbem terrarum concuſſiſſe, & pacem communem, atq; otium Eccleſiæ publicum conturbaſſe: vtq; olim Dathan & Abiron ab Aarone & Moſe, ita nos hodie à Romano Pontifice, ſine vlla ſatis iuſta cauſa ſeceſſionem feciſſe: Priſcorum Patrum & veterum Conciliorum auctoritatem pro nihilo putare: cæremonias antiquas à Patribus & proauis noſtris multis iam ſeculis, bonis moribus, & melioribus temporibus approbatas, temerè & inſolenter abrogaſſe, & noſtra tantum priuata auctoritate, iniuſſu ſacri & Oecumenici Concilij, nouos in Eccleſiam ritus inuexiſſe: atq; iſta nos omnia non religionis cauſâ, ſed contentionis tantùm ſtudio feciſſe: Se autem nihil prorſus immutaſſe, omnia verò vt ab Apoſtolis tradita, & ab antiquiſſimis Patribus approbata fuerint, ad hunc vſq; diem per tot ſecula retinuiſſe. Num. 16.

6 Neué res calumnijs tantùm agi, & ad inuidiam noſtram in angulis ſolùm iactari videretur, ſubornati ſunt à Romanis Pontificibus homines quidam ſatis diſerti, & non indocti, qui ad cauſam deſperatam accederunt, & eam libris, & longis orationibus exornarent: vt cum eleganter & copioſè ageretur, homines imperiti poſſent in ea aliquid eſſe ſuſpicari. Videbant ſcilicet, vbiq; terrarum cauſam ſuam inclinare, artes ſuas iam videri, & minoris putari, & præſidia ſua in ſingulos dies labefactari, & omninò cauſam magnoperè egere patrocinio.

Eorum autem, quæ ab illis in nos dicuntur, partim manifestè falsa sunt, & ipsorum, à quibus dicuntur, iudicio condemnata: partim, etsi falsa sunt illa quoq; tamen speciem veri aliquam & similitudinem præ se ferunt, vt in illis incautus Lector, maximè verò, si accedat istorum composita & elegans oratio, facilè circumueniri, & errare possit: partim verò sunt eiusmodi, vt ea nos non tanquam crimina refugere, sed tanquam rectè, atq; optima ratione facta agnoscere, & profiteri debeamus. Nam, vt vno verbo quod res est dicamus, isti omnia nostra, etiam ea quæ ne ipsi quidem negare possunt rectè, atq; ordine esse facta, calumniantur; & quasi nihil a nobis aut fieri, aut dici rectè possit, ita dicta nostra factaq; omnia malitiosè deprauant. Simplicius quidem & candidius agendum erat, si verè agere voluissent: Nunc autem nec verè, nec Christiano more, modóque, sed obscurè & veteratoriè mendacijs nos oppugnant: & cęcitate populi & insciti à atq; ignorantiâ Principum, ad odium nostri, & ad opprimendam veritatem abutuntur. Est hæc potestas tenebrarũ & hominum stupore magis imperitæ multitudinis & tenebris, quam veritate aut luce fidentium, vtq; Hieronymus ait, clausis oculis veritati perspicuè contradicentium. Nos verò Deo Optimo Maximo gratias agimus, eam esse causam nostrã in quam isti cùm cuperent, nullam contumeliam possent dicere, quæ non eadem in sanctos Patres, in Prophetas, in Apostolos, in Petrum, in Paulum, in Christum ipsum torqueri posset.

7 Iam verò si istis ad maledicendum disertis & eloquentibus esse licet, nos in optima nostra causa, ad verè respondendum haud conuenit esse mutos. Negligere enim quid de se, suaq; causa, quamuis falsè & calumniosè dicatur, præsertim cum id eiusmodi sit, vt in eo Dei majestas, & religionis negotium violetur, hominum est dissolutorum, & ad iniurias diuini nominis securè, atq; impiè conniuentium. Etsi enim aliæ iniuriæ sæpe magnæ ab homine modesto & Christiano ferri ac dissimulari possint, tamen hæreseôs notam qui dissimulet, eum Ruffinus negare solebat esse Christianum. Faciemus ergo tunc id quod omnes leges, quod vox naturæ ipsa jubet fieri, quodq; Christus ipse in simili causa contumelijs appetitus fecit, vt istorum criminationes propulsemus, vt causam innocentiamq; nostram modestè & verè tueamur. Nam Christus quidem cum à Pharisæis accusaretur veneficij, quasi consuetudinem haberet cum Dæmonibus, & illorũ ope multa faceret: Ioan. 8. Ego (inquit) Dęmonium non habeo, sed glorifico patrem meum: vos autem affecistis me ignominia. Et Paulus cum à Festo Proconsule Act. 26. contemneretur vt insanus, Ego (inquit) Optime Feste non insanio vt tu putas, sed veritatis & sobrietatis verba loquor. Et Christiani veteres cum pro homicidis, adulteris, incestis, rerumpub. perturbatoribus, ad populum traducerentur, & viderent huiusmodi criminationibus, in dubium

dubium vocari poſſe religionem quam profitebantur, maximè verò, ſi tacere viderentur, & quodammodo crimen agnoſcere, ne ea res Euangelij curſum impediret, habuerunt orationes, ſcripſerunt libros ſupplices, apud Imperatores & Principes verba fecerunt, vt ſeſe ſuoſq; publicè defenderent. *Quadratus Iustinus. Melito Tertul. alijq;.*

8 Nos verò cum proximis iſtis viginti annis, tot millia noſtrorum fratrum inter exquiſitiſſimos cruciatus teſtimonium dixerint veritati, & Principes, cum frænare cuperent Euangelium, multa moliendo nihil egerint, & totus iam propè terrarum orbis ad aſpiciendam lucem oculos incipiat aperire; ſatis iam dictam & defenſam putamus eſſe noſtram cauſam: cumq; res ipſa pro ſe loquatur, non multis opus eſſe verbis. Nam ſi Pontifices ipſi vellent, aut etiam ſi poſſent, rem ipſam ſecum, & initia progreſſuſq; religionis noſtræ cogitare, quemadmodum ſua penè omnia nullo impellente, ſine vlla humana ope ceciderint: noſtra verò inuitis ab initio Imperatoribus, inuitis tot Regibus, inuitis Pontificibus, inuitis propè omnibus, incrementa ceperint, & paulatim in omnes terras propagata fuerint, atque etiam poſtremò in regum iam aulas & palatia peruenerint, vel hæc ipſa ſatis illis magna inditia eſſe poſſent, Deum ipſum pro nobis propugnare, & ipſorum conatus de Cœlo ridere, & eam eſſe vim veritatis, quam nec humanæ vires, nec inferorum portæ poſſunt conuellere. Non enim inſaniunt hodie tot ciuitates liberæ, tot Reges, tot Principes, quia a ſede Romana defecerunt, & ſe potiùs ad Chriſti Euangelium adiunxerunt.

9 Neque tamen ſi Pontificibus otium hactenus nunquam fuit de iſtis rebus attentè & ſeriò cogitandi, aut ſi nunc aliæ illos curæ impediunt, & diuerſè diſtrahunt, aut ſi iſta ſtudia vulgaria & leuia eſſe putant, & nihil ad dignitatem Pontificiam pertinere, idcircò cauſa noſtra debet videri deterior? aut ſi illi quod vident videre fortè nolunt, & veritatem agnitam potiùs oppugnant, idcircò nos habendi ſtatim ſumus pro hæreticis, qui illorum voluntati non obſequimur? Quod ſi Pius Pontifex is eſſet, non dicimus, quem ſe tantoperè dici cupit, ſed ſi is omninò eſſet, qui nos vel fratres ſuos, vel omninò homines eſſe duceret, rationes prius noſtras, & quid à nobis quid contra nos dici poſſet diligenter expendiſſet: ac non ita temerè cæcis tantùm præiudicijs, bonam partem orbis terrarum, tot doctos & pios viros, tot reſpub. tot Reges, tot Principes in Bulla ſua qua nuper ſimulabat Concilium, inauditos, indictâ cauſâ, condemnaſſet. *Pius 4.*

10 Verùm, ne, quia ad hunc modum publicè ab illo notati ſumus, tacendo videamur crimen confiteri, & præſertim quia in publico Concilio, in quo ille nemini mortalium jus eſſe vult ferendi ſuffragij, ſententiæq; dicendæ, niſi jurato, addictoq; poteſtati ſuæ, audiri nullo modo poſſumus (id enim proximis Comitijs Tridentinis nimiùm experti

ſumus, cum Principum Germaniæ, & liberarum ciuitatum legati, & Theologi prorſus ab omni conuentu excluderentur: neq; adhuc obliuiſci poſſumus Iulium Tertium ante decem annos cauiſſe reſcripto ſuo, ne quis noſtrorum hominum in Concilio audiretur, niſi ſi quis fortè eſſet, qui vellet palinodiam canere, & mutare ſententiam) vel eà maximè cauſâ viſum eſt nobis rationem fidei noſtræ ſcripto reddere, & ad ea, quæ nobis publicè obiecta ſunt, verè ac publicè reſpondere, vt orbis terrarum videre poſſit, partes, & fundamenta eius doctrinæ, cui tot boni viri poſtpoſuerunt vitam ſuam, vtq; omnes intelligant cuiuſmodi tandem homines illi ſint, quidq; de Deo & religione ſentiant, quos Romanus Epiſcopus antequam vocarentur ad dicendam cauſam, non ſatis conſideratè, nullo exemplo, nullo iure, tantùm quòd illos audiret à ſe ſuiſque in aliqua parte Religionis diſcrepare, condemnauit pro hæreticis.

11 Et quamuis D. Hieronymus in ſuſpicione hæreſeòs neminem velit eſſe patientem, nos tamen nec acerbè, aut dicaciter agemus, nec efferemur iracundiâ; quanquam nec acerbus nec dicax videri debet, qui vera dicit. Iſtam eloquentiam libentiùs relinquimus aduerſarijs noſtris, qui quicquid in nos dicunt, quantumuis id acerbè & contumelioſè dictum ſit, tamen ſatis modeſtè & appoſitè dictum putant, verè ne an falſò, nihil curant: Nobis his artibus opus non eſt, qui veritatem defendemus.

12 Quòd ſi docemus ſacroſanctum Dei Euangelium, & veteres Epiſcopos, atq; Eccleſiam Primitiuam nobiſcum facere, noſque non ſine iuſta cauſa & ab iſtis diſceſſiſſe, & ad Apoſtolos, veteresq; Catholicos Patres redijſſe, idq; non obſcurè & vafrè, ſed bonâ fide coram Deo, verè, ingenuè, dilucidè, & perſpicuè facimus; ſi illi ipſi qui noſtram doctrinam fugiunt, & ſeſe Catholicos dici volunt, aperte videbunt omnes illos titulos antiquitatis, de quibus tantoperè gloriantur, ſibi excuti de manibus, & in noſtrâ cauſâ plus neruorum fuiſſe quàm putârint, ſperamus neminem illorum ita negligentem fore ſalutis ſuæ, quin vt velit aliquando cogitationem ſuſcipere, ad vtros potiùs ſe adiungat. Certè quidem niſi quis planè animo obduruerit, & audire nolit, eum non pœnitebit animum ad defenſionem noſtram aduertere, & quid à nobis, quámque ad religionem Chriſtianam conuenienter, aptéque dicatur, attendere.

13 Nam quòd nos appellant hæreticos, eſt illud crimen ita graue, vt niſi videatur, niſi palpetur, niſi manibus digitiſq; teneatur, credi facilè de homine Chriſtiano non debeat. Eſt enim hæreſis deſtitutio ſalutis, abiectio gratiæ Dei, diſceſſio à corpore & ſpiritu Chriſti. Sed fuit hoc ſemper iſtis, & illorum patribus familiare & ſolenne, vt ſi qui eſſent qui de illorum erroribus quererentur, & religionem cuperent reſtitutam,

ſtitutam, eos ſtatim quaſi nouatores rerum & homines factioſos, condemnarent pro hæreticis. Chriſtus enim non aliâ cauſâ dictus eſt Samaritanus, quàm quòd ad nouam quandam religionem, & ad hæreſin defeciſſe putaretur. Et Paulus Apoſtolus Chriſti vocatus eſt in iudicium, vt cauſam diceret de hæreſi: Ego quidem (inquit) iuxta hanc viam, quam iſti vocant hæreſin, colo Patrium Deum, credens omnibus quæ ſcripta ſunt in Lege & in Prophetis. Acts 24.

14 Breuiter, vniuerſa iſta religio quam hodiè profitentur homines Chriſtiani, primis temporibus ab Ethnicis hominibus, Secta dicta eſt, & hæreſis. His iſtis vocibus ſemper impleuerunt aures Principum, vt cùm illi opinione præiudicatâ nos odiſſent, & quicquid à nobis diceretur, haberent pro factione & hæreſi, à re ipſâ & à cognitione cauſæ abducerentur. Sed quantò crimen illud grauius eſt & atrocius, tantò argumentis maioribus & clarioribus probari debuit, hoc præſertim tempore, poſtquam homines cæperunt minùs iſtorum oraculis habere fidei, & in illorum doctrinam diligentiùs inquirere, quàm ſolebant. Aliter enim nunc inſtitutus eſt populus Dei atque olim fuit, cùm omnia Pontificum Romanorum dictata haberentur pro Euangelio, & omnis religio ab illorum tantùm auctoritate penderet. Extant hodie ſacræ literæ, extant ſcripta Apoſtolorum & Prophetarum, ex quibus & omnis veritas, & doctrina Catholica probari poſſit, & omnis hæreſis refutari. *Tertul. in Apologet.* 2. Tim. 3.

15 Cùm nihil horum ab iſtis proferatur, tamen nos hæreticos appellari, qui nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis, nec à Prophetis defecerimus, iniurioſùm eſt ac peracerbum. Hoc gladio Chriſtus reiecit Diabolum, cùm ab illo tentaretur: his armis euertenda & profliganda eſt omnis altitudo, quæ ſeſe attollit aduerſus Deum. Omnis enim Scriptura (inquit Paulus) diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad refutandum, ad inſtituendum, ad arguendum, vt vir Dei perfectus ſit, & ad omne opus bonum inſtructus. Sic ſemper pij Patres contra hæreticos non aliundè, quàm è ſacris Scripturis pugnauerunt. Auguſtinus cùm diſputaret aduerſus Petilianum hæreticum Donatiſtam, Ne, inquit, audiantur inter nos hæc verba, Ego dico, aut Tu dicis: Sic potiùs dicamus, Sic dicit Dominus: ibi quæramus Eccleſiam: ibi diſcutiamus cauſam noſtram. Et Hieronymus, Omnia (inquit) ea, quæ abſq; teſtimonio Scripturarum, quaſi tradita ab Apoſtolis aſſeruntur, percutiuntur gladio Dei. Ambroſius etiam ad Gratianum Imperatorem; Interrogentur (inquit) Scripturæ: interrogentur Apoſtoli: interrogentur Prophetæ: interrogetur Chriſtus. Non dubitabant, videlicet, tunc temporis Catholici Patres & Epiſcopi, religionem noſtram ſatis è diuinis Scripturis probari poſſe: nec vnquam illi quenquam habere auſi ſunt pro hæretico, cuius errorem non poſſet ex iſdem 2. Cor. 10. 2. Tim. 3. *De vnitate Eccle. cap. 3.* *Eadē ſententia habetur contra Maximum Arrianorum Epiſcopum, lib. 3. cap. 14* *In primum c. Aggei.*

dem illis Scripturis perſpicuè, & liquidò coarguere. Nos quidem vt
Acts 24. cum D. Paulo reſpondeamus, iuxta hanc viam quam iſti appellant hæreſin, colimus Deum, & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & recipimus omnia, quæ aut in Lege, aut in Prophetis, aut in Apoſtolorum libris ſcripta ſunt.

16 Quare ſi nos ſumus hæretici, ſi iſti ſunt (quod appellari volunt) Catholici, cur non faciunt id quod vident Patres Catholicos viros ſemper feciſſe? Cur nos è ſacris Scripturis non conuincunt? Cur nos ad illarum examen non reuocant? Cur nos non oſtendunt à Chriſto, à Prophetis, ab Apoſtolis, à ſanctis Patribus diſceſſiſſe? Quid hærent? Quid fugiunt? Eſt Dei cauſa. Cur eam dubitant permittere verbo Dei? Quòd ſi nos ſumus hæretici, qui omnes noſtras controuerſias referimus ad ſacras literas, quiq; ad illas ipſas voces, quas ſcimus à Deo ipſo conſignatas eſſe, prouocamus, & illis alia omnia, quæcunq; poſſunt ab hominibus excogitari, poſtponimus: quid iſtos, quos tandem homines, aut quales conuenit appellari, qui ſacrarum Scripturarum, hoc eſt, Dei ipſius iudicium reformidant, & ſua illis ſomnia & frigidiſſima commenta anteponunt, & traditionum ſuarum cauſa, Chriſti, atq; Apoſtolorum inſtituta aliquot iam ſæcula violârunt? Aiunt Sophoclem poetam tragicum, cum iam ſenex eſſet, & accuſaretur apud iudices à filijs ſuis pro deliro & fatuo, quaſi qui rem ſuam familiarem temerè profunderet, & opus iam habere videretur Curatore, vt ſe purgaret eo crimine, veniſſe in iudicium, & cùm pronunciaſſet Oedipum Coloneum, tragœdiam à ſe illis ipſis diebus, cùm accuſaretur, valdè elaboratè & pereleganter ſcriptam, vltrò interrogaſſe iudices, num illud carmen videretur eſſe hominis delirantis.

17 Ita nos quoque quoniam iſtis furere videmur, & ab illis traducimur pro Hæreticis, quaſi quibus nihil jam rei ſit nec cum Chriſto, nec cum Eccleſia Dei, non alienũ aut inutile fore exiſtimauimus, ſi apertè & liberè proponamus fidem noſtram in qua ſtamus, & omnem illam ſpem quam habemus in Chriſto Ieſu: vt omnes videre poſſint, quid nos de quaque parte Religionis Chriſtianæ ſentiamus, & ſtatuere ipſi ſecum poſſint, an ea fides, quam videbunt & verbis Chriſti, & Apoſtolorum ſcriptis, & Catholicorum Patrum teſtimonijs, & multorum ſæculorum exemplis confirmatam, tantum ſit rabies quædam hominum furentium, & conſpiratio hæreticorum.

18 Credimvs ergo vnam quandam naturam eſſe, & vim diuinam, quam appellamus Deum, eamque in tres perſonas æquales diſtinctam eſſe, in Patrem, in Filium, in Spiritum Sanctum, ejuſdem omnes poteſtatis, ejuſdem maieſtatis, ejuſdem æternitatis, ejuſdem diuinitatis, ejuſdem ſubſtantiæ. Et quamuis tres illæ perſonæ ita diſtinctæ ſint,

vt

vt nec Pater ſit Filius, nec Filius ſit Spiritus Sanctus aut Pater: Deum tamen eſſe vnum, & illum vnum creaſſe cœlum, & terram, & omnia quæ cœli complexu continentur.

19 CREDIMVS Ieſum Chriſtum Filium vnicum æterni Patris, quemadmodum jam olim ante omnia initia decretum fuerat, cum veniſſet plenitudo temporis, ſuſcepiſſe carnem, & omnem naturam humanam, ex beata illa ac pura virgine, vt indicaret hominibus arcanam, & reconditam voluntatem patris ſui, quæ abdita fuerat à ſeculis & generationibus, vtq; in humano corpore perageret myſterium redemptionis noſtræ, & peccata noſtra, & Syngraphamillam quæ erat ſcripta contra nos, affigeret ad crucem.

20 Eum credimus noſtrâ cauſâ eſſe mortuum, ſepultum, deſcendiſſe ad inferos, tertia die vi diuina redijſſe ad vitam, & reſurrexiſſe, poſt quadraginta dies, ſpectantibus diſcipulis, accendiſſe in cœlum, vt impleret omnia; & corpus illud ipſum in quo natus, in quo verſatus, in quo ludibrio habitus, in quo grauiſsimos cruciatus, & dirum genus mortis paſſus fuerat, in quo reſurrexerat, in quo aſcenderat ad Patris dextram, ſupra omnem principatum & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro, in Majeſtate, et gloria collocaſſe: ibi eum nunc ſedere, & ſeſurum eſſe, donec omnia perficiantur. Et quamuis Maieſtas & diuinitas Chriſti vbique diffuſa ſit, tamen corpus eius (vt Auguſtinus ait) in vno loco eſſe oportet: Chriſtum corpori ſuo Maieſtatem dediſſe, naturam tamen corporis non ademiſſe: neque ita aſſerendum eſſe Chriſtum Deum, vt eum negemus eſſe hominem. Vtque ait Martyr Vigilius, Chriſtum humanâ ſuâ naturâ nos reliquiſſe, diuinitate autem non reliquiſſe: eumque cùm abſit à nobis per formam ſerui, tamen ſemper eſſe nobiſcum per formam Dei.

Auguſt. tract. 5 in Ioan.

Act. 3.

Aug. tract. 3. in Ioan.

Ad Pardamum.

Contra Eutichen. lib. 1.

Fulgentius ad Regem Trasimundum.

21 Ab illo loco credimus Chriſtum rediturum eſſe ad exercendum publicum illud judicium, tam de illis quos inueniet adhuc in corpore ſuperſtites, quàm de mortuis.

22 CREDIMVS Spiritum Sanctum, qui eſt tertia perſona in ſacra Tryade, illum verum eſſe Deum; non factum, non creatum, non genitum, ſed ab vtroque, patre ſcilicet & filio, ratione quadam mortalibus incognita ac ineffabili, procedentem. Illius eſſe duritiem humani cordis emollire, cum aut per ſalutiferam prædicationem Euangelij, aut alia quacunq; ratione in pectora hominum recipitur: illum eos illuminare, & In agnitionem Dei, atque in omnem viam veritatis, & in totius vitæ nouitatem, & perpetuam ſalutis ſpem perducere.

23 CREDIMVS vnam eſſe Eccleſiam Dei, eamq; non vt olim apud Iudæos, in vnum aliquem angulum aut regnum, concluſam, ſed Catholicam

licam atq; Vniuersalem esse, & diffusam in totũ terrarum orbẽ, vt nulla nunc natio sit, quæ possit verè conqueri, se exclusam esse, & non posse ad Ecclesiam, & populum Dei pertinere. Eam Ecclesiam esse regnum, esse corpus, esse sponsam Christi: eius regni Christum solum esse principem, eius corporis Christum solum esse caput: eius sponsæ Christum solum esse sponsum. Varios in Ecclesia esse ordines ministrorum, alios esse Diaconos, alios Presbyteros, alios Episcopos, quibus institutio populi & religionis cura & procuratio commissa sit: neminem tamen vnum nec esse, nec esse posse, qui summæ rerum vniuersæ præsit: Nam & Christum semper adesse Ecclesiæ suæ, & vicario homine, qui ex asse in integrum accedat non egere: & neminem mortalium posse existere, qui vniuersam Ecclesiam, hoc est, omnes partes orbis terrarum, vel animo complecti, nedum ordine collocare, & rectè ac commodè administrare possit: Apostolos (vt Cyprianus ait) pari omnes inter se fuisse potestate: atque hoc idem fuisse alios quod Petrus fuit: omnibus ex æquo dictum fuisse Pascite: omnibus, Ite in mundum vniuersum: omnibus, Docete Euangelium: & vt ait Hieronymus, Omnes Episcopos vbicunque tandem sint, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, eiusdem esse meriti, eiusdem Sacerdotij. Vtque Cyprianus ait, Episcopatum vnum esse, & eius partem in solidum teneri à singulis. Et de sententia Niceni Concilij, Romanum Episcopum nihilo plus iuris in Ecclesiam Dei obtinere, quam reliquas Patriarchas Alexandrinum, & Antiochenum: Romanum verò Episcopum, qui nunc ad se vnum omnia reuocat, nisi officium faciat, nisi administret Sacramenta, nisi instituat populum, nisi moneat, nisi doceat, ne Episcopum quidem aut omnino presbyterum iure dicendum esse. Episcopum enim (vt Augustinus ait) nomen esse operis, non honoris: vt ille se intelligat non esse Episcopum, qui velit præesse, & non prodesse. Caput vero Ecclesiæ totius, aut vniuersalem Episcopum, non magis aut illum, aut alium quemuis mortalem esse posse, quàm sponsum, quàm lucem, quàm salutem, quàm vitam Ecclesiæ. Hæc enim esse Christi vnius priuilegia, & nomina, & illi vni propriè atque vnicè conuenire: neq; vsquam quenquam Romanum Episcopum ante Phocam Imperatorem, quem scimus (interfecto Imperatore Mauritio domino suo) per nefarium scelus ad Imperium adspirasse, hoc est, ante sexcentesimũ decimum tertium annum à Christo nato, vnquã passum fuisse sese tam superbo nomine salutari. Concilium etiam Carthaginense diserte cauisse, ne quis Episcopus aut summus Pontifex, aut primus Sacerdos diceretur: Episcopum verò Romanum, quoniam ita hodie dici vult, & alienam potestatem sibi vendicat, præterquam quod apertè facit contra vetera Concilia, contraque Patres, si Gregorio suo velit credere, nomen arrogans,

De simplicitate prælatorum.

Ad Euagrium.

De simplicitate prælatorum.

1. ad Tim. 3.

Cap. 47.

gans, profanum, ſacrilegum, antichriſtianum, ſibi imponere; eſſe regem ſuperbiæ; eſſe Luciferum, qui ſe fratribus ſuis anteponat; abiecisſe hidem, eſſe præcurſorem Antichriſti. *Gregor. lib. 4. Epiſt 76. 78. 80. Et lib. 7. Epiſt. 69.*

24 Miniſtrum legitimè vocari oportere, & rectè atque ordine præfici Eccleſiæ Dei: neminem autem ad ſacrum miniſterium pro ſuo arbitrio, atque libidine poſſe ſe intrudere. Quo maior nobis ab iſtis fit iniuria, quibus nihil ſæpius in ore eſt, quàm apud nos nihil ordine, nihil decenter, omnia confuſè, ac perturbatè fieri, omnes apud nos eſſe Sacerdotes, omnes eſſe doctores, omnes eſſe interpretes.

25 Miniſtris à Chriſto datã eſſe dicimus ligandi, ſoluendi, aperiendi, claudendi poteſtatem. Et ſoluendi quidẽ munus in eo ſitum eſſe, vt miniſter, vel deiectis animis, & verè reſipiſcentibus per Euangelij prędicationem, merita Chriſti, abſolutionem offerat, & certam peccatorum condonationem, ac ſpem ſalutis æternę denunciet: aut vt eos qui graui ſcandalo, & notabili publicoq; aliquo delicto fratrum animos offenderint, & ſeſe à communi ſocietate Eccleſię, & à Chriſti corpore, quodammodo abalienàrint, reſipiſcentes, reconciliet, & in fideliũ cœtum atq; vnitatem recolligat, ac reſtituat. Similiter ligandi illum claudendiq; poteſtatem exercere docet Apologia, quoties vel incredulis, & contumacibus, regni cœlorum, ianuam occludit, illiſq; vindictam Dei & ſempiternum ſupplicium edicit, vel publicè excommunicatos ab Eccleſiæ gremio excludit. Sententiam autem, quamcunque miniſtri Dei ad hunc modum tulerint, Deus ipſe ita comprobat, vt quicquid hic illorum operâ ſoluitur ac ligatur in terris, idem ipſe ſoluere ac ligare velit, & ratum habere in cœlis. Claues autem quibus aut claudere regnum cœlorum, aut aperire poſſint, (vt Chryſoſtomus ait) dicimus eſſe ſcientiam Scripturarum: vt Tertullianus, eſſe interpretationem legis: vt Euſebius, eſſe verbum Dei. Accepiſſe autem diſcipulos Chriſti hanc poteſtatem, non vt audirent arcanas populi confeſſiones, aut captarent murmura, quod ſacrificuli nunc omnes paſſim faciunt, atq; ita faciunt, quaſi in eo ſolo ſita ſit omnis vis atq; vſus clauium: ſed vt irent, vt docerent, vt publicarent Euangelium, vt eſſent credentibus odor vitæ ad vitam, vt eſſent incredulis atque infidelibus odor mortis ad mortem: vt piorum animi conſcientia ſuperioris vitæ & erroru m conſternati, poſtquam adſpicere cœpiſſent lucem Euangelij, & in Chriſtum credere, vt fores claue, ita illi verbo Dei apperirentur: impij autem & contumaces, quiq; nollent credere & redire in viam, quaſi obſerati & clauſi relinquerentur, & proficerent, vt Paulus ait, in deterius: Hanc eſſe rationem clauium; hoc pacto apperiri aut claudi hominum conſcientias: Sacerdotem quidem eſſe judicem, nullius tamen eum poteſtatis, vt ait Ambroſius, jus obtinere: Idcircò Chriſtum his verbis increpuiſſe Scribas & Phariſæos, vt coargueret illorum in docendo negligentiam: Væ inquit vobis Scribæ *2. Tim. 5. De pœnitent. diſt. 1. cap. verbum Dei.*

Luc 11. Matt. 23. Scribæ & Phariſæi, qui abſtuliſtis claues ſcientiæ, & clauſiſtis regnum Cœlorum coram hominibus. Cumq; clauis, qua aditus nobis aperitur ad regnum Dei, ſit verbum Euangelij, & interpretatio legis & ſcripturarum, vbi non ſit verbum, ibi dicimus non eſſe clauem: & cùm vnum omnibus datum ſit verbum, vnaq; ſit omnium clauis, vnam eſſe miniſtrorum omnium, quod quidem ad apperiendum, aut claudendum attinet poteſtatem: imò etiam Pontificem ipſum, quamuis illi ſuauiter cantillentur illa verba à paraſitis ſuis, Tibi dabo claues regni Cœlorum, ac ſi eæ illi vni, & præterea mortalium nemini conuenirent: niſi id agat, vt hominum flectantur conſcientiæ, & ſuccumbant verbo Dei, negamus aut aperire, aut claudere, aut omninò habere claues. Et quamuis doceat, & inſtituat populum, quod vtinam aliquando & vere faciat, & inducat aliquando animum, eſſe eam aliquam ſaltem partem officij ſui, tamen eius clauem nihilo, aut meliorem aut maiorem eſſe, quàm aliorum: Quis enim illum diſcreuit? Quis illum docuit doctiùs aperire, aut meliùs abſoluere, quàm fratres ſuos?

Mar. 16.

26 Matrimonium in omni genere & ſtatu hominum in Patriarchis, in Prophetis, in Apoſtolis, in Sanctis Martyribus, in Miniſtris Eccleſiarum, in Epiſcopis ſanctum ac honorificum eſſe dicimus: & vt Chryſoſtomus ait, fas & ius eſſe cum eo ad Cathedram Epiſcopalem aſcendere: vtq; Sozomenus ait de Spiridione, & Nazianzenus de patre ſuo, Epiſcopum pium, & induſtrium nihilo deteriùs eâ cauſâ, imò meliùs etiam, & vtiliùs verſari in miniſterio. Legem autem illam quæ hominibus eam libertatem per vim adimat, & inuitos adigat ad cœlibatum, eſſe vt Diuus Paulus ait, doctrinam dæmoniorum: Et ex eo (quod Epiſcopus Auguſtinus, Faber, Abbas, Panormitanus, Latomus, opus illud tripartitum, quod adiunctum eſt ſecundo Tomo Conciliorum, alijq; Pontificiarum partium Satellites, reſq; adeò ipſa, & omnes Hiſtoriæ confitentur) incredibilem vitæ ac morum impuritatem in miniſtris Dei, & horrenda flagitia eſſe conſecuta: & rectè dixiſſe Pium ſecundum Romanum Epiſcopum, videre ſe multas cauſas, cur eripiendæ fuerint vxores ſacerdotibus, multò autem & plures videre, & grauiores, cur ſint reddendæ.

In Titum primo Hom. 11.
Theop. ad Titum 10. Euſeb. li. 10. cap. 5.
In monodia ſua ſuper Baſilium.
1. Tim. 4.
Platina in Pij. 2. vita.

27 Recipimus & amplectimur omnes Canonicas Scripturas, & veteris & noui Teſtamenti: Deoq; noſtro gratias agimus qui eam lucem nobis excitarit, quam ſemper haberemus in oculis, ne vel humana fraude, vel inſidijs dæmonum ad errores & fabulas abduceremur: eas eſſe cœleſtes voces, per quas Deus voluntatem ſuam nobis patefecerit: in illis ſolis poſſe hominum animos acquieſcere: in illis ea omnia quæcunq; ad noſtram ſalutem ſint neceſſaria, vt Origenes, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Cyrillus docuerunt, cumulatè & plenè contineri: eas eſſe vim ac potentiam Dei ad ſalutem: eas eſſe fundamenta Prophetarum,

rum, & Apoſtolorum, in quibus ædificata ſit eccleſia Dei: eas eſſe certiſſimam normam ad quam ea, ſi vacillet aut erret, poſſit exigi, & ad quam omnis doctrina Eccleſiaſtica debeat reuocari: contra eas nec legem, nec traditionem, nec conſuetudinem vllam audiendam eſſe, ne ſi Paulus quidem ipſe, aut Angelus de Cœlo veniat & ſecus doceat.

28 Recipimus Sacramenta Eccleſiæ, hoc eſt, ſacra quædam ſigna, cæremonias, quibus Chriſtus nos vti voluit, vt illis, myſteria ſalutis noſtræ, nobis ante oculos conſtitueret, & fidem noſtram, quam habemus in eius ſanguine vehementiùs confirmaret, & gratiam ſuam in cordibus noſtris obſignaret. Eaq; cum Tertulliano, Origene, Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo, Chryſoſtomo, Baſilio, Dyonifio, alijſq; Catholicis Patribus, figuras, ſigna, Symbola, typos, antitypa, formas, ſigilla, ſignacula, ſimilitudines, exemplaria, imagines, recordationes, memorias appellamus. Nec dubitamus etiam cum eiſdem dicere, eſſe illa viſibilia quædam verba, ſignacula juſtitiæ, ſigna gratiæ: diſerteq; pronunciamus in cœna credentibus, verè exhiberi corpus & ſanguinem Domini, carnem filij Dei, viuificantem animas noſtras, cibum ſuperne venientem, immortalitatis alimoniam, gratiam, veritatem, vitam: eamque communionem eſſe corporis & ſanguinis Chriſti, cuius participatione viuificamur, vegetamur, & paſcimur ad immortalitatem, & per quam coniungimur, vnimur & incorporamur Chriſto, vt nos in illo maneamus, & ille in nobis.

29 Duo autem Sacramenta, quæ eo nomine propriè cenſenda ſunt, agnoſcimus, Baptiſmum, & Euchariſtiam: tot enim videmus tradita eſſe ac conſecrata à Chriſto, & à veteribus Patribus, Ambroſio, & Auguſtino, approbata.

30 Et Baptiſmum quidem Sacramentum eſſe remiſſionis peccatorum, & ejus ablutionis quam habemus in Chriſti ſanguine; & ab eo neminem qui velit profiteri nomen Chriſti, ne infantes quidem Chriſtianorum hominum, quoniam naſcuntur in peccato, & pertinent ad populum Dei, arcendos eſſe.

31 Euchariſtiam eſſe Sacramentum, hoc eſt, ſymbolum conſpicuum corporis & ſanguinis Chriſti, in quo ſubijcitur quodammodò oculis noſtris mors Chriſti, & ejus reſurrectio, & quæcunque geſſit in humano corpore: vt de eius morte, & noſtra liberatione gratias agamus, & frequentatione Sacramentorum, eius rei memoriam aſſiduè renouemus, vt verò Chriſti corpore & ſanguine alamur, in ſpem reſurrectionis & vitæ æternæ, vtq; pro certiſſimo habeamus, id eſſe animis noſtris alendis corpus & ſanguinem Chriſti, quod alendis corporibus eſt panis & vinum. Ad hoc epulum inuitandum eſſe populum, vt omnes inter ſe communicent, & ſocietatem ſuam inter ſe, ſpemq; eam, quam habent

in

in Christo Iesu publicè significent,& testificentur. Itaque si quis fuisset, qui spectator tantum esse velit,& à sacra Communione abstineret,illum veteres Patres, & Romanos Episcopos in Primitiua Ecclesia, antequam nata esset priuata Missa,tanquam improbum atque Ethnicum excommunicasse : Neque vllum fuisse eo tempore hominem Christianum, qui cæteris spectantibus communicaret solus. Ita olim decreuit Calixtus, vt peracta consecratione, omnes communicarent, nisi mallent carere Ecclesiasticis liminibus, sic enim ait Apostolos statuisse, & sanctam Romanam Ecclesiam tenere. Populo verò ad sacram Communionem accedenti, vtramq; partem Eucharistiæ tradendam esse: id enim & Christum iussisse, & Apostolos vbique terrarum instituisse,& omnes veteres Patres,& Catholicos Episcopos sequutos esse: & si quis contra faciat, eum, vt Gelasius ait,committere Sacrilegium: & aduersarios hodie nostros,qui exposa atque abdicata communione sine verbo Dei, sine veteri concilio, sine vllo Catholico Patre, sine exemplo Primitiuæ Ecclesiæ, sine etiam ratione, priuatas Missas, & multitudinem Sacramentorum defendant, idque non tantum contra expressum mandatum & iussum Christi, sed etiam contra omnem antiquitatem faciant,improbè facere & esse sacrilegos.

Chrisost. ad Ephe. serm. 3. cap. 1.
De cons. dist. 1, cap. omnes.
Dist. 2. cap. seculares.
De consecr. Dist. 2. cap. Peracta.
De consecr. Dist. 2 cap. comperimus.

32 Panem & Vinum dicimus esse sacra, & cœlestia mysteria corporis & sanguinis Christi, & illis Christum ipsum, verum panem æternæ vitæ sic nobis præsentem exhiberi, vt eius corpus sanguinemque per fidem verè sumamus: non tamen id ita dicimus, quasi putemus naturam panis & vini prorsus immutari atque abire in nihilum, quemadmodum multi proximis istis sæculis somniârunt, neque adhuc potuerunt vnquam satis inter se de suo somnio conuenire. Neque enim id Christus egit, vt panis triticeus abijceret naturam suam, ac nouam quandam diuinitatem indueret, sed vt nos potiùs immutaret, vtq; Theophilactus loquitur, transelementaret in corpus suum. Quid enim magis perspicuè dici potest, quam quod Ambrosius ait, Panis & Vinum sunt quæ erant, & in aliud commutantur? aut quod Gelasius, Non desinit esse substantia panis, vel natura vini : aut quod Theodoretus, Post sanctificationem, mystica Symbola naturam suam propriam non abijciunt (manent enim in priori sua substantia, & figura & specie:) aut quod Augustinus, Quod videtis, panis est & Calix, quod etiam oculi renunciant, quod autem fides vestra postulat instruenda, Panis est corpus Christi, calix sanguis: aut quod Origenes, Ille panis qui sanctificatur per verbum Dei, quod quidem ad materiam attinet, in ventrem abit & in secessum ejicitur: aut quod Christus non tantùm post consecrationem calicis,sed etiam post communionem dixit,Non bibam ampliùs de hac generatione vitis. Certum enim est ex vite progenerari vinum,non sanguinẽ. Nec tamen cùm ista dicimus,extenuamus Cœnam Domini,

In Ioan. cap. 6.
De sacra. lib. 4. cap. 4. In dialogo primo & secundo.
In Sermone ad infantes. de consecr. Dist. 2. cap. Qui manducat.
In Mat. 15.
Luc. 22.

Domini, aut eam frigidam tantùm cæremoniam eſſe docen us, & in ea nihil fieri, quod multi nos docere calumniantur. Chriſtum enim aſſerimus, verè ſeſe præſentem exhibere in Sacramentis ſuis: in Baptiſmo vt eum induamus: in Cæna vt eum fide & ſpiritu comedamus, & de eius cruce & ſanguine habeamus vitam æternam: idq; dicimus non perfunctoriè, & frigidè, ſed re ipſa & verè fieri. Etſi enim Chriſti corpus dentibus & faucibus non attingimus, eum tamen fide, mente, ſpiritu tenemus & premimus. Neque verò vana ea fides eſt, quæ Chriſtum complectitur, nec frigidè percipitur, quod mente, fide, & ſpiritu percipitur. Ita enim nobis in illis myſterijs, Chriſtus ipſe totus, quantus quâtus eſt, offertur & traditur, vt verè ſciamus eſſe iam nos carnem de eius carne, & os de oſſibus eius, & Chriſtum in nobis manere, & nos in illo.

De conſecr. Diſt. 1. cap. Quando.

33 Itaq; in peragendis myſterijs, antequam ad ſacram Communionem veniatur, rectè admonetur populus vt ſurſum habeant corda, & animos in cœlum dirigant. Ibi enim eſſe illum de quo nos oportet ſatiari ac viuere. Et Cyrillus in percipiendis myſterijs, excludendas eſſe ait craſſas cogitationes. Et Concilium Nicenum, vt Græcè citatur à quibuſdam, diſertè vetat, ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & vinum. Et vt Chryſoſtomus rectè ſcribit, corpus Chriſti dicimus eſſe cadauer, nos oportere eſſe aquilas, vt intelligamus in altum ſubuolandum eſſe, ſi velimus ad Chriſti corpus accedere: Hanc enim aquilarum eſſe menſam, non graculorum. Et Cyprianus, Hic inquit panis, cibus mentis eſt, non cibus ventris. Et Auguſtinus, Quomodo, inquit, tenebo abſentem? Quomodo in cœlum mittam manum, vt ibi ſedentem teneam? Fidem (inquit) mitte & tenuiſti.

De cœna Domi. In Ioannem tract. 50.

34 Nundinationes verò & auctiones Miſſarum, & circumgeſtationes, & adorationes panis, & alias idololatricas & blaſphemas ineptias, quas nemo iſtorum affirmare poteſt, Chriſtum & Apoſtolos tradidiſſe in Eccleſijs noſtris, non ferimus: & Epiſcopos Romanos rectè reprehendimus, qui ſine verbo Dei ſine auctoritate ſanctorũ Patrum, ſine exemplo, nouo more non tantùm proponunt populo panem Euchariſticum, diuino cultu adorandum, ſed etiam illum in equo gradario, quocunq; ipſi iter faciunt, vt olim ignem Perſicum aut Iſidis ſacra circumferunt, & Chriſti Sacramenta ad ſcenam iam, & pompam traduxerunt, vt in eâ re in quâ mors Chriſti inculcanda & celebranda erat, & in quâ myſteria redemptionis noſtræ ſanctè & reuerenter erant agitanda, hominum oculi nihil aliud quàm inſanis ſpectaculis, & ludicra leuitate paſcerentur. Quod autem dicunt & interdum etiam ſtultis perſuadent, ſeſe Miſſis ſuis poſſe diſtribuere; atque applicare hominibus (ſæpe etiam nihil de ea re cogitantibus, nec quid agatur intelligentibus) omnia merita mortis Chriſti, & ridiculum, & Ethnicum, & ineptum eſt. Fides enim noſtra mortem & crucem Chriſti nobis applicat, non

Libros de cæremonijs Eccleſ. Rom.

actio

in Christo Iesu publicè significent, & testificentur. Itaque si quis fuisset, qui spectator tantum esse velit, & à sacra Communione abstineret, illum veteres Patres, & Romanos Episcopos in Primitiua Ecclesia, antequam nata esset priuata Missa, tanquam improbum atque Ethnicum excommunicasse: Neque vllum fuisse eo tempore hominem Christianum, qui cæteris spectantibus communicaret solus. Ita olim decreuit Calixtus, vt peracta consecratione, omnes communicarent, nisi mallent carere Ecclesiasticis liminibus, sic enim ait Apostolos statuisse, & sanctam Romanam Ecclesiam tenere. Populo verò ad sacram Communionem accedenti, vtramq; partem Eucharistiæ tradendam esse: id enim & Christum iussisse, & Apostolos vbique terrarum instituisse, & omnes veteres Patres, & Catholicos Episcopos sequutos esse: & si quis contra faciat, eum, vt Gelasius ait, committere Sacrilegium: & aduersarios hodie nostros, qui explosa atque abdicata communione sine verbo Dei, sine veteri concilio, sine vllo Catholico Patre, sine exemplo Primitiuæ Ecclesiæ, sine etiam ratione, priuatas Missas, & multitudinem Sacramentorum defendant, idque non tantum contra expressum mandatum & iussum Christi, sed etiam contra omnem antiquitatem faciant, improbè facere & esse sacrilegos.

Chrisost. ad Ephe. serm. 3. cap. 1.
De cons. dist. 1. cap. omnes.
Dist. 2. cap. seculares.
De consecr. Dist. 2. cap. Peracta.
De consecr. Dist. 2 cap. comperimus.

32 Panem & Vinum dicimus esse sacra, & cœlestia mysteria corporis & sanguinis Christi, & illis Christum ipsum, verum panem æternæ vitæ sic nobis præsentem exhiberi, vt eius corpus sanguinemque per fidem verè sumamus: non tamen id ita dicimus, quasi putemus naturam panis & vini prorsus immutari atque abire in nihilum, quemadmodum multi proximis istis sæculis somniârunt, neque adhuc potuerunt vnquam satis inter se de suo somnio conuenire. Neque enim id Christus egit, vt panis triticeus abijceret naturam suam, ac nouam quandam diuinitatem indueret, sed vt nos potiùs immutaret, vtq; Theophilactus loquitur, transelementaret in corpus suum. Quid enim magis perspicuè dici potest, quàm quod Ambrosius ait, Panis & Vinum sunt quæ erant, & in aliud commutantur? aut quod Gelasius, Non desinit esse substantia panis, vel natura vini: aut quod Theodoretus, Post sanctificationem, mystica Symbola naturam suam propriam non abijciunt (manent enim in priori sua substantia, & figura & specie:) aut quod Augustinus, Quod videtis, panis est & Calix, quod etiam oculi renunciant, quod autem fides vestra postulat instruenda, Panis est corpus Christi, calix sanguis: aut quod Origenes, Ille panis qui sanctificatur per verbum Dei, quod quidem ad materiam attinet, in ventrem abit & in secessum eijcitur: aut quod Christus non tantùm post consecrationem calicis, sed etiam post communionem dixit, Non bibam ampliùs de hac generatione vitis. Certum enim est ex vite progenerari vinum, non sanguinẽ. Nec tamen cùm ista dicimus, extenuamus Cœnam Domini,

In Ioan. cap. 6.
De sacra. lib. 4. cap. 4. In dialogu primo & secundo.
In Sermone ad infantes de consecr. Dist. 2. cap. Qui manducat.
In Mat. 15.
Luc. 22.

Domini, aut eam frigidam tantùm cæremoniam eſſe docen us, & in ea nihil fieri, quod multi nos docere calumniantur. Chriſtum enim aſſerimus, verè ieſe præſentem exhibere in Sacramentis ſuis: in Baptiſmo vt eum induamus: in Cæna vt eum fide & ſpiritu comedamus, & de eius cruce & ſanguine habeamus vitam æternam: idq; dicimus non perfunctorie, & frigidè, ſed re ipſa & verè fieri. Etſi enim Chriſti corpus dentibus & faucibus non attingimus, eum tamen fide, mente, ſpiritu tenemus & premimus. Neque verò vana ea fides eſt, quæ Chriſtum complectitur, nec frigidè percipitur, quod mente, fide, & ſpiritu percipitur. Ita enim nobis in illis myſterijs, Chriſtus ipſe totus, quantus quâtus eſt, offertur & traditur, vt verè ſciamus eſſe iam nos carnem de eius carne, & os de oſſibus eius, & Chriſtum in nobis manere, & nos in illo.

De conſecr. Diſt. 1. cap. Quando.

33 Itaq; in peragendis myſterijs, antequam ad ſacram Communionem veniatur, rectè admonetur populus vt ſurſum habeant corda, & animos in cœlum dirigant. Ibi enim eſſe illum de quo nos oportet ſatiari ac viuere. Et Cyrillus in percipiendis myſterijs, excludendas eſſe ait craſſas cogitationes. Et Concilium Nicenum, vt Græcè citatur à quibuſdam, diſertè vetat, ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & vinum. Et vt Chryſoſtomus rectè ſcribit, corpus Chriſti dicimus eſſe cadauer, nos oportere eſſe aquilas, vt intelligamus in altum ſubuolandum eſſe, ſi velimus ad Chriſti corpus accedere: Hanc enim aquilarum eſſe menſam, non graculorum. Et Cyprianus, Hic inquit panis, cibus mentis eſt, non cibus ventris. Et Auguſtinus, Quomodo, inquit, tenebo abſentem? Quomodo in cœlum mittam manum, vt ibi ſedentem teneam? Fidem (inquit) mitte & tenuiſti.

De cœna Domi. In Ioannem tract. 50.

34 Nundinationes verò & auctiones Miſſarum, & circumgeſtationes, & adorationes panis, & alias idololatricas & blaſphemas ineptias, quas nemo iſtorum affirmare poteſt, Chriſtum & Apoſtolos tradidiſſe in Eccleſijs noſtris, non ferimus: & Epiſcopos Romanos rectè reprehendimus, qui ſine verbo Dei ſine auctoritate ſanctorũ Patrum, ſine exemplo, nouo more non tantùm proponunt populo panem Euchariſticum, diuino cultu adorandum, ſed etiam illum in equo gradario, quocunq; ipſi iter faciunt, vt olim ignem Perſicum aut Iſidis ſacra circumferunt, & Chriſti Sacramenta ad ſcenam iam, & pompam traduxerunt, vt in eâ re in quâ mors Chriſti inculcanda & celebranda erat, & in quâ myſteria redemptionis noſtræ ſanctè & reuerenter erant agitanda, hominum oculi nihil aliud quam inſanis ſpectaculis, & ludicra leuitate paſcerentur. Quod autem dicunt & interdum etiam ſtultis perſuadent, ſeſe Miſſis ſuis poſſe diſtribuere; atque applicare hominibus (ſæpe etiam nihil de ea re cogitantibus, nec quid agatur intelligentibus) omnia merita mortis Chriſti, & ridiculum, & Ethnicum, & ineptum eſt. Fides enim noſtra mortem & crucem Chriſti nobis applicat, non actio

Libros de cæremonijs Eccleſ. Rom.

actio sacrificuli: Fides (inquit Augustinus) sacramentorum iustificat, non Sacramentum. Et Origines, Ille, inquit, est sacerdos, & propitiatio, & hostia, quæ propitiatio ad vnum quemque venit per viam fidei. Atque ad hunc modum sine fide ne viuis quidem prodesse dicimus Sacramenta Christi: mortuis verò multò minus. Nam quod de purgatorio isti suo iactare solent, etsi illud scimus non ita nouum esse, tamen non aliud quàm fatuum, & anile commentum est. Augustinus quidem modò hujusmodi quendam locum esse ait, modò posse esse non negat, modò dubitat, modò prorsus pernegat, & in eo homines humanâ quadâm beneuolentiâ putat falli. Tamen ab hoc errore vno, tanta creuit seges sacrificulorum, vt cùm in omnibus angulis Missæ palam & publicè venderentur, templa Dei facta fuerint tabernæ meritoriæ, & miseris mortalibus persuasum fuerit nihil prorsus esse vendibilius: istis quidem certè nihil erat vtilius.

Ad Rom. cap. 3. Lib. 3.

Aug. in psal. 85. in enchiridio. cap. 67. De ciuitate Dei lib. 21. cap. 26. contra Pelagianos lib. hipognosticon. 5.

35 De multitudine otiosarum cæremoniarum, scimus Augustinum grauiter suo tempore conquestum esse. Itaque nos magnum eorum numerum resecauimus, quod illis sciremus affligi conscientias hominum, & grauari Ecclesiam Dei.

Ad Ioan. Epist. 119.

36 Retinemus tamen & colimus, non tantùm ea, quæ scimus tradita fuisse ab Apostolis, sed etiam alia quædam quæ nobis videbantur sine Ecclesiæ incommodo fieri posse: quod omnia cuperemus in sacro cœtu, vt Paulus iubet decenter atque ordine administrari. Ea verò omnia quæ aut valdè superstitiosa, aut frigida, aut spurca, aut ridicula, aut cum sacris literis pugnantia, aut etiam sobrijs hominibus indigna esse videbamus, qualia infinita sunt hodie in Papatu, prorsus sine vlla exceptione repudiauimus: quod nollemus Dei cultum eiusmodi ineptijs longiùs contaminari.

37 Precamur eà linguâ, quam nostri, vt par est, omnes intelligunt: vt populus, quemadmodum Paulus monet, è communibus votis vtilitatem communem capiat: quemadmodum omnes pij Patres & catholici Episcopi, non tantùm in veteri, verumetiam in nouo Testamento, & precati sunt ipsi, & populum precari docuerunt; ne, vt Augustinus ait, tanquam psittaci, & merulæ, videamur sonare quod nescimus.

38 Mediatorem & precatorem, per quem accedendum sit ad Deum patrem, non alium habemus quàm Iesum Christum, cuius vnius nomine, omnia à patre impetrantur. Turpe autem & planè Ethnicum est, quod in istorum Ecclesijs videmus passim fieri, non tantùm quòd infinitum numerum habere volunt precatorum, idq; prorsus sine authoritate verbi Dei, vt (quemadmodum Hieremias ait) Diuorum numerus æquet nunc, vel potiùs superet numerum ciuitatum, & miseri mortales nesciant, ad quem se potissimùm debeant vertere, quodq; cum

Hier. 2. & 11.

cùm tot ſint, vt numerari non poſſint, illis tamen ſingulis ſuum cuiq; ab illis munus & officium, quid impetrare, quid dare, quid efficere debeant, deſcriptum eſt, ſed etiam quod ita non tantùm impiè, ſed etiam impudenter appellant virginem Matrem, vt ſe matrem eſſe meminerit, vt imperet filio, vt in illum vtatur jure ſuo.

39 Dicimus hominem natum eſſe in peccato, & in peccato vitam agere; neminem poſſe verè dicere mundum eſſe cor ſuum: juſtiſſimum quemque ſeruum eſſe inutilem: Legem Dei perfectam eſſe, & a nobis requirere perfectam, & plenam obedientiam: illi a nobis in hac vita ſatisfieri non poſſe vllo modo: neque eſſe mortalium quenquam, qui poſſit in conſpectu Dei proprijs viribus juſtificari: Itaque vnicum receptum noſtrum, & perfugium eſſe ad miſericordiam patris noſtri per Ieſum Chriſtum, vt certò animis noſtris perſuadeamus illum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris: ejus ſanguine omnes labes noſtras deletas eſſe: illum pacificaſſe omnia ſanguine crucis ſuæ: illum vnicâ illâ hoſtiâ, quam ſemel obtulit in cruce, omnia perfeciſſe, & eâ cauſâ cùm animam ageret, dixiſſe, conſummatum eſt: quaſi ſignificare vellet perſolutum iam eſſe pretium pro peccato humani generis. *Bernardus.*

40 Hoc ſacrificium, ſi qui ſunt qui non putant eſſe ſatis, eant ſanè & quærant aliud melius. Nos quidē & quia illud vnicum eſſe ſcimus, vno contenti ſumus, nec expectamus aliud: & quia ſemel tantū offerendum erat, non iubemus repeti: & quia plenū & omnibus numeris, & partibus perfectum erat, non ſubſtituimus continentes hoſtiarum ſucceſſiones.

41 Quamuis autem dicamus nihil nobis eſſe præſidij in operibus & factis noſtris, & omnem ſalutis noſtræ rationem conſtituamus in ſolo Chriſto, non tamen eâ cauſâ dicimus laxè & ſolutè viuendum eſſe, quaſi tingi tantum & credere, ſatis ſit homini Chriſtiano, & nihil ab eo aliud expectetur. Vera fides viua eſt, nec poteſt eſſe otioſa.

42 Sic ergo docemus populum, Deum vocaſſe nos, non ad luxum & libidinem, ſed vt Paulus ait, ad opera bona, vt in illis ambulemus. Deum eripuiſſe nos a poteſtate tenebrarum, vt ſeruiamus Deo viuenti: vt reſcindamus omnes reliquias peccati: vt in timore & tremore operemur ſalutem noſtram: vt appareat Spiritum ſanctificationis eſſe in membris noſtris, & Chriſtum ipſum per fidem in cordibus noſtris habitare.

43 Poſtremò credimus hanc ipſam carnem noſtram, in qua viuimus, quamuis mortua abierit in puluerem, tamen vltimo die redituram eſſe ad vitam propter ſpiritum Chriſti qui habitat in nobis. Tum vero quicquid hic interim patimur eius cauſâ, Chriſtum abſterſurum eſſe omnem lachrymam ab oculis noſtris: & nos propter illum fruituros eſſe æternâ vitâ, & ſemper futuros cum illo in gloria. Amen.

44 Iſtę ſunt horribiles illę hæreſes, quarum nomine bona pars orbis terrarum hodie a Pontifice inaudita condemnatur. In Chriſtum

potius, in Apoſtolos, in ſanctos Patres lis intendenda fuit: Nam ab illis iſta non tantùm profecta, ſed etiam conſtituta ſunt: niſi iſti fortè velint dicere, quod etiam fortaſſe dicent, Chriſtum non inſtituiſſe ſacram communionem, vt inter fideles diſtribueretur: aut Apoſtolos Chriſti, veteresque Patres dixiſſe priuatas Miſſas in omnibus angulis Templorum, modò denas, modo vicenas vno die: aut Chriſtum & Apoſtolos abegiſſe omnem plebem à Sacramento ſanguinis, aut id quod ab ipſis hodie vbiq; fit, atque ita fit vt eum condemnent pro hæretico, qui ſecus faciat, à Gelaſio ſuo non appellari ſacrilegium: aut non eſſe iſta verba Ambroſij, Auguſtini, Gelaſij, Theodoreti, Chryſoſtomi, Origenis, Panem & Vinum in Sacrmentis manere eadem quæ fuerant: illud quod videtur in ſacra menſa eſſe panem: non deſinere eſſe ſubſtantiam panis, & naturam vini: panis ſubſtantiam & naturam non mutari: aut illum ipſum panem, quod quidem ad materiam attinet, abire in ventrem & in ſeceſſum ejici: aut Chriſtũ, Apoſtolos, & ſanctos Patres non precatos eſſe eâ linguâ quæ a populo intelligeretur: aut Chriſtum vnicâ illâ hoſtiâ, quam ſemel obtulit non omnia perfeciſſe, aut illud ſacrificium fuiſſe imperfectum, vt nunc nobis opus ſit alio. Hæc illis omnia dicenda ſunt, niſi fortè malint hoc dicere, omne jus & fas eſſe concluſum in ſcrinio pectoris Pontificij: quodq; olim quidam ex ejus aſſeclis, & paraſitis non dubitauit dicere, illum poſſe diſpenſare contra Apoſtolum, contra Concilium, contra canones Apoſtolorum; & iſtis exemplis, atque inſtitutis, & legibus Chriſti non teneri.

Diſt. 36. Lecter in Gloſſa. Diſt. 82. Preſbyter.

45 Iſta nos didicimus à Chriſto, ab Apoſtolis, & ſanctis Patribus, & eadem bona fide docemus populum Dei: atque eâ cauſâ hodie ab Antiſtite ſcilicet religionis, appellamur Hæretici.

46 O Deum immortalem, ergo Chriſtus ipſe, & Apoſtoli, & tot Patres vnà omnes errauerunt? Ergo Origenes, Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Gelaſius, Theodoretus erant deſertores fidei Catholicæ? Ergo tot Epiſcoporum, & doctorum virorum tanta conſenſio, nihil aliud erat quàm conſpiratio Hæreticorum? Aut quod tum laudabatur in illis, id nunc damnatur in nobis? Quodque in illis erat Catholicum, id nunc mutatis tantùm hominum voluntatibus repentè factum eſt Schiſmaticum? aut quod olim erat verum, nunc ſtatim quia iſtis non placet erit falſum? Proferant ergo aliud Euangelium: aut cauſas oſtendant, cur iſta quæ tamdiu in Eccleſia Dei publicè obſeruata, & approbata fuerint, nunc demum oportuerit reuocari. Nos quidem illud verbum, quod a Chriſto patefactum, & ab Apoſtolis propagatum eſt, ſcimus & ad ſalutem noſtram, & ad omnem veritatem propugnandam, & ad omnem hæreſin conuincendam, eſſe ſatis. Ex illo nos ſolo omne genus veterum Hæreticorum, quos iſti nos aiunt ab inferis reuocaſſe, condẽnamus; & Arrianos, Eutychianos, Marcionitas, Ebionæos, Valen-

Valentinianos, Carpocratianos, Tatianos, Nouatianos, eóſque vno verbo omnes, qui vel de Deo patre, vel de Chriſto, vel de Sancto Spiritu, vel de vlla alia parte Religionis Chriſtianæ impiè ſenſerunt, quia ab Euangelio Chriſti coarguuntur, impios & perditos pronunciamus, & vſque ad inferorum portas deteſtamur: nec id ſolum, ſed etiam, ſi forte erumpant vſpiam, & ſeſe prodant, eos legitimis & ciuilibus ſupplicijs ſeuere, & ſerio coercemus.

47 Fatemur quidem nouas quaſdam, & antea non auditas ſectas, Anabaptiſtas, Libertinos, Mennonios, Zuenkfeldianos, ſtatim ad exortum Euangelij extitiſſe: verùm agimus Deo noſtro gratias, ſatis jam orbis terrarum videt, nos nec peperiſſe, nec docuiſſe, nec aluiſſe iſta monſtra. Legè ſodes, quiſquis es, libros noſtros: proſtant vbiq; venales. Quid vnquam ſcriptum eſt a quoquam noſtrorum hominum, quod poſſet apertè iſtorum fauere inſaniæ? Imò nulla hodie regio ita libera eſt ab iſtis peſtibus, atq; illæ ſunt, in quibus liberè & publicè docetur Euangelium. Quod ſi rem ipſam attentè & rectè putare velint, magnum hoc argumentum eſt, eſſe hanc Euangelij veritatem quam nos docemus. Nam nec lolium facile ſine frumẽto naſci ſolet, nec palea ſine grano. Statim ab Apoſtolorum ipſorum temporibus, cùm primùm propagaretur Euangelium, quis neſcit quot hæreſes vnà exortæ fuerint? Quis vnquam antea audierat Simonem, Menandrum, Saturninum, Baſilidem, Carpocratem, Cerinthum, Ebionem, Valentinum, Secundum, Marcoſium, Colorbaſium, Heracleonem, Lucianum, Seuerum? Ecquid iſtos commemoramus? Epiphanius numerat octoginta. Auguſtinus plures etiam diſtinctas hæreſes, quæ vnà creuerint cum Euangelio. Quid ergo? An Euangelium, quod vnà cum illo hæreſes naſcerentur, non erat Euangelium? aut Chriſtus eâ cauſâ non erat Chriſtus?

48 Neque tamen apud nos, vti diximus, pullulat iſta ſeges, qui publicè & liberè docemus Euangelium. Apud aduerſarios noſtros, in cæcitate ac tenebris iſtæ peſtes exordiuntur, & incrementa ac vires capiunt, vbi veritas tyrannide ſæuitiâq; opprimitur, nec niſi in angulis & occultis congreſſionibus audiri poteſt. Faciant ſanè periculum, dent curſum liberum Euangelio: luceat veritas Ieſu Chriſti, & radios in omnes partes porrigat, ſtatim videbunt vt nocturnam caliginem ad aſpectum ſolis, ita iſtas vmbras ad lucem Euangelij protinus euanuiſſe. Nam nos quidem omnes illas hæreſes, quas iſti nos alere, & fouere calumniantur, illis interim ſedentibus, atque aliud agentibus, quotidie repellimus, atque propulſamus.

49 Quòd autem dicunt nos in varias ſectas abijſſe, & velle alios Lutheranos, alios Zuinglianos appellari, neque adhuc potuiſſe ſatis inter nos ipſos de ſumma doctrinæ convenire, quid illi dixiſſent ſi primis

mis illis temporibus Apoſtolorum, & ſanctorum Patrum extitiſſent? cum alius diceret Ego ſum Pauli: alius Ego ſum Cephæ: alius Ego ſum Apollo: cùm Paulus Petrum reprehenderet: cùm ſimultatis cauſâ Barnabas à Paulo diſcederet: cùm, vt auctor eſt Origines, Chriſtiani in tot iam factiones diſtracti eſſent, vt nomen tantùm Chriſtianorum commune, aliud autem præterea nihil, Chriſtianorum ſimile retinerent: vtq; Socrates ait, diſſenſionum & ſectarum cauſâ in theatris à populo publicè riderentur: cumq; vt ait Imperator Conſtantinus, tot eſſent diſſenſiones & rixæ in Eccleſia, vt ea calamitas videri poſſet omnem aliam ſuperiorem calamitatem ſuperaſſe: cùm Theophilus, Epiphanius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Ruffinus, Hieronymus, omnes Chriſtiani, omnes Patres, omnes Catholici acerbiſſimis, atque etiam implacabilibus inter ſe contentionibus conflictarentur: cùm vt Nazianzenus ait, eiuſdem corporis membra inter ſe conſumerentur: cùm Oriens ab Occidente defermentato, & de Paſchate, non ita magnis de rebus ſcindèretur: cùm in omnibus Concilijs noua ſubindè Symbola, & noua decreta cuderentur? Quid iſti tum dixiſſent? Ad quos ſe potiſſimum applicuiſſent? Quos fugiſſent? Cui Euangelio credidiſſent? Quos pro hæreticis, quos pro Catholicis habuiſſent? Nunc duo tantum nominor Lutherus & Zuinglius, quas iſtis Tragœdias excitant? Vt quoniam illi duo de re aliqua nondum conſentiunt, idcirco vtrumq; erraſſe, neutrum habuiſſe Euangelium, neutrum verè ac rectè docuiſſe arbitremur?

50 Verùm ô Deus bone, quinam iſti tandem ſunt, qui diſſenſiones in nobis reprehendunt? An verò omnes iſti inter ſe conſentiunt? An ſinguli ſatis habent conſtitutum quid ſequantur? An inter illos nullæ vnquam diſſenſiones, nullæ lites extiterunt? Cur ergo Scotiſtæ & Thomiſtæ de merito congrui & condigni: de peccato originis in beata Virgine: de voto ſolenni & ſimplici, non meliùs inter ſe conueniunt? Cur Canoniſtę auricularem confeſſionem de jure humano, & poſitiuo eſſe aiunt; ſcholaſtici contra, de jure diuino? Cur Albertus Pighius à Caietano, Thomas à Lombardo, Scotus à Thoma, Occamus à Scoto, Allienſis ab Occamo, Nominales à Realibus diſſentiunt? Vtque taceam tot diſſentiones fraterculorum, & monachorum, quòd alij in piſcibus, alij in oleribus, alij in calceis, alij in crepidis, alij in lintea veſte, alij in lanea ſanctitatem conſtituunt, alij albati, alij pullati, alij latiùs, alij anguſtiùs raſi, alij ſoleati, alij nudi pedes, alij cincti, alij diſcincti ambulant? Meminiſſe debent eſſe aliquos ex ſuis qui dicant, Chriſti corpus adeſſe in cœna naturaliter: contra ex eiſdem illis ſuis eſſe alios qui negent: eſſe alios qui dicant corpus Chriſti ſacrâ communione dentibus noſtris lacerari & atteri, rurſus eſſe alios qui negent: eſſe alios qui ſcribant corpus Chriſti in Euchariſtia

Steph. Gardinerus in ſophiſtica diabuli. Richard. Faber. Recantatio Berengarij Scholæ & Gloſſæ. Guimundus De eon. Diſt. 2. Ego Berengar.

riſtia eſſe Quantum, eſſe alios contrà qui negent, eſſe alios qui Chriſtum diuinâ quadâm potentiâ: alios qui benedicendo, alios qui quinque conceptis verbis: alios qui eadem illa quinque verba repetendo, dicant conſecraſſe: Eſſe alios qui in illis quinque verbis, Hoc, pronomine demonſtratiuo putent panem triticeum: alios qui malint vagum quoddam indiuiduum indicari. Eſſe alios qui dicant canes & mures poſſe verè & reipſâ comedere corpus Chriſti: eſſe alios qui id conſtanter pernegent: eſſe alios qui dicant accidentia ipſa panis viniq; nutrire poſſe: eſſe alios qui dicant redire ſubſtantiam. Quid plura? prolixum ac permoleſtum eſſet omnia numerare. Ita vniuerſa forma horum religionis & doctrinæ, adhuc apud illos ipſos a quibus nata atque profecta eſt, prorſus incerta ac controuerſa eſt. Vix enim vnquam inter ſe conueniunt, niſi forte vt olim Phariſæi & Sadducæi, aut Herodes & Pilatus contra Chriſtum.

Thomas.

Gardinerus.

De conſecr. Diſt. 2. ſpecies in Gloſſa.

51 Eant ergo ſane, & pacem potiùs inter ſuos domi ſanciant. Vnitas quidem & conſenſio maximè conuenit religioni. Non tamen eſt ea certa & propria nota Eccleſiæ Dei. Summa enim erat conſenſio inter eos qui adorabant aureum vitulum: & inter eos qui coniunctis vocibus in Seruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum clamabant, Crucifige. Neque quia Corinthij diſſenſionibus inter ſe laborabant, aut quia Paulus à Petro, aut Barnabas à Paulo, aut Chriſtiani ſtatim ſub ipſis initijs Euangelij aliqua de re à ſe mutuò diſſidebant, idcirco nulla erat inter eos Eccleſia Dei? Illi quidem quos iſti contumeliæ cauſâ appellant Zuinglianos, & Lutheranos, re autem verâ ſunt vtriq; Chriſtiani, & inter ſe amici ac fratres. Non de principijs aut fundamentis Religionis noſtræ, non de Deo, non de Chriſto, non de ſancto Spiritu, non de ratione iuſtificationis, non de æterna vita, tantùm de vna nec ea ita graui aut magna quæſtione inter ſe diſſentiunt. Nec deſperamus, vel potius non dubitamus breui fore concordiam; & ſi qui ſunt qui aliter ſentiant quam par eſt, poſitis aliquando affectionibus, & nominibus, Deum id illis eſſe patefacturum, vt re melius animaduerſâ atque exploratâ, quod olim in Calcedonenſi Concilio factum eſt, omnes diſſenſionum cauſæ & fibræ ab ipſis radicibus extirpentur, & *dumtaxat* ſepeliantur ſempiternâ. AMEN.

52 Grauiſſimum verò eſt, quod nos dicunt eſſe homines impios, & omnem religionis curam abiecisse. Quanquam non debet id multùm nos mouere, quod illi ipſi, à quibus obijcitur, ſciunt contumelioſum & falſum eſſe. Nam Iuſtinus Martyr author eſt, cùm primùm Euangelium cœptum eſſet publicari, & Chriſti nomen patefieri, Chriſtianos omnes dictos fuiſſe *ἀθέους*. Cúmque Polycarpus ſtaret pro iudicio, populùs his vocibus incitauit Proconſulem ad cædem, & interfectionem eorum

Euseb. lib. 4. eorum omnium, qui Euangelium profiterentur, αἶρε τὸν ἄθεον, hoc est, Tolle de medio istos homines impios, qui Deum non habent. Non quòd Christiani Deum reuerâ non haberent, sed quòd saxa & stipites, quæ tum pro Dijs colebantur, non adorarent. Verùm orbis terrarum satis iam videt, quid nos nostrique ab istis, religionis, & vnius Dei nostri causâ perpessi sumus. In carceres, in aquas, in ignes nos abiecerunt, & in nostro sanguine volutati sunt, non quòd adulteri essemus, aut latrones, aut homicidæ; Sed tantùm quod agnosceremus Euangelium Iesu Christi, & speraremus in Deum viuum, quodq; nimium, (ô Deus bone) iustè veréque quereremur, traditionum inanissimarum causâ, violari ab istis Legem Dei, & aduersarios nostros, qui scientes & prudentes Dei iussa ita obstinatè contemnerent, esse hostes Euangelij, & inimicos crucis Christi.

53 Verùm isti cùm viderent doctrinam nostram non posse rectè accusari, maluerunt in mores nostros inuehere: nos omnia rectè facta damnare? ad licentiam, & libidinem fores aperire: & populum ab omni studio virtutis abducere. Et certè ea est semperq; fuit hominum omnium etiam & piorum & Christianorum vita, vt semper etiam in optimis & castissimis moribus etiam aliquid posses desiderare, eáque propensio omnium ad malum, eaq; omnium procliuitas ad suspicandum, vt quæ nec facta, nec cogitata vnquam fuerint, audiri tamen & credi possint. Vtq; in candidissima veste facilè exigua notatur labes; ita in vita candidissima facilè leuissima nota turpitudinis deprehenditur. Neque nos autem eos omnes qui amplexi sunt hodie doctrinam Euangelij, Angelos esse arbitramur, & prorsus sine macula vlla rugáque viuere: aut istos vel ita cæcos, vt si quid in nobis notari queat, non possint id vel per tenuissimam rimam animaduertere: vel ita candidos, vt quidquam velint in meliorem partem interpretari: vel ita ingenuos, vt oculos suos velint in se reflectere, & mores nostros de suis moribus æstimare. Quod si rem ipsam ab initijs velimus repetere; scimus temporibus ipsis Apostolorum fuisse homines Christianos propter quos Nomen Domini blasphemaretur, & malè audiret inter Gentes.

54 Queritur apud Sozomenum Imperator Constantius, multos postquam ad Christianam religionem accessissent, euasisse deteriores. De lapsis. Et Cyprianus lugubri oratione describit corruptelam sui temporis. Disciplinam (inquit) quam Apostoli tradiderant, otium iam & pax longa corruperat. Studebant augendo patrimonio singuli, & obliti quid credentes, aut sub Apostolis antè fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant.

55 Non in Sacerdotibus religio deuota, non in Ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta

rupta barba in viris, in fœminis forma fucata. Et ante illum Tertullianus, O miſeros (inquit) nos, qui Chriſtiani dicimur hoc tempore: Gentes agimus ſub nomine Chriſti.

56 Poſtremò ne omnes commemoremus, Gregorius Nazianzenus de miſerabili ſtatu ſuorum temporum ita loquitur: Vitiorum (inquit) noſtrorum cauſâ odio iam laboramus inter gentes. Spectaculum enim facti ſumus non ſolùm Angelis & hominibus, ſed etiam omnibus impijs. Hoc loco erat Eccleſia Dei, cum primùm lucere cœpiſſet Euangelium, cùm nondum rabies tyrannorum refrixiſſet, aut gladios à Chriſtianorum hominum ceruicibus ablatus eſſet. Scilicet non eſt nouum, homines, eſſe homines, etiamſi appellentur Chriſtiani.

57 Sed iſti cùm ita odioſè nos accuſant, nihilne interim de ſe cogitant? An illi quibus tam procul ſpectare, & quid in Germania, quidq; in Anglia agatur videre otium eſt, aut obliti ſunt, aut videre non poſſunt quid agatur Romæ? An nos ab illis accuſamur, de quorum vita nemo poteſt ſatis honeſtè, & verecundè commemorare?

58 Nos quidem non ſumimus, id nobis hoc tempore, vt ea quæ vna cum ipſis ſepulta eſſe opportebat, in lucem & in conſpectum proferamus. Non eſt id religionis, non eſt verecundiæ, non eſt pudoris noſtri. Ille tamen qui ſe Chriſti vicarium, & Eccleſiæ caput dici iubet, qui audit iſta Romæ fieri, qui videt, qui patitur, nihil enim aliud addimus, qualia ea ſint, facilè poteſt cum animo ſuo cogitare. Redeat enim illi ſanè in memoriam: cogitet Canoniſtas illos ſuos eſſe, qui populum docuerunt ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum: quaſi illam doctrinam ex Mitione comico didiciſſent: Non eſt peccatum mihi crede, adoleſcentulum ſcortari. Cogitet ſuos illos eſſe qui decreuerunt Sacerdotem fornicationis cauſâ non eſſe ſummouendum. Meminerit Cardinalem Campegium, Albertum Pighium, alioſque complures ſuos docuiſſe, Sacerdotem illum multò ſanctiùs, & caſtiùs viuere, qui alat concubinam, quàm qui vxorem habeat in matrimonio. Nondum ille, ſpero, oblitus eſt, multa eſſe Romæ publicarum meretricum millia, & ſe ex illis in ſingulos annos, vectigalis nomine, colligere ad triginta millia ducatorum. Obliuiſci non poteſt ſe Romæ lenocinium publicè exercere, & de fœdiſſima mercede fœdè ac nequiter deliciari. An omnia tum Romæ ſatis aut ſalua aut ſancta erant, cum Iohanna fœmina integræ ætatis, magis quàm vitæ, eſſet Papa, & ſe gereret pro capite Eccleſiæ: Et cùm ſe biennium totum in illa ſancta ſede aliorum libidini expoſuiſſet, poſtremò in luſtranda Ciuitate, inſpectantibus Cardinalibus & Epiſcopis, palàm pareret in publico.

59 Sed quid opus erat concubinas & lenones commemorare? vulgare enim iam illud Romæ, & publicum & non inutile peccatum eſt. Meretrices enim ibi iam ſedent, non vt olim extra ciuitatem, ob-

Iohannes de Magiſtris de Temperantia.

3. quæſt. 7. Iata Extra, de Bigamis. Quia circa.

Statua eiuſdem fœminæ parturientis ad hunc Romæ eſt.

Geneſis. 38.

In Consilio dilectorum Cardinalium, to. 3.

De consideratione ad Eugenium.

nupto & obuoluto capite, sed in Palatijs habitant, per forum vagantur aperta fronte, quasi id non tantum liceat, sed etiam laudi etiè debeat. Quid plura? Illorum iam libidines terrarum orbi sunt satis notæ. D. Bernardus, de Pontificis familia, ipsóque adeò Pontifice, liberè & verè scribit. Aula, inquit bonos recipit, non facit: Mali ibi proficiunt, boni deficiunt. Et quicunque ille fuit, qui scripsit opus Tripartitum, quod adiunctum est ad Concilium Lateranense: Tantus inquit hodie est luxus, non tantùm in Clericis & Sacerdotibus, sed etiam in Prælatis & Episcopis, vt horribile sit auditu.

60 Atqui ista non tantùm vitata sunt, & eâ causâ consuetudinis & temporis gratiâ approbata, vt cætera fere istorum ferè omnia, sed etiam antiquâ iam & putida. Quis enim, non audiuit quid Petrus Aloisius, Pauli tertij filius designârit in Cosmum Cherium Episcopum Faenensem? Quid Iohannes Casa Archiepiscopus Beneuentanus, legatus Pontificis apud Venetos, scripserit de horrendo scelere, & quod ne fando quidem audiri debeat, id verbis spurcissimis & sceleratâ eloquentiâ commendârit? Quis non audiuit Alphonsum Diazium Hispanum, cùm eâ gratiâ Roma missus fuisset in Germaniam, innocentissimum ac sanctissimum virum Iohannem Diazium fratrem suum, tantùm quod amplexus esset Euangelium Iesu Christi, & Romam redire nollet; nefariè atque impiè interfecisse? Sed ista (inquient) in republica optimè constituta, etiam inuitis magistratibus, possunt interdum accidere, & bonis legibus vindicantur.

61 Esto sanè. Sed quibus bonis legibus animaduersum est in istas pestes. Petrus Aloysius cùm ea flagitia, quæ diximus, designasset, semper fuit in sinu atque in delitijs apud patrem suum Paulum Tertium. Diazius interfecto fratre suo Pontificis ope ereptus est, ne in eum animaduerteretur bonis legibus. Iohannes Casa Archiepiscopus Beneuentanus adhuc viuit, imo etiam Romæ, & in Sanctissimi oculis & conspectu viuit. Occiderunt fratrum nostrorum infinitum numerum, tantum quòd verè, ac purè crederent in Iesum Christum. Ac ex illo tanto numero meretricum, scortatorum, adulterorum quem vnquam, non dico, occiderunt, sed aut excommunicauerunt, aut omnino attigerunt? An verò libidines, adulteria, lenocinia, scortationes, parricidia, incestus, & alia nequiora Romæ peccata non sunt? Aut si sunt in Vrbe Roma, in arce Sanctitatis, à Vicario Christi, à Successore Petri, à sanctissimo Patre ita facilè & leuiter, quasi peccata non sint, ferri possunt?

62 O Sancti Scribæ & Pharisæi, quibus ista sanctitas nota non fuit. O Sanctitatem & fidem Catholicam. Non ita Petrus Romæ docuit: Paulus non ita Romæ vixit. Non illi lenocinium publicè exercuerunt: non illi vectigal & censum à meretricibus exegerunt, non illi adulteros

& par-

& parricidas palàm & impunè tolerârunt: non eos in ſinum, non in Concilium, non in familiam, non in Chriſtianorum hominum cœtum receperunt. Non debebant iſti tantopere exaggerare vitam noſtram. Conſultius multò fuit, vt prius vel approbarent hominibus, vel certè occultius aliquanto tegerent vitam ſuam.

63 Nam nos quidem vtimur priſcis & auitis legibus, & quantum his moribus & temporibus, in tanta corruptela rerum omnium poteſt fieri, diſciplinam Eccleſiaſticam diligenter & ſeriò adminiſtramus. Proſtibula quidem meretricum, & concubinarum, & ſcortatorum greges non habemus; nec adulteria matrimonijs anteponimus, nec lenocinium exercemus: nec de fornicibus ſtipendia colligimus, nec inceſta, & flagitioſas libidines, nec Aloiſios, nec Caſas, nec Diazios parricidas impunè ferimus. Nam ſi iſta nobis placuiſſent, nihil opus erat vt ab iſtorum ſocietate, vbi ea vigent & habentur in pretio, diſcederemus, & eâ cauſâ in odia hominum, & in certiſſima pericula incurreremus. Habuit Paulus Quartus ante non ita multos menſes Romæ in carcere aliquot fratres Auguſtinianos, & complures Epiſcopos, & magnum numerum aliorum piorum hominum religionis cauſâ: habuit tormenta: exercuit in illos quæſtiones: nihil reliquit intentatum. Ad extremum ex illis omnibus, quot potuit mœchos, quot ſcortatores, quot adulteros, quot inceſtos inuenire? Sit Deo noſtro gratia: etſi illi non ſumus, quos eſſe oportebat, quoſq; profitemur, tamen quicunq; ſumus, ſi cum iſtis conferamur, vel vita noſtra atque innocentia facilè has calumnias refutabit. Nos enim non tantùm libris & concionibus, ſed etiam exemplis & moribus populum ad omne genus virtutis, & rectè factorum cohortamur. Euangelium docemus non eſſe oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ; vtque Tertullianus ait, Chriſtianum hominem non loqui magnificè oportere, ſed magnificè viuere, nec auditores ſed factores legis, iuſtificari apud Deum. *In Apologetico. 45.*

Ad hæc omnia hæc etiam ſolent addere, idque omni conuitiorum genere amplificare, nos eſſe homines turbulentos, regibus ſceptra de manibus eripere, populum armare, tribunalia euertere, leges reſcindere, poſſeſſiones diſſipare, regna ad popularem ſtatum reuocare, ſurſum deorſum omnia confundere: breuiter in republica nihil integrum eſſe velle. O quoties his verbis inflamauerunt animos principum, vt illi in herba extinguerent lucem Euangelij, priuſque illud odiſſe inciperent, quàm noſſe poſſent: vtque Magiſtratus, quoties aliquem videret noſtrûm, toties ſe putaret hoſtem videreſuum! *Rom. 10.* *Tertullian. in Apologet. 1. 2. & 3.*

64 Moleſtum quidem nobis eſſet ita odioſè accuſari grauiſſimo crimine Majeſtatis, niſi ſciremus Chriſtum ipſum aliquando, & Apoſtolos, & infinitos alios homines pios, & Chriſtianos, vocatos fuiſſe in inuidiam, eodem ferè crimine. Nam Chriſtus quidem quamuis docuiſſet,

isset, dandum esse Cæsari quod esset Cæsaris, tamen accusatus est seditionis, quod res nouas moliri, & regnum appetere diceretur: itaque occlamarum est pro tribunalibus publicè aduersus eum: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Et Apostoli, quamuis semper & constanter docuissent obtemperandum esse Magistratibus: omnem animam superioribus potestatibus esse subditam: idque non tantùm propter iram & vindictam, sed etiam propter conscientiam: tamen dicti sunt commouere populum, & multitudinem ad rebellionem incitare. A manus hoc maximè pacto genus, & nomen Iudæorum adduxit in odium apud regem Assuerum, quod illos diceret esse populum rebellem & contumacem, & principum edicta & justa cotemnere. Impius rex Achabus, Eliæ Prophetę Dei, Tu, inquit, conturbas Israel. Amasias Sacerdos Bethel, apud Regem Hieroboam, accusat Amos Prophetam conspirationis: Ecce inquit, Amos coniurationem fecit contra te, in medio domus Israel. Breuiter Tertullianus ait, aduersus omnes Christianos hanc suo tempore accusationem fuisse publicam: esse illos proditores, esse perduelles, esse hostes humani generis.

Hosser.

3. Reg. 18.

Amos. 7.

In Apologet. cap. 37.

65 Quare si nunc quoque veritas malè audiat, & eadem cùm sit, ijsdem nunc contumelijs afficiatur, quibus affecta est olim, & id molestum, & ingratum est, nouum tamen aut insolens videri non potest.

66 Facile istis fuit ante annos quadraginta, ista maledicta, & alia grauiora in nos confingere, cùm in medijs illis tenebris exoriri primùm cœpisset & lucere, radius aliquis ignotæ tum & inauditæ veritatis: cùm Martinus Lutherus, & Huldericus Zuinglius præstantissimi viri, & ad illustrandum orbem terrarum à Deo dati, primùm accessissent ad Euangelium; cùm & res adhuc noua esset, & euentus incertus, & animi hominum suspensi atque attoniti, & aures apertæ ad calumnias, & nullum in nos tam graue flagitium fingi posset, quod non propter rei ipsius nouitatem, atque insolentiam, facilè à populo crederetur. Ita enim veteres hostes Euangelij, Symmachus, Celsus, Iulianus, Porphyrius, olim aggressi sunt accusare omnes Christianos, seditionis, & maiestatis, antequam aut princeps, aut populus, quinam illi Christiani essent, aut quid profiterentur, aut quid crederent, aut quid vellent, scire possent. Nunc verò, postquam hostes nostri vident, & negare non possunt, nos semper omnibus dictis nostris, scriptisq; diligenter admonuisse populum officij sui, vt principibus suis & magistratibus quamuis impijs obtemperarent; idque & vsus ipse & experientia satis docet, & omnium hominum, quicúnque atque vbicunq; sunt, oculi vident, & contestantur: putidum erat ista obijcere, & cùm noua & recentia crimina nulla essent, absoletis tantùm mendacijs, nobis inuidiam facere voluisse.

67 Agimus enim Deo nostro, cuius hæc solius causa est, gratias, in omnibus

omnibus regnis, ditionibus, rebuſpub. quæ ad Euangelium acceſſerunt, nullum vnquam adhuc huiuſmodi exemplum extitiſſe. Nullum enim nos regnum euertimus: Nullius ditionem aut iura minuimus: Rempub. nullam turbauimus. Manent adhuc ſuo loco, & auitâ dignitate Reges Angliæ noſtræ, Daniæ, Suetiæ: Duces Saxoniæ: Comites Palatini: Marchiones Brandeburgici: Lantgrauiæ Heſſiæ: Reſpub. Heluetiorum, & Rhetorum: & liberæ Ciuitates, Argentina, Baſilea, Francofordia, Vlma, Auguſta, Norinberga, omnes eodem iure, eodémque ſtatu quo fuerunt antea: vel potius quia propter Euangelium, populum habent obſequentiorem, multò meliore. Eant ſanè in illa loca vbi nunc Dei beneficio auditur Euangelium, vbi plus maieſtatis? vbi minus faſtus & tyrannidis? vbi princeps magis colitur? vbi populus minùs tumultuatur? vbi vnquam fuit publica res, vbi Eccleſia tranquillior?

68 At Ruſtici, inquies, à principio huius doctrinæ, paſſim cœperunt furere & tumultuari per Germaniam: Eſto. At in illis promulgator huius doctrinæ Martinus Lutherus, vehementiſſimè atque acerrimè multa ſripſit; eoſq; ad pacem & ad obedientiam reuocauit.

69 Quod autem obijci ſolet interdum ab hominibus imperitis rerum, de mutato ſtatu Heluetiorum, & interfecto Duce Auſtriæ Leopoldo, & patriâ in libertatem vindicatâ, factum eſt id, vti ex omnibus hiſtorijs ſatis conſtat, ante annos ducentos ſexaginta, ſub Bonifacio Octauo, cùm maximè vigeret poteſtas Pontificũ, ducentos circiter annos antequam Huldericus Zuinglius, aut docere inciperet Euangelium, aut omnino natus eſſet. Ex eo verò tempore ſemper illi omnia pacata ac tranquilla habuerunt, non tantùm ab hoſte externo, ſed etiam à tumultu inteſtino.

70 Quòd ſi peccatum fuit patriam ſuam ab externa dominatione, præſertim cùm inſolenter & tyrannicè opprimerentur, liberare; tamen vel nos alienis, vel illos auitis criminibus onerare, & iniquum, & abſurdum eſt.

71 Sed ô Deum immortalem! an Romanus Epiſcopus accuſabit nos perduellionis? An ille docebit populum obtemperare atq; obſequi Magiſtratibus? Aut omninò rationẽ Maieſtatis habet vllam? Cur ergo nunc ille, quod nullus veterũ Epiſcoporũ Romanorum vnquam fecit, quaſi omnes Reges & Principes, quicunq; atq; vbicunq; ſint, velit eſſe ſeruos ſuos, patitur ſe à ſuis paraſitis Dominum Dominantiũ appellari? Cur ille ſe iactat eſſe Regem Regum, & habere ius Regium in ſubditos? *Augu. Stenchus. Anton. de Roſſell.*

72 Cur omnes Imperatores & Monarchas iure iurando adigit in verba ſua? Cur maieſtatem Imperatoriam ſeptuagies ſepties ſe inferiorem eſſe gloriatur, idque eâ maximè cauſâ, quòd Deus duo lumina in cœlo fecerit; quodq; cœlum & terra non in duobus principijs, ſed in *De Maior. & obed. ſolute.*

vno

De Major. & obed. Vnam ſanctam.

vno principio creata fuerint? Cur ille eiúſque ſectatores Anabaptiſtarum, & Libertinorum more, quò licentiùs & ſecuriùs graſſarentur iugum excuſſerunt, & ſe ab omni ciuili poteſtate exemerunt?

73 Cur ille Legatos ſuos, hoc eſt callidiſſimos exploratores, habet tanquam in inſidijs, in aulis, in concilijs, in cubiculis regum omnium? Cur ille vbi viſum eſt, principes Chriſtianos inter ſe committit, & pro ſuo libidine turbat ſeditionibus orbem terrarum? Cur proſcribit, & pro Ethnico & Pagano haberi vult, ſi quis princeps Chriſtianus ab imperio ſuo diſceſſerit: & indulgentias ita liberaliter pollicetur, ſi quis quacunque ratione interficiat hoſtem ſuum? An ille conſeruat regna & imperia, aut omninò conſultum cupit otio publico? Ignoſcere nobis debes pie Lector, ſi iſta videmur acriùs, & vehementiùs agere, quam deceat homines Theologos. Tanta enim eſt rei indignitas, tantáque in Pontifice, tamq; impotens libido dominandi, vt alijs verbis, aut tranquillius proponi non poſſit. Ille enim in publico Concilio auſus eſt dicere omne ius regum omnium à ſe pendere, Ille ambitionis & regnandi cauſâ diſtraxit Romanum imperium, & commouit, & lacerauit orbem Chriſtianum. Ille Romanos atque Italos, ſeq; adeo ipſum iureiurando, quo imperatori Græco obſtringebatur, perfidè liberauit: & ſubditos ad defectionem ſollicitauit: & Carolum magnum Martellum è Gallia in Italiam euocauit, & eum nouo more Imperatorem fecit. Ille Gallorum Regem Chilperichum, non malum principem, tantùm quod ipſi non placeret de regno deiecit, & in eius locum Pipinum ſurrogauit. Ille electo ſi id efficere potuiſſet, Philippo Pulchro rege, decreuit, atque adiudicauit regnum Galliæ Alberto Regi Romanorum. Ille Florentiſſimæ ciuitatis, & Reipub. Florentiæ patriæ ſuę opes fregit, eámq; è libero & tranquillo ſtatu, vnius libidini in manum tradidit. Ille cohortatione ſuâ effecit, vt tota Sabaudia, hinc ab imperatore Carolo Quinto, inde à Gallorum Rege Franciſco, miſerè diſcerperetur, & infœlici Duci vix vna Ciuitas, quo ſe reciperet relinqueretur.

Clemens. 5. in Concil. Vienneſi, Leo Papa.

Zacharias Papa.

Clemens Papa 7.

Idem Clemens.

74 Tædet exemplorum, & moleſtum eſſet omnia Romanorum Pontificum egregiè facta commemorare. Quarum obſecro partium erant illi, qui Henricum ſeptimum Imperatorem veneno ſuſtulerunt in Euchariſtia? Qui Victorem Papam in ſacro calice? Qui Iohannem noſtrum Regem Angliæ in menſario poculo? Quicunque illi tandem, & quarumcunque partium fuerint, Lutherani certè, aut Zuingliani non fuerunt. Quis hodie ſummos Reges & Monarchas admittit ad oſcula beatorum pedum? Quis Imperatorem iubet ſibi aſtare ad frænum: & Gallorum Regem ad ferrum illud penſile, quo in equum aſcenditur? Quis Franciſcum Dandalum, Ducem Venetiarum, Regem Cretæ ac Cypri, catenis Vinctum abiecit ſub menſam ſuam, vt oſſa

Sabellicus.

oſſa liguriret inter canes? Quis Imperatori Henrico ſexto Romæ diadema non manu, ſed pede impoſuit; & eodem pede rurſus deiecit, atque etiam addidit, habere ſe poteſtatem & creandi Imperatores & ſummouendi? Quis Henricum filium armauit in Imperatorem Henricum Quartum patrem ſuum, effecitq; vt pater à filio ſuo caperetur, & detonſus atque ignominioſe habitus conijceretur in Monaſterium, & inedià, & mœrore contabeſceret? Quis ceruices Imperatoris Friderici ſubiecit fœdum in modum pedibus ſuis? & quaſi id non eſſet ſatis addidit etiam inſuper ex Pſalmis Dauidis; Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, conculcabis leonem, & draconem: quale exemplum ſpretæ & contemptæ Maieſtatis, nunquam anteà vlla memoria auditum fuerat: niſi fortè vel in Tamberlane Scytha, homine fero & barbaro, vel in Sapore Rege Perſarum?

Cæleſtinus papa.

Hildebrandus papa.

Alexand. 3.

75 Omnes illi fuerunt Papæ: omnes ſucceſſores Petri: omnes ſanctiſſimi quorum ſingulas voces, ſingula nobis oporteat eſſe Euangelia.

76 Si nos rei ſumus Maieſtatis, qui principes colimus, qui illis omnia, quantum quidem per verbum Dei fas eſt, deferrimus, qui pro illis precamur, quid ergo iſti ſunt, qui non tantùm hæc fecerunt omnia, ſed etiam ea quaſi optimè facta comprobârunt? An verò illi aut ad hunc modum docent populum reuereri magiſtratum, aut ſatis verecundè poſſunt nos, tanquam homines ſeditioſos, & perturbatores pacis publicæ, & maieſtatis contemptores accuſare? Nam nos quidem nec iugum excutimus, nec regna mouemus, nec reges aut facimus, aut dejicimus, nec imperia tranſferimus, nec regibus noſtris venena propinamus, nec illis pedes oſculandos porrigimus, nec pedibus noſtris illorum ceruicibus inſultamus. Hæc potiùs eſt profeſſio, hæc eſt doctrina noſtra: omnem animam quæcunque tandem ea ſit, ſine ſit monachus, ſiue Euangeliſta, ſiue Propheta, ſiue Apoſtolus, oportere regibus & magiſtratibus eſſe ſubditam, & Pontificem adeo ipſum, niſi Euangeliſtis, niſi Prophetis, niſi Apoſtolis maior videri velit, quod veteres Epiſcopi Romani melioribus temporibus ſemper fecerunt, oportere Imperatorem Dominum ſuum & agnoſcere, & appellare. Nos publicè docemus ita obtemperandum eſſe principibus, tanquam hominibus à Deo miſſis: quique illis reſiſtit, illum Dei ordinationi reſiſtere: Hæc ſunt inſtituta noſtra: hæc in libris, hæc in concionibus noſtris: hæc in moribus, & modeſtiâ populi noſtri eluceſcunt.

Chryſoſtomus. 13. ad Roman.

Gregorius ſæpe in Epiſt.

77 Illud verò quod nos dicunt diſceſſiſſe ab vnitate Eccleſiæ Catholicæ, non tantùm eſt odioſum, ſed etiam etſi verum non eſt, tamen ſpeciem aliquam & ſimilitudinem habet veri. Apud populum verò & imperitam multitudinem, non tantùm vera & certa fidem faciunt, ſed etiam ſi quæ ſunt quæ videri poſſint veriſimilia. Itaque videmus vafros homines

homines & callidos, quibus vera non ſuppeterent, ſemper veriſimilibus pugnauiſſe, vt qui rem ipſam penitus intueri non poſſent, ſpecie ſaltem aliqua & probabilitate caperentur. Olim quod veteres Chriſtiani patres noſtri, cùm preces Deo adhiberent ad orientem ſolem converterentur, erant qui dicerent eos Solem venerari, & habere pro Deo. Cumq; illi dicerent ſe, quod ad æternam & immortalem vitam attinet, non aliunde viuere, quàm de carne & ſanguine eius Agni qui non haberet labem, hoc eſt, ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti: inuidi & inimici crucis Chriſti, quibus id tantum erat curæ, vt religio Chriſtiana quacunq; ratione malè audiret, perſuaſerunt populo, eſſe eos homines impios, mactare humanas hoſtias, & ſanguinem humanum bibere. Cumq; illi dicerent, apud Deum nec marem eſſe, nec fœminam, nec omninò, quod ad juſtitiam adipiſcendam attinet, diſtinctionem eſſe vllam perſonarum, ſeque omnes inter ſe ſorores, fratreſq; ſalutarent: non deerant qui calumniarentur, Chriſtianos nullum habere inter ſe diſcrimen, aut ætatis aut generis; ſed omnes beſtiarum ritu promiſcuè inter ſe concumbere. Et cum precationis & Euangelij audiendi cauſâ, ſæpè inter ſe in crypta & abdita quædam loca conuenirent, quòd idem interdum ab hominibus coniuratis ſoleret fieri, rumores publicè ſpargebantur eos conſpirare inter ſe, & habere conſilia, vel de occidendis magiſtratibus, vel de euertenda republica. Quòdq; ad agitanda ſacra Myſteria & de inſtituto Chriſti, adhiberent panem & vinum, putabantur à multis non Chriſtum colere, ſed Bacchum & Cererem: quòd illa numina ab Ethnicis hominibus profana ſuperſtitione, ſimili ritu pane & vino colerentur.

Tertulian in Apol. cap. 16.

Tertulian. in Apolo. cap. 7. 8. 9.

Idem. cap. 39.

Auguſtinus.

78 Credebantur iſta à multis, non quòd vera eſſent, quid enim eſſe poſſet minus? ſed quòd eſſent veriſimilia, & ſpecie aliqua veri poſſent fallere.

79 Ita iſti nos calumniantur eſſe Hæreticos, ab Eccleſia & Chriſti communione diſceſſiſſe: non quòd iſta vera eſſe credant, neque enim id illis curæ eſt, ſed quòd ea hominibus imperitis, poſſint aliqua fortè ratione videri vera. Nos enim diſceſſimus, non vt Hæretici ſolent, ab Eccleſia Chriſti, ſed, quòd omnes boni debent, à malorum hominum & hypocritarum contagione. Hic tamen iſti mirificè triumphant: illam eſſe Eccleſiam: Illam eſſe ſponſam Chriſti: Illam eſſe columnam veritatis: Illam eſſe arcam Noë, extra quam nulla ſalus ſperari poſſit: Nos verò diſceſſionem feciſſe: CHRISTI tunicam laceraſſe: à corpore Chriſti auulſos eſſe, & à fide Catholica defeciſſe. Cumque nihil relinquant indictum, quod in nos, quamuis falſò, & calumnioſè dici poſſit, hoc tamen vnum non poſſunt dicere: nos vel à verbo Dei, vel ab Apoſtolis Chriſti, vel à primatiua Eccleſia deſciuiſſe.

80 Atqui nos Chriſti, & Apoſtolorum, & ſanctorum Patrum, primitiuam

mitiuam Eccleſiam, ſemper iudicauimus eſſe Catholicam: nec eam dubitamus arcam Noe, ſponſam Chriſti, columnam & firmamentum veritatis appellare: aut in ea omnem ſalutis noſtræ rationem collocare.

81 Odioſum quidem eſt à ſocietate cui aſſueueris diſcedere, maximè verò illorum hominum, qui quamuis non ſint, tamen videantur ſaltem, atque appellentur Chriſtiani. Et certè nos iſtorum Eccleſiam, qualiſcunque tandem ea nunc eſt, vel nominis ipſius cauſâ, vel quod in ea Euangelium Ieſu Chriſti aliquando verè, ac purè illuſtratum fuerit, non ita contemnimus: nec ab ea niſi neceſſario, & perinuiti diſceſſionem feciſſemus. Sed quid ſi in Eccleſia Dei idolum excitetur, & deſolatio illa quam Chriſtus futuram prædixit, ſtet palam in loco Sancti? Quid ſi arcam Noe prædo aliquis, aut pirata occuper? Certè iſti quoties Eccleſiam nobis prædicant, ſeipſos ſolos eam faciunt: & omnes illos titulos ſibi ipſis adſcribunt; atque ita triumphant, vt olim illi qui clamabant Templum Domini, Templum Domini, aut vt Phariſæi & Scribæ, cùm iactarent ſe eſſe filios Abrahami. *Ioan. 8.*

82 Ita inani ſplendore imponunt ſimplicibus, nóſq; nomine ipſo Eccleſiæ quærunt obruere: vt ſi latro occupatâ domo aliquâ alienâ, & vel vi exturbato, vel interfecto Domino, eam poſteà aſcribat ſibi & herilem filium de poſſeſſione deijciat: aut ſi Antichriſtus poſtquam occupabit Templum Dei, dicat poſteà illud iam eſſe ſuum, & nihil ad Chriſtum pertinere. Nam iſti quidem cùm in Eccleſia Dei nihil Eccleſiæ ſimile reliquerint, Eccleſiæ tamen patroni & propugnatores videri volunt, prorſus vt Gracchus olim defendebat ærarium cum largitionibus faciendis, & inſanis ſumptibus ærarium funditus effudiſſet. Nihil autem vnquam tàm impium aut abſurdum fuit, quin Eccleſiæ nomine facilè tegi & defendi poſſet. Faciunt enim etiam Veſpæ fauos: & impij cœtus habent ſimiles Eccleſiæ Dei.

83 At non quicunque dicuntur populus Dei, ſunt ſtatim populus Dei: nec quicunque ſunt ex patre Iſraele, ſunt omnes Iſraelitæ. Hæretici, Arriani, ſeſolos iactabant eſſe Catholicos: cæteros omnes modò Ambroſianos, modò Athanaſianos, modò Ioannitas appellabant. Neſtorius (vt ait Theodoretus) cum eſſet hæreticus tamen tegebat ſe τὸν ὀρθόδοξα φρονοῦντα, hoc eſt ſpecie quadam, ac velo Orthodoxæ fidei. Ebion quamuis ſentiret cum Samaritanis, tamen vt Epiphanius ait, appellari volebat Chriſtianus. Mahometaſti hodie, quamuis eos ex omnibus hiſtorijs ſatis conſtet, idq; ipſi negare non poſſint, ab Agara ancilla ducere originem, tamen quaſi oriundi ſint à Sara muliere libera, & vxore Abrahami, nominis ipſius & ſtirpis cauſâ, malunt appellari Saraceni. *Auguſt. Epiſt. 48. ad Vincen.*

84 Ita Pſeudoprophetæ omnium temporum, qui ſeſe Prophe-

tis.

tis Dei, qui Eſaiæ, qui Hieremiæ, qui Chriſto, qui Apoſtolis opponebant, nihil vnquam æquè crepabant atque nomen Eccleſiæ. Neq; eos alia de cauſa ita acerbè lacerabant, aut perfugas & Apoſtatas appellabant, quàm quòd à ſua ſocietate diſceſſiſſent, & inſtituta maiorum non obſeruarent. Quod ſi nos hominum tantum illorum, à quibus tum Eccleſia regebatur iudicium ſequi, aliud autem nihil, nec Deum, nec eius verbum ſpectare volumus, negari prorſus non poteſt, Apoſtolos, quòd à Pontificibus & Sacerdotibus, hoc eſt, ab Eccleſia Catholica defeciſſent, & illis inuitis & reclamantibus, multa in religione innouaſſent, rectè fuiſſe ab illis, & ſecundū leges cōdemnatos. Itaque vt Antæum aiunt olim ab Hercule tollendum fuiſſe à Terra matre, antequam ab eo poſſet vinci: ita Aduerſarij noſtri ab iſta matre ſua, hoc eſt, ab iſta inani ſpecie atque vmbra Eccleſiæ, quam præ ſe gerunt, leuandi ſunt; alioqui non poſſunt credere verbo Dei. Itaque Hieremias, Nolite (inquit) tantoperè iactare eſſe apud vos Templum Domini: vana ea fiducia eſt. Sunt enim iſta (inquit) verba mendacij. Et Angelus in Apocalypſi; Dicunt (inquit) ſe Iudæos eſſe, at ſunt Synagoga Satanæ. Et Chriſtus, cùm Phariſęi iactarent genus & ſanguinem Abrahami: Vos (inquit) ex diabolo patre eſtis: Abrahamum enim patrem non refertis. Ac ſi illis ita diceret: Non eſtis id quod tantoperè dici vultis, Imponitis populo inanibus titulis, & ad euertendam Eccleſiam abutimini nomine Eccleſiæ. Quare hoc iſtos primùm liquidò & verè probaſſe oportuit, Eccleſiam Romanā eſſe veram & orthodoxam Eccleſiam Dei, eamq; vt hodie ab iſtis adminiſtratur, cum Primitiua Chriſti, Apoſtolorum, & ſanctorum Patrum Eccleſia, quam non dubitamus fuiſſe Catholicam, conuenire. Nos quidem ſi inſcitiam, ſi errorem, ſi ſuperſtitionem, ſi cultum Idolorum, ſi hominum inuenta, eáque ſæpe pugnantia cum ſacris Scripturis, iudicaſſemus aut placere Deo, aut ad æternam ſalutem eſſe neceſſaria: aut ſi ſtatuere potuiſſemus, verbum Dei ad aliquot tantùm annos fuiſſe ſcriptum, poſteà oportuiſſe abrogari aut omninò dicta & juſſa Dei ſubijcienda eſſe voluntati humanæ, vt quicquid ille dicat aut jubeat, niſi Romanus Epiſcopus idem velit ac jubeat, pro irrito & indicto habendum ſit: ſi hæc in animum noſtrum inducere potuiſſemus credere: fatemur nihil fuiſſe cauſæ, cur iſtorum ſocietatem relinqueremus. Quod autem nunc fecimus, vt diſcederemus ab ea Eccleſia, cujus errores teſtati ac manifeſti eſſent, quæq; jam apertè diſceſſiſſet à verbo Dei, neq; tam ab ea quàm ab ejus erroribus, idque non turbulentè aut improbe, ſed tranquillè ac modeſtè faceremus, nihil aut à Chriſto, aut ab Apoſtolis fecimus alienum. Neq; enim ea eſt Eccleſia Dei quæ infuſcari labe aliqua non poſſit aut non interdum egeat inſtauratione: alioqui quid tot coitionibus, & concilijs opus eſt, ſine quibus, vt ait Ægidius, ſtare fides Chriſtiana non poteſt?

Ioan. 8.

In Lateran. concil. ſub Iulio.

poteſt? Quoties enim inquit Concilia intermittuntur, toties Eccleſia à Chriſto derelinquitur. Aut ſi nihil periculi eſt, ne quid Eccleſia detrimenti accipiat, quid opus eſt, vt nunc quidem eſt apud iſtos inanibus nominibus Epiſcoporum? Cur enim illi paſtores appellantur, ſi oues nullæ ſunt quæ poſſint errare? Cur vigiles ſi ciuitas nulla eſt quæ poſſit prodi? Cur columnæ ſi nihil eſt quod poſſit ruere? ſtatim ab initio rerum Eccleſia Dei cœpta eſt propagari, eaque inſtructa cœleſti verbo, quod Deus ipſe fuderat ab ore ſuo: inſtructa ſacris cæremonijs, inſtructa Spiritu Dei, inſtructa Patriarchis & Prophetis: atque ita continuata eſt ad ea vſque tempora, cum Chriſtus ipſe oſtenderet in carne.

85 Sed ô Deum immortalem! quoties ea interim, & quam horribiliter, obſcurata atque imminuta eſt! Vbi enim ea tum fuit, cum omnis caro contaminaſſet viam ſuam ſuper terram? vbi ea fuit cùm ex omni mortalium numero, octo tantùm eſſent homines & ne illi quidem omnes caſti ac pij, quos Deus à communi clade atque interitu vellet eſſe ſuperſtites? Cum Elias Propheta ita lugubriter & acerbè quereretur, ſe ſolum ex omni terrarum orbe relictum eſſe, qui Deum verè & ritè coleret: Cumque Eſaias diceret, Argentum populi Dei, hoc eſt, Eccleſię factum eſſe ſcoriam: & ciuitatem eam, quæ aliquando fidelis fuerat, factam eſſe meretricem: & in ea à capite vſque ad calcem, in toto corpore nihil eſſe integrum: aut cùm Chriſtus diceret, Domum Dei a Phariſæis & Sacerdotibus factam eſſe ſpeluncam latronum? Scilicet Eccleſia vt ager frumentarius niſi exaretur, niſi ſubigatur, niſi colatur, niſi curetur, pro tritico carduos, & lolium & vrticas proferet. Itaque Deus ſubinde miſit Prophetas & Apoſtolos, poſtremò etiam Chriſtum ſuum qui populum in viam reducerent, & Eccleſiam vacillantem in integrum inſtaurarent. Neue quis dicat hæc in lege tantùm, in vmbra atq; in infantia contigiſſe, cùm figuris & cæremonijs veritas tegeretur, cùm nihil adhuc ad perfectum adductum eſſet, cùm lex non in cordibus hominum, ſed in lapidibus incideretur, (etſi ridiculum eſt illud quoque) idem enim omninò erat etiam tum Deus, idem Spiritus, idem Chriſtus, eadem fides, eadem doctrina, eadem ſpes, eadem hæreditas, idem fœdus, eadem vis verbi Dei. Et Euſebius ait: Omnes fideles vſque ab Adamo, re quidem ipſa Chriſtianos fuiſſe (quamuis non ita dicerentur) nequis inquam ita dicat, Paulus Apoſtolus jam tum in Euangelio, in perfectione, in luce, ſimiles errores & lapſus deprehendit, vt ad Galatas quos jam antea inſtituerat, neceſſe habuerit ita ſcribere: Vereor ne inter vos fruſtrà laborauerim, & vos fruſtra audiueritis Euangelium: filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis. Nam de Corinthiorum Eccleſia, quam illa fœde fuerit inquinata, nihil eſt neceſſe dicere. Iam verò an Galatarum, & Corinthiorum Eccleſiæ labi potuerunt, ſola Romana Eccleſia errare, & labi non poteſt? Certè

3. *Reg.* 19.

Eſai. 1.

Matth. 21.

Li. 1. *Cap.* 1.

Matth.24. Christus tantò antè prædixit de Ecclesia sua, fore aliquando tempus
2.Thess.2. cùm desolatio staret in loco sancto. Et Paulus Antichristum ait, aliquandò
2.Tim.4. positurũ esse tabernaculum suum in Templo Dei: & futurũ vt homines sanam doctrinam non sustinerent, sed in ipsa Ecclesia ad fabulas conuerterentur. Et Petrus futuros ait, in Ecclesia Christi Magistros
2.Pet.2. mendaciorum. Et Daniel Propheta de vltimis temporibus Antichristi, veritas (inquit) eo tempore prosternetur, & conculcabitur in terra.
Dan.8. Et Christus ait tantam fore calamitatem & confusionem rerum, vt etiam electi, si possit fieri, abducendi sint in errorem. Atque ista omnia futura non apud Paganos aut Turcas; sed in loco sancto, in Templo Dei,
Matth.24. in Ecclesia, in cœtu ac societate illorum, qui professuri sunt nomen Christi.

86 Et quamuis ista vel sola possent homini prudenti esse satis, ne temerè patiatur imponi sibi nomine Ecclesiæ, vt ne quid in eam ex verbo Dei velit inquirere, tamen multi etiam sæpè Patres, viri docti, & pij vehementer questi sunt, hæc omnia suis temporibus acciditse. Deus enim in media illa caligine, tamen voluit esse aliquos, qui, etsi non lucem ita conspicuam & illustrem darent, tamen quasi scintillam aliquam quam homines in tenebris notare possent, accenderent.

Contra Auxentium. 87 Certè Hilarius, cùm res adhuc incorruptæ quodammodo essent & integræ; tamen malè, inquit, vos parietum amor cepit: malè Ecclesiam Dei in tectis, ædificijsq; veneramini: Malè sub ijs pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est, in ijs Anti-Christum esse futurum? Montes mihi, & syluæ, & lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores. In illis enim Prophetæ, aut manentes, aut demersi Dei Spiritu, prophetabant.

88 Gregorius quasi videret, atque animo prospiceret ruinam rerũ, ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, qui primus omnium se nouo nomine salutari iusserat, vniuersalem Episcopum totius Ecclesiæ Christi, ita scripsit: Si Ecclesia pendebit ab vno, tota corruet: Et
In registro Epistola ad Mauritium. Lib.4.Epist. 32. quis est, qui non hoc iam olim factum viderit? Iam olim Episcopus Romanus Ecclesiam totam à se vno pendere voluit: quare mirum non est si ea jam olim tota corruerit. Bernardus Abbas ante annos quadringentos, Nihil, inquit, jam integrum est in Clero: supereſt vt reueletur homo peccati. Idem in conuersione D. Pauli: Videtur, inquit, jam cessasse persecutio, imò iam incipit persecutio ab illis qui in Ecclesia primas obtinent. Amici tui, & proximi tui, aduersus te appropinquârunt & steterunt: a planta pedis vsque ad verticem capitis, non est vlla sanitas. Egressa est iniquitas à senioribus judicibus, vicarijs tuis, qui videntur regere populum tuum. Non possumus jam dicere, vt est populus, sic est Sacerdos, quoniam non ita est populus, vt Sacerdos. Heu, heu Domine Deus: Ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in

Ecclesia

Eccleſia tua primatum diligere & gerere principatum. Idem in Cantica: omnes amici, omnes inimici, omnes neceſſarij, omnes aduerſarij, ſerui Chriſti, ſeruiunt Antichriſto. Ecce in pace mea amaritudo mea eſt amariſſima. Rogerus Bacon magni nominis vir, cum acri oratione perſtrinxiſſet miſerabilem ſtatum ſui temporis; Iſti, inquit, tot errores, Antichriſtum requirunt. *Sermone 33.* *In libello de Idiomate linguarum.*

89 Gerſon queritur ſuo tempore omnem vim ſacræ Theologiæ ad ambitioſum certamen ingeniorum, & meram Sophſticam fuiſſe reuocatam.

90 Fratres Lugdunenſes, homines quod quidem ad vitæ rationem attinet, non mali, Romanam Eccleſiam, à qua tum vna, oracula omnia petebantur, fidenter ſolebant affirmare; eſſe meretricem illam Babiloniam, de qua tàm perſpicuæ extant prædictiones in Apocalypſi, & cœtum inferorum.

91 Scio horum hominum auctoritatem apud iſtos leuem eſſe. Quid ergo, ſi illos teſtes aduoco, qui ſolent ab ipſis adorari?

92 Quid ſi dico Adrianum Epiſcopum Romanum ingenuè confeſſum eſſe, omnia iſta mala à Pontificio culmine cœpiſſe ruere. *Platina.*

93 Pighius in eo fatetur errarum eſſe, quod in Miſſam, quam alioqui videri vult ſacroſanctam, abuſus complures inuecti ſint: Gerſon, quod multitudine leuiſſimarum cæremoniarum vis omnis Spiritus ſancti, quam in nobis vigere oportuit, & vera pietas ſit extincta. Græcia tota atque Aſia, quod Pontifices Romani purgatoriorum ſuorum, & indulgentiarum nundinis, & vim hominum conſcientijs attulerint, & illorum loculos expilauerint.

94 De Tyrannide verò Epiſcoporum Romanorũ, & faſtu Perſico, vt alios taceamus, quos illi, quod vitia ſua liberè & ingenuè reprehendant, hoſtium fortaſſe ſuorum loco numerabunt, illi ipſi, qui Romæ, in Vrbe ſancta, in oculis Sanctiſſimi Patris egerunt vitam, & omnia eius intima videre potuerunt, & nunquam à fide Catholica diſceſſerunt, Laurentius Valla, Marſilius Patauinus, Franciſcus Petrarcha, Hieronymus Sauanarola, Abbas Ioachimus, Baptiſta Mantuanus, & ante iſtos omnes, Bernardus Abbas, ſæpè multumque conqueſti ſunt: Ipſumq; interdum Pontificem, verène, an falſò, nihil dicimus, certè non obſcurè ſignificabant eſſe Antichriſtum.

95 Neque verò eſt, quod quiſquam obijciat, fuiſſe illos Lutheri diſcipulos, aut Zuinglij. Extiterunt enim, non tantum annis, ſed etiam ſæculis aliquot antequam illorum nomina audirentur. Videbant illi etiam tum errores irrepſiſſe in Eccleſiam, eóſq; cupiebant emendatos. Et qui mirum ſi Eccleſia erroribus abducta fuerit, illo præſertim tempore cùm nec Epiſcopus Romanus qui ſummæ rerum ſolus præerat, nec alius ferè quiſquam aut officium ſuum faceret, aut omninò

ninò officium ſuum intelligeret? Vix enim eſt credibile, illis otioſis & dormientibus, Diabolum toto illo tempore, aut dormiuiſſe perpetuò, aut fuiſſe otioſum. Quid enim illi interim fecerint, quáq; fide curauerint domum Dei, vt nos taceamus, audiant ſaltem Bernardum ſuum.

Ad Eugenium. 96 Epiſcopi inquit quibus nunc commiſſa eſt Eccleſia Dei, non Doctores ſunt, ſed ſeductores: non Paſtores ſed impoſtores: non Prælati ſed Pilati.

97 Hæc Bernardus de Pontifice qui ſe ſummum appellabat, déque Epiſcopis qui tum ſedebant ad gubernaculum. Non erat ille Lutheranus, non erat hæreticus, ab Eccleſia non diſceſſerat: tamen Epiſcopos illos qui tùm erant, non dubitauit ſeductores, impoſtores, Pilatos appellare. Iam verò cum populus palam ſeduceretur, & oculis hominum Chriſtianorum imponeretur, & Pilatus ſederet pro tribunalibus, & Chriſtum Chriſtique membra ferro flammáque adiudicaret, ô Deus bone, quo tum loco erat Eccleſia Chriſti! Ex tot autem tamque craſſis erroribus, quem vnquam iſti errorem repurgauerunt? aut quem omninò errorem agnoſcere & confiteri voluerunt?

98 Sed quoniam iſti ſuam eſſe affirmant vniuerſam poſſeſſionem Eccleſiæ Catholicę, & nos quod cùm ipſis non ſentiamus, appellant hæreticos, videſanè, Eccleſia iſta quam tandem habeat notam, aut ſignificationem Eccleſiæ Dei. Neque verò Dei Eccleſiam, ſi eam velis ſeriò & diligenter quærere, eſt adeò difficile apprehendere. Eſt enim excelſo & illuſtri loco in vertice montis poſita, ædificata videlicet in fundamentis Apoſtolorum, & Prophetarum. Ibi (inquit Auguſtinus) quæramus Eccleſiam, ibi decernamus cauſam noſtram. vtque alibi idem ait, Eccleſia ex ſacris & canonicis Scripturis oſtendenda eſt: quæque ex illis oſtendi non poteſt, non eſt Eccleſia.

De vnitate eccleſiæ cap. 3. Cap. 4.

99 Neſcio tamen quo pacto, reuerentiâne an conſcientiâ, an deſperatione victoriæ, vt latro crucem; ita iſti ſemper horrent, & fugiunt verbum Dei. Neque id ſanè mirum. Vt enim Cantharum aiunt, in opobalſamo odoratiſſimo alioqui vnguento facillimè extingui atque emori, ita illi cauſam ſuam in verbo Dei tanquam in veneno extingui vident, & ſuffocari.

100 Itaq; ſacroſanctas Scripturas quas Seruator noſter Ieſus Chriſtus non tantùm in omni ſermone vſurpauit, ſed etiam ad extremum ſanguine ſuo conſignauit, quo populum ab illis tanquam à re periculoſa & noxia, minore negotio abigant, ſolent literam frigidam, incertam, inutilem, mutam, occidentem, mortuam appellare: quod nobis quidē perinde videtur eſſe, ac ſi eas omnino nullas eſſe dicerent. Sed addunt etiam ſimile quoddam non aptiſſimum: eas eſſe quodam modo naſum cereū, poſſe fingi flectiq; in omnes modos, & omnium inſtituto inſeruire. An Pontifex iſta à ſuis dici neſcit? aut tales ſe habere patronos non intelligit?

Tyghius in Hierarchia.

101 Audiat

101 Audiat ergo quàm ſanctè, quamque piè de hâc reſcribat Hoſius quidam Polonus, vt ipſe de ſe teſtatur Epiſcopus, certè homo diſertus, & non indoctus, & acerrimus ac fortiſſimus propugnator ejus cauſæ. Mirabitur opinor hominem pium de illis vocibus, quas ſciret profectas ab ore Dei, vel tàm impiè ſentire potuiſſe, vel tàm contumelioſè ſcribere, ita præſertim, vt eam ſententiam non ſuam vnius propriam, videri vellet, ſed iſtorum communem omnium.

102 Nos (inquit) ipſas Scripturas, quarum tot iam non diuerſas modò, ſed etiam contrarias interpretationes afferri videmus, facelſere iubebimus, & Deum loquentem potiùs audiemus, quam vt ad egena iſta elementa nos conuertamus, & in illis ſalutem noſtram conſtituamus. Non oportet Legis & Scripturæ peritum eſſe, ſed à Deo doctum: Vanus eſt labor qui Scripturis impenditur. Scriptura enim creatura eſt, & egenum quoddam elementum. Hæc Hoſius. Eodem prorſus ſpiritu atque animo, quo olim Montanus, aut Marcion, quos aiunt ſolitos eſſe dicere, cùm ſacras Scripturas contemptim repudiarent, ſe multò & plura & meliora ſcire, quàm aut Chriſtus vnquam ſciuiſſet, aut Apoſtoli. Quid ergo hîc dicam? O Calumnia religionis! O Præſides Eccleſiæ Chriſti! An hæc ea reuerentia veſtra eſt, quam adhibetis verbo Dei? An vos ſacras Scripturas, quas D. Paulus ait diuinitùs afflatas eſſe, quas Deus tot miraculis illuſtrârit, in quibus Chriſti ipſius certiſſima veſtigia impreſſa ſint, quas omnes ſancti Patres, quas Apoſtoli, quas Angeli, quas Chriſtus ipſe Filius Dei, cùm opus eſſet, pro teſtimonio citârit, an eas, vos, quaſi indignæ ſint quæ à vobis audiantur, facelſere iubebitis? hoc eſt, Deo ipſi, qui vobis in Scripturis clariſſimè loquitur, ſilentium imponetis? aut illud verbum quo vno, vt Paulus ait, reconciliamur Deo, quodq; Propheta Dauid ait, ſanctum & caſtum eſſe, & in omne tempus eſſe duraturum, egenum tantùm, & mortuum elementum appellabitis? Aut in eo, quod Chriſtus nos diligenter ſcrutari, quodq; in oculis habere iuſſit aſſiduè, omnem noſtram operam dicetis fruſtra collocari? Et Chriſtum, Apoſtoloſque, cùm hortarentur populum ad Sacras literas, vt ex illis abundarent in omni ſapientia & ſcientia, voluiſſe hominibus fucum facere? Non eſt mirum ſi iſti nos noſtráque omnia contemnant, qui Deum ipſum eiuſq; oracula ita parui faciant. Inſulſum tamen erat, vt nos læderent, iniuriam eos tam grauem facere verbo Dei. *Hoſius de expreſſo verbo Dei.*

103 Tamen quaſi hoc parum eſſet, comburunt etiam ſacroſanctas Scripturas, vt olim impius rex Aza, aut Antiochus, aut Maximinus, eáſque ſolent hæreticorum libros appellare: omninoq; id videntur facere velle, quod olim Herodes obtinendæ potentiæ ſuæ cauſâ, in Iudæa fecit. Is enim cùm eſſet Idumæus, alienus à ſtirpe & ſanguine Iudæorum, haberi tamen cuperet pro Iudæo, quo magis regnum illorum, *Euſebius.*

quod ab Augusto Cæsare impetrauerat, sibi posterisq; suis confirmaret, omnes genealogias, quæ apud illos in Archiuis ab Abrahamo vsque diligenter fuerant asseruatæ, & ex quibus facilè nullo errore deprehendi posset, è quo quisq; genere oriundus esset, iussit incendi, & aboleri, videlicet, ne quid superesset in posterum, quo ipse notari posset alieni sanguinis. Ita prorsus isti, cùm omnia sua quasi ab Apostolis, aut à Christo tradita, velint haberi in pretio, ne quid vspiam supersit, quod huiusmodi somnia & mendacia possit coarguere, aut incendunt, aut populo interuertunt sacras Scripturas.

In operem. perfecto.

104 Rectè sanè, & valdè in istos appositè scribit Chrysostomus: Hæretici (inquit) claudunt ianuas veritati. Sciunt enim si illæ pateant, Ecclesiam non fore suam. Et Theophylactus, Verbum (inquit) Dei est lucerna, ad quam fur deprehenditur. Et Tertullianus, Sacra (inquit) Scriptura hæreticorum fraudes & furta conuincit. Cur enim celant, cur supprimunt Euangelium, quod Christus de tecto sonari voluit? Cur illud lumen abdunt sub modium, quod stare oportuit in candelabro? Cur multitudinis imperitæ cæcitati, atq; insciticæ magis, quàm causæ bonitati confidunt? An putant artes iam suas non videri? aut se nunc quasi Gygis annulum habeant, posse ambulare inconspicuos? Satis iam omnes, satis vident quid sit in illo scrinio pectoris Pontificij: vel hoc ipsum argumento esse potest, non rectè ab illis, non verè agi. Suspecta meritò videri debet ea causa quæ examen & lucem fugitat. Nam qui malè facit, vt Christus ait, quærit tenebras, & odit lucem: animus benè sibi conscius, vltrò venit in conspectum, vt opera, quæ à Deo profecta sunt, videri possint. Illi autem non adeò vsque cæci sunt, quin vt hoc satis videant, si Scripturæ semel obtineant, actum esse statim de regno suo: vtque olim aiunt idola Dæmonum, à quibus omnia tum oracula petebantur, repentè obmutuisse ad aspectum Christi, cùm ille venisset in terras, ita nunc omnes artes suas ad aspectum Euangelij statim esse ruituras. Antichristus enim non abijcitur nisi claritate aduentus Christi.

105 Nos quidem non vt isti solent, ad flammas confugimus, sed ad Scripturas, nec illas ferro obsidemus, sed verbo Dei. Ex illo, vt Turtullianus ait, fidem alimus; ex illo spem erigimus: ex illo fiduciam firmamus. Scimus enim Euangelium Iesu Christi esse vim Dei ad salutem, & in illo esse æternam vitam: vtque Paulus monet, ne Angelum quidem Dei de cælo venientem audimus, si nos ab aliqua parte hujus doctrinæ conetur euellere. Imò, vt vir sanctissimus Iustinus Martyr de se loquitur: ne Deo quidem ipsi fidem haberemus, si aliud nos doceret Euangelium. Nam quod isti sacras Scripturas, quasi mutas, & inutiles, missas faciunt, & ad Deum potius ipsum in Ecclesia, & in concilijs loquentem, hoc est, suos ipsorum sensus, & sententias prouocant, est ea ratio inuenin-

2. Thess. 2.

dæ

dæ veritatis & admodum incerta, & valde periculoſa, & quodammodo fanatica, & à ſanctis Patribus non approbata. Chryſoſtomus quidem ait, multos eſſe ſæpè, qui iactent Spiritum ſanctum. At enim qui loquuntur de ſuo, falſò ſe illum habere gloriantur. Quemadmodum enim, inquit, Chriſtus negabat ſe loqui a ſeipſo, cùm loqueretur ex lege & è prophetis: Ita nunc ſi quid præter Euangelium nomine ſancti Spiritus nobis obtrudatur, non eſt credendum. Vt enim Chriſtus eſt impletio Legis & Prophetarum, ita Spiritus eſt impletio Euangelij. Hæc Chryſoſtomus.

106 Iſti verò quamuis nou habeant ſacras literas, habent tamen fortaſſe Doctores veteres, & ſanctos Patres. Id enim ſemper magnificè iactauerunt omnem antiquitatem, & perpetuum omnium temporum conſenſum à ſe facere. Noſtra verò omnia noua eſſe, & recentia, ante paucos annos proximos nunquam audita.

107 Certè in religionem Dei nihil grauiùs dici poteſt, quàm ſi ea accuſetur nouitatis. Vt enim in Deo ipſo, ita in eius cultu, nihil oportet eſſe nouum. Neſcimus tamen, quo pacto ab initio rerum ita vidimus ſemper fieri, vt quotieſcunq; Deus quaſi accenderet, & hominibus patefaceret veritatem ſuam, quamuis ea non tantùm antiquiſſima, ſed etiam æterna eſſet, tamen ab impijs hominibus & hoſtibus recens & noua diceretur. Impius & ſanguinarius vir Aman, vt Iudæos in odium adduceret, ſic eos apud regem Aſſuerum accuſauit. Habes hîc, inquit, Rex, populum nouis quibuſdam vtentem legibus, ad omnes autem tuas leges contumacem & rebellem. Paulus etiam Athenis cùm primum tradere cœpiſſet atque indicare Euangelium, dictus eſt nouorum Deorum, hoc eſt nouæ religionis anunciator. Et annon poſſumus inquiunt ex te ſcire quæ ſit iſta noua doctrina? Et Celſus cum ex profeſſo ſcriberet aduerſus Chriſtum, vt eius Euangelium nouitatis nomine per contemptum eluderet. An inquit poſt tot ſecula nunc tandem ſubijt Deum tam ſera recordatio? Euſebius etiam auctor eſt, Chriſtianam religionem ab initio contumeliæ cauſa dictam fuiſſe νεον, και ξενον, hoc eſt peregrinam, ac nouam. Ita iſti noſtri omnia vt peregrina & noua condemnant, ſua autem omnia quæcunq; ea ſunt laudari volunt vt antiquiſſima, vt hodie magi, & malefici, quibus cum Dijs inferis res eſt, dicere ſolent ſe habere libros ſuos, atque omnia ſacra & recondita myſteria ab Athanaſio, à Cypriano, à Moſe, ab Abelo, ab Adamo, atque etiam ab Archangelo Raphaele, quo ars illa excelſior, & diuinior iudicetur, quæ ab huiuſmodi patronis & inuentoribus profecta ſit. Ita iſti, quo illa ſua religio, quam ipſi ſibi, idq; non ita pridem pepererunt, vel ſtultis hominibus, vel parum quid agant, quidq; agatur cogitantibus, faciliùs, & magis commendetur, eam ſolent dicere ad ſe

ab Augustino, ab Hieronymo, à Chrysostomo, ab Ambrosio, ab Apostolis, à Christo ipso peruenisse.

108 Satis enim sciunt, nihil istis nominibus popularius esse, aut in vulgus gratius. Verùm quid si ea quæ isti noua videri volunt inueniantur esse antiquissima? Rursus quid si ea ferè omnia, quæ isti antiquitatis nomine tantopere prædicant, vbi ea probè ac diligenter excussa fuerint ad extremum inueniantur recentia & noua?

109 Profecto Iudæorum leges & cæremoniæ, quamuis eas Amanus accusaret nouitatis, non poterant hominum cuiquam verè & rectè cogitanti videri nouæ. Erant enim antiquissimis tabulis consignatæ, Et Christus quamuis eum multi putarent ab Abrahamo & priscis Patribus discessisse, & nouam quandam religionem suo nomine inuexisse, tamen verè respondit: Si crederitis Moſi, crederetis mihi quoque: Nam doctrina mea non est ita noua. Moses enim antiquissimus auctor, cui vos omnia tribuistis, de me locutus est. Et D. Paulus Euangelium Iesu Christi, etsi à multis nouum esse judicetur, tamen habet, inquit, antiquissimum testimonium Legis & Prophetarum. Nostra vero doctrina, quàm rectius possimus Christi Catholicam doctrinam appellare, ita non est noua, vt eam nobis antiquus dierum Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, monumentis vetustissimis in Euangelio & in Prophetarum atque Apostolorum libris commendârit: eaq; nunc noua nemini videri possit, nisi si cui aut Prophetarum fides, aut Euangelium, aut Christus ipse videatur nouus. Istorum verò religio, si ita antiqua & vetus est, vti eam ipsi videri volunt, cur eam ab exemplis primitiuæ Ecclesiæ, ex antiquis Patribus & Concilijs veteribus non probant? Cur tam vetus causa tamdiu deserta iacet sine patrono? Ferrum quidem & flammam semper habuerunt ad manum: de Concilijs verò antiquis, & patribus magnum silentium. At qui absurdum erat ab istis ita cruentis & feris rationibus incipere, si potuissent alia argumenta leuiora & mitiora inueniri. Quod si illi ita prorsus fidunt vetustati, & nihil simulant, cur ante non ita multos annos Ioannes Clemens Anglus aliquot folia vetustissimi Patris, & Graci Episcopi Theodoreti, in quibus ille perspicuè & luculenter docebat, naturam panis in Eucharistia non aboleri, cum putaret nullum aliud exemplar posse vspiam inueniri, inspectantibus aliquot bonis viris, & fide dignis, lacerauit & abiecit in focum? Cur negat Albertus Pighius veterem patrem Augustinum rectè sensisse de peccato originis? aut de matrimonia, quod post votum nuncupatum sit initum, quod Augustinus asserit esse matrimonium, nec posse rescindi, illum errare & falsum esse dicit, nec probâ vti dialecticâ? Cur nuper cum excuderent, veterem Patrem Origenem in Euangelium Iohannis, sextum illud caput, vbi illum credibile, vel potius certum est, contra ipsos de Eucharistia multa

Dist. 27. quidam. De bono viduitatis cap. 10. Caus. 17. q. 1. nuptiarum bonum. In controuersijs. Liber hodie circumfertur mutilus.

multa tradidiſſe, integrum omiſerunt: & librum mutilum potius quam integrum, qui errores ſuos coargueret dare maluerunt? An hoc eſt antiquitati conſidere? antiquorum Patrum ſcripta lacerare, ſupprimere, truncare, comburere? Operæpretium eſt videre, quam pulchrè iſti cum illis Patribus, quos iactare ſolent eſſe ſuos, de religione conueniant. Vetus Concilium Elibertinum decreuit, nequid, quod colitur a populo, pingeretur in templis. Vetus Pater Epiphanius ait eſſe horrendum nefas, & non ferendum flagitium, ſi quis vel pictam, quamuis Chriſti ipſius imaginem, excitat in templis Chriſtianorum: iſti imaginibus & ſtatuis, quaſi ſine illis religio nulla ſit, omnia templa ſua, atque omnes angulos compleuerunt. Veteres Patres, Origenes & Chryſoſtomus hortantur populum ad lectionem ſacrarum literarum, vt libros coemant, vt de rebus ſacris inter ſe, vxores cum viris, parentes cum liberis domi diſputent: Iſti Scripturas condemnant tanquam mortua elementa, & ab illis quantum maximè poſſunt, arcent populum. Veteres Patres Cyprianus, Epiphanius, Hieronymus, ſi quis fortè vouerit ſe velle viuere vitam cœlibem, & poſtea viuat impurè, nec poſſit incendia cupiditatum cohibere, ſatius eſſe dicunt, vt ducat vxorem, & ſeſe caſtè gerat in matrimonio; atque illud ipſum matrimonium, vetus pater Auguſtinus, ratum & firmum eſſe iudicat, nec oportere reuocari: iſti eum, qui ſe voto ſemel obſtrinxerit, quantumuis vratur poſtea, quantumuis ſcortetur, quantumuis flagitioſè, & perditè contaminetur, tamen illum non ſinunt vxorem ducere: aut ſi fortè duxerit, tamen negant illud eſſe matrimonium: & ſatius multò, & ſanctius eſſe docent, concubinam aut ſcortum alere, quàm ita viuere. Auguſtinus vetus Pater querebatur de multitudine inanium cæremoniarum, quibus jam tùm videbat hominum animos, & conſcientias opprimi: iſti quaſi aliud nihil Deo curæ ſit, ita cæremonias auxerunt, in immenſum, vt nihil iam perè aliud in illorum templis & ſacris relictum ſit. Vetus pater Auguſtinus negat fas eſſe, Monachum ignauum in otio gerere: & ſpecie ac ſimulatione ſanctitatis, ex alieno viuere: & illum qui ita viuat, vetus Pater Apollonius ait, latroni eſſe ſimilem: iſti monachorum habent, armentáne dicam, an greges, qui cùm prorſus nihil agant, & ne ſimulent quidem, aut præ ſe gerant ſpeciem vllam ſanctitatis, tamen non tantùm viuant, ſed etiam luxurientur ex alieno. Vetus Concilium Romanum decreuit, ne quis interſit Sacris, qui licantur ab illo Sacerdote, quem certum ſit, alere concubinam: iſti & concubinas locant, mercede Sacerdotibus ſuis, & ad illorum ſacrilegia homines inuitos per vim adigunt. Veteres Canones Apoſtolorum illum Epiſcopum qui ſimul & ciuilem Magiſtratum & Eccleſiaſticam functionem obire velit, iubent ab officio ſummoueri: iſti vtrunque Magiſtratum & obeunt, & obire omnino volunt, vel potiùs

Cap. 3.

Origenes in Leuiticum cap. 16 Chriſoſt. in Mat. primum Hom. 2. in Ioan hom. 31.

Epiſt. 11. lib 1. cont. Ap. haer. 61. de virginitate ſeruanda ad Demetriad.

Ad Ianuarium.

De opere Monachorum.

Can. 3.

Can. 8.

tiùs alterum quem ab illis maximè obiri oportuit, non attingunt: Nemo tamen est qui illos iubeat summoueri. Vetus Concilium Gangrense iubet, ne quis ita distinguat Sacerdotem cœlibem a marito, vt cœlibatus causâ alterum putet altero sanctiorem. Isti eos ita distinguunt, vt à pio & probo viro qui vxorem duxerit, omnia sua sacra statim putent profanari. Vetus Imperator Iustinianus, iussit in sacro Ministerio omnia clara, & quàm maximè argutâ & expressâ voce pronunciari, vt fructus ex ea re aliquis ad populum redire posset: Isti ne quid populus intelligat, omnia sua non tantùm obscurâ & submissâ voce, sed etiam alienâ, & barbarâ linguâ mussitant. Vetus Concilium Carthaginense iubet, ne quid in sacro cœtu legatur præter Scripturas Canonicas: isti ea legunt in Templis suis, quæ ne ipsi quidem dubitant esse mera mendacia, & inanes fabulas. Quòd si quis ista infirma putet esse ac leuia, quòd ab imperatoribus, & minutis quibusdam Episcopis, & non ita plenis Concilijs decreta fuerint, & Papæ magis auctoritate & nomine delectetur, Iulius Papa disertè vetat, ne Sacerdos dum peragit sacra mysteria, panem immergat in calicem: Isti contra decretum Iulij Papæ, panem diuidunt & immergunt. Clemens Papa negat fas esse Episcopo gerere vtrumque gladium: & si vtrúmque (inquit) habere vis, & te ipsum decipies, & eos qui te audient. Iam Papa gladium vtrúmque sibi vendicat, & vtrúmque gerit: quare minus mirum videri debet, si illud sequutum sit quod Clemens ait, vt ille & seipsum deciperet, & illos qui illum audierint. Leo Papa in vno Templo vnam tantùm ait, fas esse Missam dicere vno die: Isti in vno Templo quotidie sæpe denas, sæpe vicenas, sæpe tricenas, sæpe etiam plures Missas dicunt, vt miser spectator vix scire possit quò se potissimùm debeat vertere. Gelasius Papa, si quis diuidat Eucharistiam, & cùm alteram partem suscipiat, abstineat ab altera, eum ait improbè facere, & sacrilegium committere: Isti contra verbum Dei, contráque Gelasium Papam, alteram tantùm partem Eucharistiæ populo dari iubent, & in ea re Sacerdotes suos alligant sacrilegio. Quòd si illi hæc omnia vsu iam ipso antiquata esse dicent, & mortua, & nihil ad ista tempora pertinere, tamen vt omnes intelligant, quæ fides istis hominibus habenda sit, quáque spe Concilia ab illis conuocentur; videamus paucis, quàm probè curent ea quæ proximis istis annis, recenti adhuc memoriâ, in publico Concilio legitimè indicto, ipsi sanctè obseruanda esse decreuerunt. In Concilio proximo Tridentino, vix ante annos quatuordecim, sancitum esse communibus suffragijs omnium Ordinum, ne cui vno committerentur duo Sacerdotia vno tempore. Vbi nunc est illa sanctio? An ea quoque tam citò antiquata est & mortua? Nam isti quidem non tantùm duo Sacerdotia, sed etiam complura sæpe Monasteria & Episcopatus

In nouellis constitut. 23. & 146.

Tertium Carth. cap. 47.

De cons. dist. 2. Cùm enim mo.

piſcopatus modò binos, modò ternos, modò quaternos vni tribuunt, eique non tantùm indocto, ſed etiam ſæpè homini militari. In eodem Concilio decretum eſt oportere omnes Epiſcopos docere Euangelium: Iſti neque docent, neque in pulpitum vnquam aſcendunt; neque id putant quidquam ad munus ſuum pertinere. Quæ ergo eſt iſta pompa vetuſtatis? quid de priſcorum Patrum, quid de Conciliorum nouorum veterumque nominibus gloriantur? Quid videri volunt, niti auctoritate illorum, quos cùm viſum eſt pro libidine contemnunt, ſed geſtat animus cum Pontifice potius ipſo agere, & hæc illi coràm in os dicere: dic ergo nobis Pie Pontifex, qui omnia antiqua crepas, & omnes tibi vni addictos gloriaris: ex omnibus Patribus quis vnquam te vel ſummum Pontificem, vel vniuerſalem Epiſcopum, vel caput Eccleſiæ appellauit? Quis tibi traditum eſſe dixit vtrumque gladium? Quis te habere authoritatem & jus conuocandi Concilia? Quis vniuerſum mundum eſſe diœceſin tuam? Quis de tua plenitudine Epiſcopos omnes accipere? Quis tibi datam eſſe omnem poteſtatem tàm in cœlo, quàm in terra? Quis te nec à regibus, nec à toto Clero, nec ab vniuerſo populo poſſe judicari? Quis Reges & Imperatores de juſſu & voluntate Chriſti, à te accipere poteſtatem? Quis te ita exquiſita, & mathematica ratione, ſeptuagies ſepties maiorem eſſe maximis regibus? Quis tibi poteſtatem ampliorem tributam eſſe, quàm reliquis Patriarchis? Quis te Dominum Deum eſſe, aut non purum hominem, aut quiddam coagmentatum & concretum ex Deo & homine? Quis te vnum fontem eſſe omnis juris? Quis te imperium habere in Purgatorium? Quis te pro tuo arbitrio imperare poſſe Angelis Dei? Quis te eſſe Regem Regum, & Dominum Dominantium vnquam dixit? Poſſumus alia quoque eodem modo, ex omni numero veterum Epiſcoporum & Patrum. Quis vnquam vnus te docuit, vel inſpectante populo, Miſſam priuatam dicere, vel Euchariſtiam ſupra caput attollere, qua in re omnis nunc Religio tua continetur: vel Chriſti Sacramenta truncare, & contra eius inſtitutum, atque expreſſa verba, altera parte populum fraudare? vtque ſemel finem faciamus ex omnibus Patribus, quis vnus te docuit Chriſti ſanguinem, & ſanctorum Martyrum merita diſpenſare, & indulgentias tuas, atque omnia ſpatia purgatorij, ſeu merces in foro vendere? Soliti ſunt iſti, ſæpè reconditam quandam doctrinam ſuam, & multiplices variaſq; lectiones prædicare. Proferant ergo nunc aliquid ſi poſſunt, vt aliquid ſaltem legiſſe ac ſcire videantur. Clamârunt ſæpè fortiter in omnibus circulis omnes partes Religionis ſuæ antiquas eſſe, & non tantùm multitudine, ſed etiam conſenſu & cotinuatione omnium Nationum, & temporum approbatas.

Diſt. 9. Innocentij. De maior. & obed. Iuſt. In extrauag. Ioan. 22. exſp. cùm inter nonnullos. In gloſſa final. In edit. impreſſa Pariſijs. 1503. Antonius de Roſelijs.

110 Oſtendant ergo aliquando antiquitatem iſtam ſuam: faciant, vt appareat iſta, quæ tantopere prædicant eſſe tàm latè propagata. Doceant

ceant omnes Nationes Chriſtianas in ſuam iſtam Religionem conceſſiſſe: ſed fugiunt vt jam ante diximus à Decretis ſuis: eaque quæ ante ita paucos annos ab ipſis in omnem æternitatem, ſancita erant, tàm breui tempore reſciderunt. Quid ergo illis fidendum eſt in Patribus, in veteribus Concilijs, in verbis Dei? Non habent, ô Deus bone, non habent ea, quæ ſe habere gloriantur: non antiquitatem, non vniuerſalitatem, non locorum, non temporm omnium conſenſum. Idque ipſi, etſi diſſimulatum potius cuperent, tamen non ignorant, imò etiam interdum non obſcurè confitentur; Itaque veterum Conciliorum & patrum ſanctiones aiunt eiuſmodi eſſe, vt interdum mutari poſſint: alijs enim temporibus Eccleſiæ, alia atque alia decreta conuenire. Atque ita eſſe abdunt ſub nomine Eccleſiæ, & inani fuco miſeris mortalibus illudunt. Et mirum eſt aut ita cæcos eſſe homines vt iſta videre non poſſint: aut ſi videant, ita eſſe patientes, vt ea tàm facilè tamq; æquo animo poſſint ferre.

111 Sed cùm illa tanquam nimium iam vetera & obſoleta iuberent eſſe irrita, alia quædam fortaſſe meliora, atque vtiliora repoſuerunt. Solent enim dicere ne Chriſtum quidem ipſum, aut Apoſtolos ſi reuiuiſcant, meliùs, aut ſanctiùs adminiſtrare poſſe Eccleſiam Dei, quam quomodo nunc adminiſtratur ab ipſis. Repoſuerunt illi quidem alia: ſed quemadmodum Hieremias ait, paleam pro tritico: eaq; vt ait Eſaias, quæ Deus ab illis non requiſiuit. Obturarunt omnes venas aquæ viuæ & exciderunt populo Dei ciſternas ruinoſas, & lutulentas plenas limo, & ſordibus, quæ nec habent aquam puram, nec eam poterant continere. Eripuerunt populo ſacram Communionem: verbum Dei vnde omnis conſolatio petenda erat: verum cultum Numinis: rectum vſum Sacramentorum & precum: dederunt autem nobis de ſuo, quibus nos interim oblectaremus, ſales, aquas, ampullas, ſputa, ramuſculos, bullas, iubilæa, indulgentias, cruces, ſuffitus, & infinitum numerum cæremoniarum, & ludos, vt Plautus ait, ludificabiles. In his illi rebus, omnem religionem collocârunt: his rebus docuerunt Deum ritè placari poſſe: his abigi dæmones: his confirmari hominum conſcientias. Hæc videlicet ſunt pigmenta, & Myrothecia religionis Chriſtianæ. Hæc Deo videnti grata & accepta ſunt, hæc oportuit in honorem venire, vt Chriſti & Apoſtolorum inſtituta tollerentur. Atque vt olim Rex impius Hieroboam, cùm cultum Dei ſuſtuliſſet, & populum ad aureos vitulos adduxiſſet, ne fortè poſtea mutarent voluntatem, & à ſe dilaberentur, & redirent Hieroſolymam ad Templum Dei, eos longa oratione cohortatus eſt ad conſtantiam. Hi, inquiens, Iſrael ſunt Dij tui: hoc pacto Deus veſter iuſſit ſe à vobis coli. Graue autem vobis & moleſtum erit, iter tam longinquum ſuſcipere, & quotannis ad ſalutandum & colendum Deum aſcendere Hieroſo-

Hieroſolymam. Ita prorſus iſti, cùm ſemel traditionum ſuarum cauſâ irritam feciſſent legem Dei, ne populus poſteà oculos aperiret, & alio dilaberetur, atque aliunde peteret certiorem aliquam rationem ſalutis ſuæ. O quoties acclamârunt hunc eſſe illum cultum, qui Deo placeat, quemque ille à nobis exigat, quoq; iratus flecti velit! His rebus Eccleſiæ conſenſum contineri: his rebus omnia peccata expiari, & tranquillari conſcientias: qui diſceſſerit ab his, eum ſibi nihil ſpei ad æternam ſalutem reliquiſſe! Graue autem ac moleſtum populo eſſe ad Chriſtum, ad Apoſtolos, ad veteres Patres reſpicere, quidq; illi velint aut iubeant perpetuò attendere! Hoc videlicet, eſt populum Dei ab infirmis mundi elementis, à fermento Scribarum, & Phariſæorum, & ab humanis traditionibus abducere? Chriſti atque Apoſtolorum iuſſa loco moueri oportuit, vt iſta ſuccederent? O iuſtam cauſam, cur vetus & multis ſæculis probata doctrina antiquaretur, & in Eccleſiam Dei noua forma religionis inueheretur! Tamen quicquid eſt, clamant iſti, nihil oportere immutari: his rebus hominum animis ſatisfieri: Romanam Eccleſiam iſta decreuiſſe: eam errare non poſſe. Syluester enim Prierias ait Eccleſiam Romanam eſſe normam & regulam veritatis: Sacras Scripturas ab illa, & auctoritatem & fidem accipere. Doctrina, (inquit) Romanæ Eccleſiæ eſt regula fidei infallibilis, à qua ſacra ſcriptura robur accipit. Et indulgentiæ (inquit) auctoritate ſcripturæ non innotuerunt nobis, ſed innotuerunt auctoritate Romanæ Eccleſiæ, Romanorumq; Pontificum, quæ maior eſt. Pighius etiam non dubitat dicere, iniuſſu Romanæ Eccleſiæ, ne clariſſimæ quidem ſcripturæ credendum eſſe. Prorſus, vt ſi quis iſtorum, qui latinè rectè ac purè loqui non poſſit, aliquid tamen in ea lingua pro forenſi conſuetudine celeriter & expeditè balbutiat, omninò dicat ad eum nunc modum alijs etiam omnibus loquendum eſſe, quo ante multos annos Mammetrectus, aut Catholicon loquuti ſint, quoque adhuc ipſi adhuc vtuntur in foro, ſic enim ſatis intelligi poſſe, quid dicatur & hominum voluntati ſatisfieri: ridiculum autem eſſe nunc tandem nouo dicendi genere turbare orbem terrarum, & Ciceronis, aut Cæſaris, veterem in dicendo puritatem atque eloquentiam reuocare.

112 Tantum, ſcilicet, iſti debent inſcitiæ ac tenebris ſuperiorum temporum. Multa, vt ait quidam, habentur ſæpè in pretio, tantùm quod dicata aliquando fuerint Deorum Templis. Ita nos videmus multa hodie probari ab iſtis, & magnifieri, non quòd ea tanti eſſe iudicent, ſed tantùm quod recepta fuerint conſuetudine, & quodam modo dicata Templo Dei. *Plinius.*

113 At Eccleſia, inquiunt, noſtra errare non poteſt. Id opinor ita dicunt, vt olim Lacedæmonij ſolebant dicere, in tota ſua republica nullum

Summa Anglicadiſſ. Papa.

lum poſſe inueniri adulterum: cum reuera omnes potius eſſent adulteri, & incertis nuptiis & vxoribus inter ſe communibus vterentur: aut vt hodie Canoniſtę ventris cauſâ, ſolent de Papa dicere: Illum cùm ſit Dominus omnium beneficiorum, & ſi pretio vendat Epiſcopatus, Monaſteria, Sacerdotia, & nihil a ſe gratis abire ſinat: tamen cùm ea omnia dicat eſſe ſua, etiamſi maximè velit, non poſſe committere Simoniam. Quàm autem id firmum ſit, quamq; conſentaneè rationi dicatur, nos adhuc videre non poſſumus niſi fortè, vt olim veteres Romani victoriæ, ita iſti veritati, poſtquam ea ſemel ad nos peruenitſet, alas, quibus aduolauerat, detraxerint, ne poſſet in poſterum auolare. Sed quid ſi illis Hieremias dicat, vt ſupra commemorauimus, Hæc eſſe verba mendacij? Quid ſi idem rurſus dicat, illos ipſos, quos vinitores eſſe oportuit, diſſipaſſe ac perdidiſſe vineã Domini? Quid ſi Chriſtus dicat: illos quibus maximè templũ oportuit eſſe curæ, ex Templo Domini feciſſe ſpeluncã latronũ? Quod ſi errare Eccleſia Romana non poteſt, fœlicitatẽ eius oportet maiorẽ eſſe, quàm iſtorũ prudentiã. Ea enim eſt illorũ vita, doctrina, diligentia vt per eos quidẽ non tantùm errare Eccleſia, ſed etiã funditùs interire, & extingui poſſit. Profectò ſi errare Eccleſia ea poteſt, quæ à verbo Dei, quæ à iuſſis Chriſti, quę ab Apoſtolorum inſtitutis, quæ à Primitiuæ Eccleſię exemplis, quæ à veterum Patrum, & Conciliorum ſanctionibus, quæ à ſuis ipſius decretis deceſſerit, quę nullis, nec veteribus nec nouis, nec ſuis necalienis, nec humanis nec diuinis legibus teneri velit: certum eſt Eccleſiam Romanam non tantum potuiſſe errare, ſed etiam flagitioſè, & turpiter errauiſſe.

Theodoricus de ſchiſmate.

114 At de noſtris inquient, fuiſtis, nunc autem Apoſtatæ facti eſtis, & à nobis diſceſſiſtis. Diſceſſimus quidem ab illis, & ea de re, & Deo optimo Maximo gratias agimus, & nobis magnopere gratulamur. At à primitiua Eccleſia, ab Apoſtolis, à Chriſto non diſceſſimus. Educati quidem ſumus apud iſtos in tenebris, & ignoratione Dei, vt Moſes in diſciplinis, & in ſinu Ægyptiorum. De veſtris fuimus, inquit Tertullianus, fateor; nec mirum: Fiunt enim inquit, non naſcuntur Chriſtiani. Sed cur ipſi de ſuis illis ſeptem montibus, in quibus olim Roma ſtetit deſcenderunt, vt in planicie potius, in campo Martio habitarent? Dicent fortaſſe quod iam aquarum ductus, ſine quibus non poſſunt commodè viuere, in illis montibus defeciſſent. Dent iſti ſanè eam nobis veniam de aqua æternę vitę, quam volunt ſibi dari de aqua puteali. Aqua iam apud iſtos defecerat, ſeniores vt Hieremias ait mittebant paruulos ſuos ad aquas: At illi cum nihil inuenirent, miſeri, & ſiti perditi retulerunt vaſa inania. Egeni, inquit Eſaias, & pauperes quę ebant aquas, ſed eas nullas, vſpiam inuenerunt: Lingua illorũ ſiti iam aruerat. Iſti omnes canales, & ductus perfregerant: Iſti obſtruxerant omnes venas: & cœno, lutóq; oppleuerãt fontẽ aquę viuę: vtq;

vtq; olim Caligula occluſis omnibus horreis, publicam populo inediã, & famem: ita illi obturatis omnibus fontibus verbi Dei, ſitim populo miſerabilem induxerant. Illi hominibus famem: vt ait Amos Propheta ſitimq; attulerant: non famem panis; non ſitim æquę, ſed audiendi verbi Dei. Circumibant miſeri quęrentes ſcintillam aliquam diuinę lucis, ad quam exhilararent conſcientias: at ea iam prorſus extincta erat: nihil potuerunt inuenire. Hęc erat conditio, hęc erat miſerabilis forma Eccleſię Dei: Miſerè in ea ſine Euangelio, ſine luce, ſine conſolatione vlla viuebatur.

115 Quare etſi diſceſſio illis noſtra moleſta eſt, tamen cogitare debent quàm iuſta fuerit cauſa diſceſſionis. Nam ſi dicent, ab ea ſocietate in qua fueris educatus, nullo modo fas eſſe diſcedere, facilè poſſunt in noſtro capite, & Prophetas, & Apoſtolos, & Chriſtum ipſum condemnare. Nam cur hoc etiam non queruntur, Lothum è Sodoma: Abrahamum è Caldæa: Hebræos ex Ægypto: Chriſtum à Iudæis: Paulum a Phariſęis diceſſiſſe? Niſi enim iuſta aliqua poſſit eſſe cauſa diſceſſionis, nihil videmus, cur non illi quoque poſſint eodem modo factionis, & ſeditionis accuſari.

116 Quod ſi nos damnandi ſumus pro hæreticis, qui iſtorum imperata omnia non facimus, quid illi? qui tandem, aut quales videri debent, qui Chriſti & Apoſtolorum imperata contemnunt? Si nos ſumus Schiſmatici, qui diſceſſimus ab iſtis, quo tandem illos nomine appellabimus, qui à Græcis, à quibus fidem acceperunt, ab Eccleſia Primitiua, à Chriſto ipſo, ab Apoſtolis, tanquam à parentibus diſceſſerunt? Nam Græci quidem, qui hodie profitentur religionem & Nomen Chriſti: Etſi multa habent contaminata, magnam tamen adhuc partem retinent eorum quæ acceperunt ab Apoſtolis. Itaque nec priuatas habent Miſſas, nec truncata Sacramenta, nec Purgatoria, nec Indulgentias. Pontificios verò titulos, & magnifica nomina tanti faciunt, vt quicunque eos imponat ſibi, ſeq; vel vniuerſalem Epiſcopum, vel Eccleſiæ totius caput velit appellari, eum illi non dubitent & ſuperbum hominem, & in omnes alios Epiſcopos fratres ſuos contumelioſum, & hæreticum eſſe dicere.

117 Iam verò cùm perſpicuum ſit, & negari non poſſit, iſtos ab illis à quibus Euangelium, à quibus fidem, à quibus religionem, à quibus Eccleſiam acceperunt defeciſſe, quid cauſæ eſt, cur nunc ad eoſdem tanquam ad fontes nolint reuocari? Cur quaſi Apoſtoli omnes Patreſque nihil viderint, ita illorum temporum ſimilitudinẽ reformidant? An enim iſti plus vident, aut Eccleſiam Dei pluris faciunt, quàm illi, qui iſta tradiderunt? Nam nos quidem diſceſſimus ab illa Eccleſia, in qua nec verbum Dei purè audiri potuit, nec Sacramenta adminiſtrari, nec Dei Nomen vt oportuit inuocari: quam ipſi fatentur multis in rebus

bus esse vitiosam: in qua nihil erat quod quenquam posset prudentem hominem, & de sua salute cogitantem, retinere. Postremò, ab Ecclesia ea discessimus, quæ nunc est non quæ olim fuit: atque ita discessimus vt Daniel è cauea leonum, vt tres illi pueri ex incendio: nec tam discessimus, quàm ab istis diris & deuotionibus electi sumus.

118 Accessimus verò ad illam Ecclesiam, in qua ne ipsi quidem, si verè, atque ex animo loqui volunt, negare possunt omnia caste & reuerenter, & quantum nos maximè assequi potuimus, proximè ad priscorum temporum rationem administrari. Conferant enim Ecclesias nostras suásque inter se: videbunt & se turpissimè ab Apostolis, & nos ab ipsis iustissimè discessisse. Nos enim cum Christo, Apostolis, & sanctis Patribus Eucharistiam populo damus integram: Isti, contra omnes Patres, contra omnes Apostolos, contra Christum ipsum cum summo, vt Gelasius ait, sacrilegio, Sacramenta diuidunt, & alteram partem populo eripiunt.

119 Nos cœnam dominicam ad Christi institutionem reuocauimus, eamq; quàm maxime, quamq; plurimis communem, vtque appellatur, ita re ipsa Communionem esse volumus: isti contra institutum Christi omnia immutârunt, & ex sacra Communione priuatam fecerunt missam: atque ita nos cœnam præbemus populo, isti inane spectaculum.

120 Nos cùm antiquissimis Patribus affirmamus, Corpus Christi non comedi, nisi ab hominibus pijs, & fidelibus, & imbutis Spiritu Christi: Isti docent ipsissimum corpus Christi reipsa, vtque ipsi loquuntur realiter, & substantialiter non tantùm ab impijs & infidelibus, sed etiam, quod horrendum dictu est, à muribus & canibus posse comedi.

1. Cor. 14. 121 Nos ita precamur in Templis, vt quemadmodum Paulus monet, populus scire possit, quid precemur, & communibus votis respondere, Amen: Isti vt æs tinniens, voces in templis ignotas, & peregrinas sine intelligentia, sine sensu, sine mente fundunt: & omninò id agunt, ne populus quidquam possit intelligere.

122 Et ne omnia discrimina commemoremus, sunt enim propè infinita, nos scripturas sacras conuertimus in omnes linguas: Isti eas vix extare patiuntur in vlla lingua. Nos inuitamus populum ad legendum, & audiendum verbum Dei: isti abigunt. Nos causam ab omnibus cognosci volumus: isti fugiunt judicium. Nos scientiâ nitimur: isti insciti à. Nos luci fidimus: isti tenebris. Nos colimus, vt par est voces Apostolorum & Prophetarum: Isti comburunt. Postremò nos in Dei causa Dei vnius judicio stare volumus: isti stare volunt suo. Quod si illi hæc omnia tranquillo animo, & ad audiendum, dicendumque comparato spectare velint, non tantùm probabunt institutum nostrum

ſtrum, qui relictis erroribus Chriſtum ejuſque Apoſtolos ſecuti ſumus, ſed ipſi etiam à ſe deficient, ſeque vltrò aggregabunt ad partes noſtras.

123 Atque ſine ſacro Oecumenico Concilio, nefas, inquient, fuit iſta tentare. Ibi enim eſſe omnem vim Eccleſiæ, ibi Chriſtum pollicitum eſſe ſeſe ſemper præſto affuturum. Atqui ipſi mandata Dei & Apoſtolorum decreta violârunt, vtque jam diximus, omnia prope non tantùm inſtituta, ſed etiam dogmata primatiuæ Eccleſiæ diſſipauerunt, nihil expectato ſacro Concilio.

124 Verùm quod aiunt, nihil cuiquã fas eſſe innouare ſine Concilio, quis tandẽ ſcripſit nobis iſtas leges? Aut vnde iſti hoc edictũ habuerũt?

125 Ridiculè quidem fecit ille Rex, qui cum oraculo certus eſſet de ſententia, & voluntate ſummi Iouis, poſtea rem integram retulit ad Apollinem, vt ſciret an idem illi videretur, quod Patri: Nos autem, multò ineptius faceremus, ſi cùm Deum ipſum nobis in ſacroſanctis Scripturis apertè loquentem audiamus; ejuſque voluntatem & mentem intelligamus, poſtea quaſi id nihil ſit, rem integram referre velimus ad Concilium, quod non aliud eſt, quàm quærere an idem videatur hominibus, quod Deo: Et an homines velint mandata Dei, authoritate ſua comprobare. Quid enim? Niſi Concilium velit & iubeat, verum non erit verum? aut Deus non erit Deus? Si Chriſtus ab initio ita facere voluiſſet, vt nihil doceret, aut diceret inuitis Epiſcopis, omnem autem doctrinam ſuam ad Annam & Caipham retuliſſet, vbi nunc eſſet fides chriſtiana? aut quis vnquam audiſſet Euangelium? Petrus quidem, quem Pontifex ſæpius, magiſque prædicare ſolet, quàm Ieſum Chriſtum, fidenter reſtitit ſacro Concilio: Et ſatius, inquit, eſt obtemperare Deo, quàm hominibus. Et Paulus, cum ſemel animo hauſiſſet Euangelium, idque non ab hominibus, neque per hominem, ſed per ſolam voluntatem Dei, non deliberauit cum carne & ſanguine, nec retulit ad cognatos aut fratres ſuos: ſed ſtatim abijt in Arabiam, vt diuina myſteria, Deo authore, publicaret. *Ageſilaum.*

126 Nos quidem Concilia, & Epiſcoporum, doctorumq; hominum conuentus & colloquia non contemnimus: Neq; ea quæ fecimus proriſus ſine Epiſcopis, aut ſine concilio fecimus. Plenis Comitijs res acta eſt longa deliberatione, frequenti Synodo. De iſto verò concilio quod nunc a Pio Pontifice ſimulatur, in quo homines non appellati, non auditi, non viſi, ita facilè condemnantur, quid nobis expectandum, aut ſperandum ſit, non eſt difficile diuinare.

127 Nazianzenus olim, cum ſuo tempore videret homines in huiuſmodi conuentibus ita eſſe cæcos & obſtinatos, vt abducerentur affectibus, & victoriam magis quærerent quam veritatem: diſertè pronunciauit ſe nullius Concilij vnquam exitum vidiſſe bonum. Quid ille nunc diceret, ſi hodie viueret, & iſtorum conatus intelligeret? Nam

tùm quidem, etsi ſtudebatur partibus, tamen & cauſæ cognoſcebantur, errores manifeſti omnium partium ſuffragijs communibus tollebantur. Iſti verò nec cauſam diſceptari liberè volunt, nec quantumcunq; ſit errorum, quidquam patiuntur immutari.

128 Id enim illi ſæpè & ſine fronte jactare ſolent Eccleſiam ſuam errare non poſſe, nihil eſſe in ea vitii, nihil eſſe nobis concedendum, aut ſi quid ſit tamen Epiſcoporum & Abbatum eſſe hoc iudicium: illos eſſe moderatores rerum: illos eſſe Eccleſiam Dei. Ariſtoteles ait ſpurios non poſſe facere Ciuitatem: An autem ex iſtis effici poſſit Eccleſia Dei, ipſi videant. Certè nec legitimi ſunt Abbates nec genuini Epiſcopi.

129 Sed ſint ſanè Eccleſia: audiantur in Conciliis: ſoli habeant ius ſuffragandi: olim tamen cùm Eccleſia Dei, ſi ad iſtorum quidem Eccleſiam conferatur, ſatis commodè regeretur, vt Cyprianus ait, aduocabantur ad Eccleſiaſticarum cauſarum cognitionem, & presbyteri, & Diaconi & nonnulla etiam pars plebis.

130 Sed quid ſi iſti Abbates, & Epiſcopi nihil ſciant? Quid ſi quid ſit religio, quidq; de Deo ſentiendum ſit non intelligant? Quid ſi lex perierit à Sacerdote, & conſilium à ſenioribus? Quid ſi, vt ait Micheas, nox illis ſit pro viſione, & tenebræ pro diuinatione? Quid ſi, vt Eſaias ait, omnes ſpeculatores Ciuitatis facti ſunt cæci? Quid ſi ſal vim ſuam, & ſaporem amiſerit? vtque Chriſtus ait, ad nullum vſum ſit accommodus, ne ad id quidem, vt abijciatur in ſterquilinium?

131 Ad Papam ſcilicet omnia deferent qui errare non poteſt. At illud primum ineptum eſt, Spiritum ſanctum à ſacro Concilio curriculo auolare Romam, vt ſi quid dubitet, aut hæreat, & ſeſe explicare non poſſit, ab alio neſcio quo Spiritu doctiore conſilium capiat. Nam, ſi ita eſt, quid opus erat tot Epiſcopos tantis impenſis, tam longinquis itineribus, Tridentum hoc tempore conuocari? Conſultius multò erat, & ſatius certè multò, & breuius & commodius, vt ad Papam potiùs omnia reijcerent, & ſtatim ad illius ſacri pectoris oraculum deuenirent. Deinde etiam iniquum eſt cauſam noſtrã à tot Epiſcopis, & Abbatibus, ad vnius hominis iudicium deuoluere, eius præſertim qui à nobis grauiſſimis criminibus accuſetur, nec adhuc cauſam ſuam dixerit, & nos antequam vocaremur ad iudicium, ſine iudicio condemnarit. An ergo nos iſta fingimus? Aut iſta hodie non eſt ratio Conciliorum? Aut non omnia à ſacro Concilio ad vnum Pontificem deferuntur: vt quaſi tot ſententijs, & ſubſcriptionibus nihil ſit actum, ille vnus poſſit addere, mutare, minuere, abrogare, approbare, relaxare, reſtringere, quicquid velit? Quorum ergo hominum ſunt hæc verba? Cur Epiſcopi, & Abbates, non ita pridem in proximo Concilio Tridentino ita ad extremum decreuerunt: ſalua ſemper in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate? Aut cur Paſchalis Papa ita inſolenter de ſe ſcribit: Quaſi, inquit,

quit, Romanæ Eccleſiæ legem Concilia vlla præfixerint: cum omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem, & facta ſint, & robur acceperint, & in illorum ſtatutis Romani Pontificis patienter excipiatur auctoritas? Si iſta rata eſſe volunt, cur Concilia indicuntur? ſin ea iubent eſſe irrita, cur in iſtorum libris, quaſi integra relinquuntur? *De electione & electa poteſtate ca. ſignifica.*

132 Sed ſit ſanè Pontifex vnus ſupra omnia Concilia, hoc eſt, ſit pars aliqua maior quàm totum: plus poſſit, plus ſapiat, quàm omnes ſui: & vel inuito Hieronymo, ſit vrbis vnius auctoritas maior, quàm orbis terrarum. At quid ſi ille de his rebus nihil viderit; & nec ſacras Scipturas, nec veteres Patres, nec Concilia ſua vnquam legerit? Quid ſi ille, vt olim Papa Liberius, deficiat ad Arrianos: aut vt non ante ita multos annos, Iohannes Papa, de futura vita, & animarum immortalitate impiè & nefariè ſentiat: aut vt olim Papa Zoſimus Concilium Nicenum, ita ille nunc poteſtatis ſuæ augendæ cauſâ, alia Concilia corrũpat, & quæ nec cogitata quidem vnquam fuerint, ea à ſanctis Patribus deliberata, & conſtituta eſſe dicat: vtque Camotenſis ait, Pontifices ſolitos eſſe ſæpè facere, vim adhibeat Scipturis, vt habeat plenitudinem poteſtatis? Quid ſi abijciat fidem Chriſtianam, & efficiatur Apoſtata, quales, Lyranus ait, multos fuiſſe Papas? Tamen ne Spiritus ſanctus ſtatim illi pulſabit pectus, atque etiam nolenti, & inuito accendit lumen ne poſſit errare? Aut ille erit fons omnis iuris? & omnis theſaurus ſapientiæ atque intelligentiæ in illo, tanquam in ſcrinio inuenietur? Aut, ſi iſta in illo non ſunt, poteſtne de rebus tantis rectè & commodè iudicare? Aut, ſi iudicare non poteſt, petit vt iſta ad ſe vnum omnia referantur? Quid ſi Aduocati Pontificum, Abbates, & Epiſcopi nihil diſſimulent, ſed apertè ſe gerant pro hoſtibus Euangelij, & quod vident videre nolint, & vim faciant Scripturis, & videntes, & ſcientes deprauent, aut adulterent verbum Dei: & ea quæ perſpicuè ac propriè dicta ſunt de Chriſto, nec poſſunt cuiquam mortalium alij conuenire, impurè, atque impiè ad Papam tranſferant? Quid ſi dicant Papam eſſe omnia, & ſupra omnia: Aut illum ea poſſe omnia; quæ Chriſtus poteſt: Et Papæ Chriſtique vnum eſſe tribunal, & vnum Conſiſtorium? Aut illum eſſe lucem illam quæ venerit in mundum, quod Chriſtus de ſe vno pronunciauit, eumquè qui malè agit, odiſſe & fugere illam lucem: aut alios Epiſcopos omnes de eius accipere plenitudine? Poſtremò, quid ſi non diſſimulanter aut obſcurè, ſed perſpicuè, & apertè decernant contra expreſſum verbum Dei? An quicquid illi dicunt, ſtatim erit Euangelium? An iſte erit exercitus Dei? An ibi Chriſtus præſto erit? An in iſtorum linguis natabit Spiritus ſanctus? aut illi poſſunt verè dicere, Viſum eſt Spiritui ſancto & Nobis? Petrus quidem à Soto, & eius aſtipulator Hoſius, nihil dubitant affirmare, *Ad Euagrium.* *Hoſius. cap. Quanto. Abbas de electione. ca. Venerabili. Cornelius Epiſcopus in Concilio Trident.* *Durandus.*

Hosius contra Brentium, li. 2.

affirmare, Concilium illud ipsum, in quo Christus Iesus adiudicatus est morti, habuisse spiritum prophericum, Spiritum sanctum, spiritum veritatis: nec falsum, aut vanum fuisse, quod Episcopi illi dixerunt: Nos habemus Legem, & secundum Legem debet mori: illos iudicasse, sic enim scribit Hosius, iudicij veritatem: omninóque iustum fuisse illud decretum, quo ab illis pronunciatum est, Christum dignum esse qui moreretur. Mirum vero est non posse istos pro se dicere, & propugnare causam suam, nisi vnà etiam Annæ Caiphæq; patrocinentur. Nam qui illud ipsum Concilium, in quo Filius Dei ad crucem ignominiosissimè condemnatus est, legitimum dicent fuisse ac probum, quod tandem illi Concilium decernent esse vitiosum? Tamen qualia sunt istorum Concilia ferè omnia, necesse illis fuit, vt ista de Caiphæ Annæq; concilio pronunciarent. Verùm an isti Ecclesiam nobis instaurabunt, ijdem ipsi Iudices, ij démque rei? An isti minuent ambitionem fastúmque suum? An ipsi seipsos eijcient, aut contra se ferent sententiam, ne Episcopi sint indocti, ne ventres pigri, ne cumulent Sacerdotia, ne gerant se pro Principibus, ne bella gerant? An dilecti Pontificum filioli Abbates decernent, monachum, qui suo sibi labore victum non quærat latronem esse? aut fas illi non esse, nec in ciuitatibus, nec in turba, nec ex alieno viuere: oportere monachum humi cubare: oluscu lo & ciceribus tueri vitam: incumbere literis, disputare, orare, opus facere, ad Ecclesiæ ministerium se parare? Eâdem operâ Pharisæi, & Scribæ instaurabunt Templum Dei, & ex spelunca latronum, restituent nobis domum orationis.

133 Fuerunt ex ipsis aliqui, qui errores in Ecclesia complures deprehenderint. Adrianus Papa, Æneas Syluius, Polus Cardinalis, Pighius, alijq; vti iam diximus. Habuerunt postea Concilium Tridenti, eodem loco quo nunc indicitur. Conuenerant Episcopi complures, & Abbates, & alij quos oportuit. Erant soli: quicquid ageretur, nemo erat qui obstreperet. Nostros enim homines ab omni conuentu prorsus excluserunt. Sederunt ibi magna expectatione sex annos. Primis sex mensibus, quasi id magnopere opus esset, multa de sacro sancta Triade, de Patre, de Filio, de Spiritu Sancto, pia quidem, sed non ita illo tempore necessaria decreuerant. Interim tamen ex tot erroribus tàm perspicuis, tam confessis, tam manifestis, quem vnum errorem correxerunt? A quo genere idololatriæ populum reuocârunt? Quam superstitionem sustulerunt? quam partem tyrannidis & pompæ suæ minuerunt? quasi verò iam orbis terrarum non videat conspirationem istam esse, non Concilium: & istos Episcopos, quos nunc sibi Pontifex aduocauit, prorius iuratos, & addictos esse eius nomini: nec vnquam quidquam facturos, nisi quod illi placere, & ad eius potentiam augendam facere, & illum velle videant: Aut non ibi numerari senten-

ſententias potiùs, quàm appendi: aut non meliorem partem ſæpe à maiore ſuperari. Itaque ſcimus multos ſæpe bonos viros, & Catholicos Epiſcopos, cùm huiuſmodi Concilia indicerentur, & apertè factionibus & partibus inſeruiretur, & ſcirent ſe tantùm luſuros eſſe operam, aduerſariorum animos prorſus eſſe obfirmatos, nihil poſſe promoueri, manſiſſe domi. Athanaſius cum vocatus eſſet ab Imperatore ad Concilium Cæſarienſe, & videret ſe ad infeſta aduerſariorum ſuorum odia venturum eſſe, adeſſe noluit. Idem poſteà cum veniſſet ad Concilium Syrmianum, & ex hoſtium ſuorum ferocia, atque odio, animo rei euentum præſagiret, ſtatim ſarcinas collegit atque abijt, Iohannes Chryſoſtomus quamuis quaternis literis ab Imperatore Arcadio vocatus eſſet ad Concilium Arianorum, tamen domi ſe continuit. Cum Hieroſolymorũ Epiſcopus Maximus ſederet in Concilio Palæſtino, eum ſenex Paphnutius manu apprehenſum eduxit foras: Non eſt fas, inquiens, nobis conſultare de his rebus cum hominibus impijs.

Theodoretus lib. 1. cap. 28.

Tripar. lib. 10. cap. 13.

Euſebius lib. 1. cap. 17.

134 Ad Concilium Syrmianum, à quo ſe ſubduxit Athanaſius, occidentis Epiſcopi venire noluerunt. Cyrillus ab illorum, qui Patropaſſiani dicebantur, Concilio per literas appellauit. At Mediolanenſe Concilium Epiſcopus Treuerenſis Paulinus, alijq; complures, cùm viderent conatus & potentiam Auxentij, venire recuſarunt. Fruſtra enim videbant ſe ituros eò, vbi non ratio, ſed factio audiretur: & vbi cauſæ non iudicio, ſed ſtudio diſceptarentur.

Tripar. Zozom. lib. 5. cap. 15.

135 Atque illi quantumuis habeant infeſtos & obſtinatos Aduerſarios, tamen ſi veniſſent, audiri ſaltem in Concilio liberè potuiſſent.

136 Nunc autem cùm nemo noſtrùm, ne ſedere quidem aut omninò videri in iſtorum conceſſu, ne dum liberè audiri poſſit, cùm Pontificum legati, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, omnes conjurati, omnes eâdem culpâ conſtricti, omnes eodem Sacramento obſtricti, ſoli ſedeant, & ſoli jus habeant ferendi ſuffragij: Et poſtremò, quaſi ipſi nihil egerint, omnia ſua iudicia Papæ vnius voluntati libidinique ſubijciunt: videlicet vt ille, quem oportuit potiùs cauſam dicere, de ſe ipſo pronunciet: cùm vetus illa, & Chriſtiana libertas, quam æquum erat in Chriſtianis Concilijs eſſe maximam, prorſus de Concilio ſublata ſit; mirari hodie non debent homines prudentes ac pij, ſi nos id nunc facimus quod olim in ſimili cauſa à tot Patribus, & Catholicis Epiſcopis factum vident: vt quoniam audiri in Concilio non poſſumus, & Principum Legati habentur ludibrio, & nos omnes, quaſi res iam antea confecta, & conſtitura ſit, ante iudicium condemnamur, domi manere malimus, & rem omnem Deo committere, quàm eò proficiſci, vbi nec locum habituri ſimus, nec quidquam poſſimus promouere. Verùm noſtram iniuriam patien-

ter, & sedatè ferre possumus. Sed cur Reges Christianos, & pios Principes excludunt è consessu suo? Cur eos vel ita inciuiliter à se, vel contumelioſe dimittunt, vt quasi homines Christiani non sint, aut iudicare non possint, nolint eos Religionis Christianæ causam cognoscere, & Ecclesiarum suarum statum intelligere, aut si authoritatem suam interponant; & faciant id quod possunt, quod iubentur, quod debent, quodque & Dauidem, & Salomonem, & alios bonos principes fecisse scimus, vt ipsis aut dormientibus, aut nefariè resistentibus, Sacerdotum libidinem coerceant, eósque & ad officium faciendum adigant, & in officio contineant: vt idola euertant: vt superstitiones minuant: vt Dei cultum instaurent, Cur statim clamant illos omnia turbare, in alienum officium irrumpere, & improbè atque immodestè facere? Quæ scriptura Principem Christianum ab huiusmodi causarum cognitione vnquam repulit? quis præter istos solos vnquam ista iura decreuit? At ciuiles (inquient) principes Rempublicam atque arma tractare didicerunt, Religionis mysteria non intelligunt. Quid ergo Papa hodiè aliud est, quàm Monarcha, aut princeps? Quid Cardinales, quos nunc vix alios esse fas est, quàm principum & Regum filios? Quid Patriarchæ? Quid magna ex parte Archiepiscopi? Quid Episcopi? Quid Abbates? in regno Pontificio aliud hodiè sunt, quàm ciuiles principes, quàm Duces, quàm Comites, quocunque incedant, magnificè stipati, sæpè etiam torquati, & cathenati.

137 Amictum quidem habent illi interdum aliquem, cruces, columnas, galeros, tiaras, pallia, quam pompam veteres Episcopi Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius non habebant. Præter ista verò quid docent, quid dicunt, quid faciunt, quid viuunt, quod deceat non tantùm Episcopum, sed etiam hominem Christianum? An tanti est titulum inanem gerere, & mutata solùm veste appellari Episcopum?

138 Certè illis solis qui ista nec sciunt, nec scire omninò volunt, nec nisi quod ad culinam & ventrem attinet, partem vllam religionis teruntij faciunt, permitti rerũ omnium summam, illos solos iudices fieri, & tanquam cæcos in specula collocari: Principem verò Christianum, rectè sentientem, stare truncum, & stipitem, non suffragari, non sententiam dicere, tantùm quid illi velint, aut iubeant, obseruare, sine auribus, sine oculis, sine animo, sine pectore: quicquid ab istis imponatur, sine exceptione recipere, & cæco iudicio imperata facere, quantumuis ea blasphema sint atque impia, etiam si eos iubeant religionem vniuersam extinguere, & Christum ipsum in crucem tollere, & superbum, & contumelioſum, & iniquum est, & à principibus Christianis, & prudentibus non ferendum. Quid enim? an Caiphas & Annas ista videre possunt? Dauid & Ezechias non possunt? Et an Cardinali

nali homini militari & ſanguinem ſpiranti, in Concilio ſedere licet, Imperatori, aut Regi Chriſtiano non licet? Nam nos quidem nihil noſtris magiſtratibus tribuimus aliud, quàm quod illis & ex verbo Dei tributum ſcimus, & optimarum rerum publicarum exemplo comprobatum. Præterquam enim quod Principi fideli à Deo mandata eſt cura vtriuſque tabulæ, vt intelligat ad officium ſuum, non ciuilem tantùm rem, ſed etiam ſacram & Eccleſiaſticam pertinere: præterquam quod Deus ſæpè Regem, ac diſertè iubet lucos ſuccidere, idolorum ſtatuas, & aras euertere, librum legis ſibi deſcribere, quodque illum Eſaias ait, Eccleſiæ patronum, & nutritium eſſe oportere: præter inquam hæc omnia ex hiſtorijs, & optimorum temporum exemplis videmus, pios principes procurationem Eccleſiarum ab officio ſuo nunquam putaſſe alienam.

139 Moſes ciuilis magiſtratus ac ductor populi omnem religionis & ſacrorum rationem, & accepit à Deo, & populo tradidit, & Aaronē Epiſcopum de aureo vitulo, & de violata religione, vehementer & grauiter caſtigauit. Ioſua etſi non aliud erat, quàm magiſtratus ciuilis, tamen, cùm primùm inauguraretur, & præficeretur populo, accepit mandata nominatim de religione, deq; colendo Deo. *Exod.* . . *Ioſu.* 1.

140 Dauid Rex cum omnis iam religio, ab impio Rege Saule prorſus eſſet diſſipata, reduxit arcam Dei, hoc eſt, religionem reſtituit: nec tantùm adfuit vt admonitor, aut hortator operis, ſed etiam pſalmos & hymnos dedit, & claſſes diſpoſuit, & pompam inſtituit, & quodammodo præfuit ſacerdotibus. 1. *Par.* 13.

141 Salomon Rex ædificauit Templum Domino, quod eius pater Dauid animo tantùm deſtinauerat: & poſtremò orationem egregiam habuit ad populum de religione & cultu Dei: Et Abiatharum Epiſcopum poſteà ſummouit, & in eius locum, Sadocùm ſurrogauit: Cumq; poſtea Templum Dei fœdum in modum eſſet Sacerdotum vitio, & negligentia contaminatum, Ezechias illud Rex juſſit à ruderibus & ſordibus repurgari, accendi lumina, ſuffitus adoleri, & veteri ritu ſacra fieri: Æneum etiam Serpentem qui tùm à populo impiè colebatur, tolli, & in puluerem redigi. Ioſophat Rex, excelſa, & lucos, quibus impediri videbat cultum Dei, & populum a communi Templo, quod erat Hieroſolymis, ad quod ex omni parte regni quotannis eundum erat priuata ſuperſtitione retineri, euertit & ſuſtulit. Ioſias Rex diligenter admonuit Sacerdotes, & Epiſcopos officij ſui. Ioas Rex repreſſit luxum, & inſolentiam ſacerdotum. Iehu impios prophetas neci dedit. Et ne plura ex ſacris Scripturis exempla commemoremus, ac potiùs à Chriſto nato quemadmodum in Euangelio Eccleſia adminiſtrata ſit conſideremus. Olim Imperatores Chriſtiani indicebant Epiſcoporum Concilia: Conſtantinus Nicenum: Theodoſius pri- 2. *Par.* 6. 3. *Reg* 8. 2. *Par.* 29. 4. *Reg.* 18. 2. *Par.* 17. 4. *Reg.* 23. 4. *Reg.* 12. 4. *Reg.* 10.

mus Conſtantinopolitanum: Theodoſius ſecundus Epheſinum: Martianus Calcedonenſe, cumq; Ruffinus allegaſſet Synodum, quaſi quæ pro ſe faceret, eius Aduerſarius Hieronymus, vt eum refutaret, Doce, inquit, quis eam Imperator iuſſerit conuocari. Idem in Epitaphio Paulæ citat literas Imperatorum, qui Epiſcopos Latinos, Græcoſq; Romam accerſiri iuſſerint.

142 Omninò per annos quingentos Imperator ſolus agebat conventus ſacros, & Epiſcoporum Concilia celebrabat. Quò magis nunc miramur importunitatem Epiſcopi Romani, qui, quod ſciat integris rebus fuiſſe ius Imperatoris, nunc autem poſtquam Reges in partem Cæſareæ maieſtatis deuenerunt, eſſe ius commune omnium principum, id ita temerè vni adſcribat ſibi, & ſatis eſſe putet voluntatem ſuam de habendo Concilio cum Principe orbis terrarum viro, tanquam cum famulo ſuo communicare.

Vt Pius 4. in Bulla ſua ad Imper Ferdinandum.

143 Quod ſi Imperatoris Ferdinandi modeſtia tanta eſt fortaſſe, quòd artes Pontificias non ſatis nôrit, vt hanc iniuriam ferre poſſit, Pontifex tamen pro ſua ſanctitate iniuriam illi facere, & ius ſibi alienum arrogare non debebat.

144 At Conuocabat quidem tum, inquiet aliquis, Imperator Concilia, quòd Romanus Epiſcopus nondum ad iſtam magnitudinem peruenilſet, tamen ne tùm quidem, aut vnà ſedebat cum Epiſcopis in Concilio, aut omninò in deliberatione auctoritatem ſuam vllam in partem interponebat: imò verò vt Theodoretus ait, Imperator Conſtantinus in Concilio Niceno, non ſolum vnà ſedebat, ſed etiam Epiſcopos, quemadmodum cauſa ex Apoſtolicis, Propheticiſq; literis cognoſcenda eſſet, admonebat. In diſputationibus (inquit) de rebus diuinis propoſitam nobis habemus, quam ſequamur doctrinam Spiritus ſancti. Euangelici enim, & Apoſtolici libri, & Prophetarum Oracula ſatis oſtendunt, quid nobis de voluntate Dei ſit ſententiendum. Theodoſius Imperator, vt ait Socrates, non ſolùm ſedit inter Epiſcopos, ſed etiam cauſæ diſceptationi præfuit, & Hæreticorum ſcripta lacerauit, & Catholicorum ſententiam comprobauit.

Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 5.

Lib. 1. cap. 5.

145 In Calcedonenſi Concilio magiſtratus ciuilis Dioſcorum, Iuuenalē, Thalaſſium Epiſcopos ſua ſententia pro hæreticis condemnauit, eoſq; de illo gradu Eccleſiæ deijciendos eſſe cenſuit.

Socrat. lib. 5. cap. 10.

Actione 2.

146 In Conſtantinopolitano Concilio 3. ciuilis magiſtratus Conſtantinus non ſolùm ſedit inter Epiſcopos, ſed etiam ſubſcripſit cum Epiſcopis: legimus, inquit, & ſubſcripſimus. In Concilio Arauſicano 2. legati principum viri patricij non tantum ſententiam de religione dixerunt, ſed etiam inter Epiſcopos ſubſcripſerunt: Sic enim in illo Concilio ſcribitur ad extremum: Petrus Marcellinus, Felix Liberius, viri clariſſimi & illuſtres Præfecti Prætorij Galliarum

rum, atque Patricij conſentientes ſubſcripſerunt. Syagrius, Opilio, Pantagathus, Deodatus, Cariatho, Marcellus viri clariſſimi ſubſcripſerunt.

147 Quod ſi præfecti Prætorij, & viri Patricij ſubſcribere in Concilio potuerunt, imperatores, & Reges non potuerunt? Non ſanè opus erat, rem ita perſpicuam, tot verbis & tàm prolixè proſequi, niſi nobis res cum illis eſſet, qui omnia clariſſima, etiam ea quæ vident, quæque oculis vſurpant, tamen contentionis, & vincendi ſtudio negare ſolent. Imperator Iuſtinianus legem tulit de corrigendis moribus, & de frænanda inſolentia ſacerdotum, & quamuis eſſet Chriſtianus & Catholicus Imperator, tamen duos Papas ſucceſſores Petri, vicarios Chriſti, Syluerium & Vigilium de Papatu deiecit.

148 Iam verò qui auctoritatem ſumunt in Epiſcopos qui à Deo accipiunt mandata de religione: qui reducunt arcam Dei, componunt ſacros Pſalmos, præſunt Sacerdotibus ædificant templa, habent conciones de cultu Dei: qui templa repurgant, demoliuntur excelſa, incendunt lucos: qui ſacerdotes admonent officij & illis ſcribunt leges vitæ: qui Prophetas impios occidunt: qui Epiſcopos ſummouent: qui cogunt concilia Epiſcoporum: qui cum Epiſcopis vnà ſedent, eoſq; quid agendum ſit inſtituunt: qui Epiſcopum hæreticum adiudicant ſupplicio: qui de religione cognoſcunt: qui ſubſcribunt: qui pronunciant: atque hæc omnia non alieno iuſſu, ſed nomine ſuo, & rectè & piè faciunt, an ad eos dicemus religionis curam non pertinere? aut magiſtratum Chriſtianum, qui hiſce rebus ſe admiſceat, aut improbè aut immodeſtè, aut impiè facere? His rebus Imperatores & Reges antiquiſſimi, & Chriſtianiſſimi ſeſe admiſcuerunt: non tamen ea cauſa vnquam notati ſunt, aut impietatis, aut immodeſtiæ. Et quis quærat vel principes magis Catholicos, vel exempla illuſtriora?

149 Quod ſi hoc illis licebat, cùm eſſent ciuiles tantùm magiſtratus, & præeſſent rebus publicis, quid hodie peccauerunt noſtri Principes, quibus cùm eo loco ſint, idem tamen non liceat? Aut quæ tanta vis doctrinæ, iudicij, ſanctitatis eſt in iſtis, vt præter conſuetudinem omnium veterum & Catholicorum Epiſcoporum, qui cum principibus viris de religione deliberârunt, nunc principes Chriſtianos à cauſæ cognitione & à ſuo congreſſu reijciant? Sed rectè illi cauent ſibi, regnoq; ſuo quod alioqui vident breui eſſe ruiturum. Nam ſi illi quos Deus in altiſſimo gradu collocauit, viderent atque intelligerent iſtorum artes; contemni ab illis iuſſa Chriſti: obſcurari & extingui lucem Euangelij: ſibi fucum fieri, imprudentibus illudi, atque obſtrui aditum ad regnum Dei: nunquam illi ſe vel ita ſuperbè deſpici, vel ita contumelioſè haberi ludibrio, ita facilè paterentur.

Nunc

Nunc autem illi eos inſcitia & cæcitate obſtrictos ſibi habent atque obnoxios.

150 Nos quidem vti diximus de mutanda religione nihil temerè autinſolenter, nihil niſi cunctanter, & magna cum deliberatione fecimus: neq; id vnquam animum induxiſſemus facere, niſi nos & manifeſta, atque indubitata voluntas Dei nobis in ſacroſanctis Scripturis patefacta, & ſalutis noſtræ ratio coegiſſet. Etſi enim diſceſſimus ab illa Eccleſia, quam iſti appellant Catholicam, & ea re nobis apud illos, qui iudicare non poſſunt, inuidiam faciunt, tamen id ſatis eſt nobis, ſatiſque eſſe debet homini prudenti, & pio, & de æterna vita cogitanti, nos ab ea Eccleſia diſceſſiſſe, quæ errare potuerit, quam Chriſtus qui errare non poteſt, tantò ante prædixerit erraturam; quamque nos ipſi oculis perſpicuè videbamus à ſanctis Patribus, ab Apoſtolis, à Chriſto ipſo, à Primitiua & Catholica Eccleſia diſceſſiſſe. Acceſſimus autem, quantum maximè potuimus ad Eccleſiam Apoſtolorum, & veterum catholicorum Epiſcoporum, & Patrum, quam ſcimus adhuc fuiſſe integram, vtque Tertullianus ait, incorruptam virginem, nulla dum idololatria, nec errore graui, ac publico contaminatam: nec tantùm doctrinam noſtram, ſed etiam Sacramenta, precumque publicarum formam, ad illorum ritus & inſtituta direximus: vtque Chriſtum ipſum, & omnes ferè pios feciſſe ſcimus, religionem ab iſtis turpiter neglectam & deprauatam ad originem, & ad primordia reuocauimus. Inde enim putauimus inſtaurationem petendam eſſe, vnde prima religionis initia ducta eſſent. Hęc enim ratio inquit antiquiſſimus Pater Tertullianus valet aduerſus omnes hæreſes, Id eſſe verum quodcúnque primum: id eſſe adulterum quodúnque poſterius. Irenæus ſæpè ad antiquiſſimas Eccleſias prouocauit, quæ Chriſto fuiſſent viciniores, qualíq; credibile vix eſſet errauiſſe. Iam verò cur ea hodie ratio non initur? Cur ad antiquarum Eccleſiarum ſimilitudinem non redimus? Cur id à nobis hodie audiri non poteſt, quod olim in Concilio Niceno à tot Epiſcopis, & Catholicis Patribus, nullo reclamante pronunciatum eſt, ἔδοξε ἀρχαῖα κρατεῖν? Eſdras cùm reficere velit ruinas Templi, non miſit Epheſum, quamuis ibi eſſet Dianæ templum pulcherrimum, & ornatiſſimum, cúmque vellet Sacra & cæremonias reſtituere, non miſit Romam, quamuis fortaſſe audiſſet ibi eſſe Hecatombas, Solitaurilia, Lectiſternia, ſupplicationes & libros Numæ Pompilij rituales. Satis ille ſibi putauit fore, ſi exemplar veteris Templi, quod ab initio Salomon ad Dei præſcriptum excitauerat, & veteres illos ritus ac cæremonias, quas Deus ipſe Moſi nominatim ſcripſerat, haberet ante oculos, & ſequeretur.

151 Aggæus Propheta, cùm iam Templum ab Eſdra refectum eſſet,

eſſet, & populo cauſa oblata ſatis iuſta videri potuiſſet, ſibi de tanto Dei Optimi Maximi beneficio gratulandi, tamen excuſſit omnibus lacrymas quod qui erant adhuc ſuperſtites, & priora Templi ædificia, antequam à Babylonijs diriperetur, viderant, meminiſſent multùm adhuc ab ea pulchritudine abeſſe, quæ olim fuerat. Tum enim demum putaſſent Templum egregiè inſtauratum, ſi ad priſtinum exemplar, & veterem Templi maieſtatem reſponditſet.

152 Diuus Paulus, vt Cœnam Domini, quam Corinthij iam tum cœperant corrumperere, repurgaret; propoſuit illis inſtitutionem Chriſti, quam ſequerentur. Id (inquit) ego vobis tradidi, quod acceperam à Domino. Et Chriſtus vt Phariſæorum errorem refelleret, Ad initia (inquit) redeundum eſt: ab initio non fuit ſic.

153 Vtque Sacerdotum ſordes, & auaritiam coargueret, & Templum purgaret, Hæc (inquit) ab initio Domus orationis fuit, vt populus omnis piè & caſtè precaretur: atque ita vos oportebat nunc quoque eam inſtituere. Non enim ea cauſa extructa fuit, vt eſſet ſpelunca latronum.

154 Sic omnes in ſacris Scripturis pij & laudati Principes, eo maximè nomine laudati ſunt, quòd ambulaſſent in vijs Dauid patris ſui, videlicet, quòd ad primordia, & ad fontes redijſſent, & Religionem in integrum reſtituiſſent.

155 Itaque nos cùm videremus omnia ab iſtis prorſus eſſe peſſundata, & in Templo Dei præter miſeras ruinas nihil eſſe reliqui, conſultiſſimum eſſe duximus, vt illas nobis Eccleſias proponeremus quas certò ſciremus, & non erraſſe, & Miſſas priuatas, & preces ignotas ac barbaras, & iſtam Sacrorum corruptionem, atque alias ineptias non habuiſſe.

156 Et cùm Templum Domini cuperemus in integrum reſtitutum, non aliud fundamentum quærere voluimus, quàm quod iam olim ab Apoſtolis ſciremus eſſe iactum, quod eſt, Seruator noſter Ieſus Chriſtus.

157 Cùmque audiremus Deum ipſum nobis loquentem in verbo ſuo, & videremus exempla illuſtria veteris & primitiuæ Eccleſiæ, incerta autem eſſet Concilij generalis expectatio, & euentus multò incertior: maximè verò cùm certi eſſemus de voluntate Dei, & nefas eſſe duceremus nimiùm ſolicitos eſſe atque anxios de ſententijs hominum, non potuimus amplius cum carne & ſanguine deliberare: illud potius fecimus, quod & rectè poſſet fieri, & à pijs hominibus, & catholicis Epiſcopis ſæpe multis factum eſſet: vt Prouinciali Synodo noſtris Eccleſijs proſpiceremus. Sic enim veteres Patres ſcimus ſolitos eſſe experiri, antequam ad publicum orbis terrarum Concilium veniretur. Extant hodie Canones ſcripti, in Concilijs municipalibus, Carthagini

gini ſub Cypriano, Ancyræ, Neocæſariæ, Gangræ, etiam in Paphlagonia, vt quidem putant, antequam Niceni Concilij Oecumenici nomen auditum eſſet. Ad hunc modum olim ſine Concilio generali ſtatim domi priuata diſceptatione occurſum eſt Pelagianis, & Donatiſtis. Sic cùm Imperator Conſtantinus aperte ſtuderet Auxentio Arianarum partium Epiſcopo, Athanaſius Epiſcopus Chriſtianus, non ad Concilium generale, in quo videlicet propter Imperatoris potentiam, & ſtudium partium videbat nihil poſſe fieri, ſed ad clerum, populumque ſuum, hoc eſt, ad Prouincialem Synodum prouocauit. Sic decretum eſt in Concilio Niceno, vt in ſingulos annos bis, in Carthaginenſi, vt minimùm ſemel Epiſcoporum conuentus, in ſingulis prouincijs haberentur: quod Chalcedonenſe Concilium ait, ea cauſa fuiſſe factum, vt ſi qui errores, aut abuſus vſpiam emerciſſent, ſtatim in ſ ipſo veſtigio, vbi nati fuiſſent, extinguerentur. Ita, cùm Secundus, & Palladius Aquileienſe concilium, quod non eſſet generale ac publicum repudiarent, Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis reſpondit, Non debere illud nouum cuiquam videri, aut peregrinum, ſi Occidentis Epiſcopi conuocent Synodos, aut agant conuentus Prouinciales, id enim anteà & ab Occidentalibus Epiſcopis non rarò, & à Græcis ſæpe factum eſſe. Ita Carolus magnus Imperator concilium habuit Prouinciale in Germania contra Concilium Nicenum ſecundum, de tollendis imaginibus. Nec nobis quidem prorſus inaudita, aut noua eſt ea ratio. Nos enim habuimus aliquando in Anglia Synodus Prouinciales, & domeſticis legibus Eccleſias noſtras ordinauimus. Quid multis? Certè concilia illa pleniſſima, & maxima, de quibus iſti ſolent tantoperè gloriari, ſi cum omnibus Eccleſijs, quæ per totum orbem terrarum agnoſcunt, & confitentur nomen Chriſti, conferantur, quid obſecro aliud videri poſſunt, quàm priuata quædam Epiſcoporum Concilia, & Synodi Prouinciales? Nam etſi fortè Italia, Gallia, Hiſpania, Anglia, Germania, Dania, Scotia, conueniat: abſit autem Aſia, Græcia, Armenia, Perſia, Media, Meſopotamia, Ægyptus, Æthiopia, India Mauritania, quibus in locis omnibus, & Chriſtiani homines multi ſunt, & Epiſcopi: quomodo poteſt cuiquam ſano huiuſmodi Concilium videri generale? Aut cùm tot partes orbis abſint, quomodo poſſint verè dicere, ſe habere conſenſum orbis terrarum? Aut quale tandem erat illud Concilium proximum Tridentinum, aut quomodo dici potuit generale, cùm ad illud ex omnibus regnis & regionibus Chriſtianis, quadraginta tantùm Epiſcopi conueniſſent, & ex illis aliqui ita diſerti, vt remittendi eſſe viderentur ad Grãmaticos: ita verò docti, vt nunquam perlegerint ſacras literas. Quicquid eſt veritas Euangelij Ieſu Chriſti, non pendet à Concilijs, aut vt Paulus ait, ab humano die. Quod ſi illi quibus Eccleſiam Dei curæ

eſſe

eſſe oportuit, ſapere nolint, & officio ſuo defuerint, atque animos contra Deum, & eius Chriſtum obfirmauerint, & rectas vias Domini peruertere perrexerint; Deus lapides excitabit, & pueros infantes diſertos faciet, vt ſemper exiſtant aliqui, à quibus iſtorum mendacia refutentur. Poteſt enim Deus non ſolùm ſine Concilijs, ſed etiam inuitis Concilijs, & tueri, & promouere regnum ſuum. Multæ, inquit Salomon, ſunt cogitationes in humano corde: ſed Domini Conſilium manet firmum. Non enim eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt Conſilium contra Dominum. Humanis operibus, inquit Hilarius, extructa non durant: aliter ædificanda, aliter conſeruanda Eccleſia eſt. Ea enim poſita eſt in fundamentis Apoſtolorum & Prophetarum, & continetur vno angulari lapide Chriſto Ieſu. Multo verò clariſſimè, & ad hæc tempora appoſitiſſimè D. Hieronymus: Quoſcunque inquit, Diabolus deceperit, & quaſi ſuaui, & pernicioſo carmine Syrenarum illexerit ad dormiendum, eos excitat Sermo diuinus, & dcit: Surge qui dormis, eleuare, & illuminabit te Chriſtus. In aduentu ergo Chriſti & Sermonis Dei, & doctrinę Eccleſiaſticæ, & conſummationis Niniuæ, & ſpecioſiſſimæ meretricis, eleuabitur populus, & properabit, qui ſub Magiſtris anteà fuerat ſopitus, & ibit ad montes Scripturarum: ibi inueniet montes, Moſen, Ieſum filium Naue: montes, Prophetas, montes noui Teſtamenti, Apoſtolos, & Euangeliſtas. Et cùm ad tales montes confugerit, & in huiuſmodi montium fuerit lectione verſatus, ſi non inuenerit, qui eum doceat (meſſis enim erit multa, operarij pauci) tamen & populi ſtudium comprobabitur, quòd confugerint ad huiuſmodi montes, & Magiſtrorum negligentia coarguetur. Hæc Hieronymus ita perſpicuè, vt nihil opus ſit interprete, ita ad ea quæ nos iam oculis videmus euenisſe, accommodatè vt nobis quidem videatur, vniuerſum ſtatum temporum noſtrorum, & ornatiſſimæ illuis meretricis Babylonicæ ruinam, & Eccleſiæ Dei inſtaurationem, & cæcitatem atque ignauiam Epiſcoporum, & ſtudium atque alacritatem populi, quaſi Spiritu Prophetico prædicere, & ante oculos noſtros conſtituere voluiſſe. Quis enim tàm cæcus eſt, vt non videat iſtos illos Magiſtros eſſe à quibus populus, vt Hieronymus ait, in errorem inductus ſit, & conſopitus: aut Niniuen iſtorum Romam pulcherrimis aliquando fucatam coloribus, nunc detracta perſona, & melius videri, & minoris fieri: aut homines pios excitatos tanquam è graui ſomno, ad lucem Euangelij, & ad voces Dei, nihil expectatis huiuſmodi Magiſtrorum Concilijs, contuliſſe ſe ad montes Scripturarum?

In Prophetam Naum, cap. 3.

158 At ſaltem, inquiet aliquis, iniuſſu Romani Pontificis iſta tentari non oportuit: illum enim vnum eſſe nodum, vinculum ſocietatis Chriſtianæ: illum vnum eſſe Sacerdotem illum Leuitici generis, quem Deus

Deus ſignificauerit in Deuteronomio, à quo conſilium in rebus arduis, & veritatis iudicium petendum ſit: Si quis illius iudicio non obtemperet illum in conſpectu fratrum ſuorum oportere interfici: illum, quicquid agat, non poſſe à quoquam mortalium iudicari: Chriſtum in cœlis regnare, illum in terris: illum vnum poſſe quicquid Chriſtus, aut Deus ipſe poteſt: illius & Chriſti vnum eſſe Conſiſtorium: ſine illo nullam eſſe fidem, nullam ſpem, nullam Eccleſiam: qui ab illo diſcedat, eum abijcere & repudiare ſalutem ſuam. Hæc Canoniſtæ paraliti Pontificum, non nimium modeſtè illi quidem. Vix enim plura, certè non ampliora potuiſſent de Chriſto ipſo dicere.

159 Nos quidem non voluptatis vllius humanæ, aut commodi cauſâ à Pontifice diſceſſimus. Atque vtinam potius ille ea ſe gereret, ne opus eſſet diſceſſione. Verùm ita res erat, nos niſi illo relicto, non potuimus ad Chriſtum peruenire. Neque ille nunc aliud fœdus nobiſcum ferire vult, quàm quale olim rex Ammonitarum Naas ferire voluit cum Iabenſibus, vt illis omnibus dextros oculos effoderet: Eripere enim vult nobis ſacras Scripturas, Euangelium ſalutis noſtræ, & omnem illam ſpem, quam habemus in Chriſto Ieſu. Alijs enim conditionibus pacem non poſſe conuenire. 1 Reg. 11.

160 Nam quod quidam tantoperè ſolent prædicare Papam ſolum eſſe ſucceſſorem Petri, quaſi eâ cauſâ Spiritum Sanctum in ſinu gerat, & errare non poſſit, leue ac nugatorium eſt. Animo pio, ac Deum timenti promiſſa eſt Dei gratia, non cathedris & ſucceſſionibus. Diuitiæ, inquit Hieronimus, potentiorem Epiſcopum facere poſſunt: omnes tamen Epiſcopi quicunque ſunt, ſunt ſucceſſores Apoſtolorum. Quod ſi locus & inauguratio ſola ſatis eſt, & Manaſſes ſucceſſit Dauidi, & Caiaphas Aaroni, & idolum ſæpe ſtetit in Templo Dei. Archidamus olim Lacedæmonius multa de ſe prædicabat quòd eſſet ex Hercule oriundus: eius inſolentiam ita refutabat Nicoſtratus: Atqui tu ex Hercule oriundus non videris: Nam ille malos homines interfecit, tu ex bonis malos facis. Cumq; Phariſæi iactarent ſucceſſiones ſuas, & genus & ſanguinem Abrahami: Vos, inquit Chriſtus, quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus ſum, quam audiui a Deo: hoc Abraham nunquam fecit: Vos ex patre Diabolo eſtis, & eius voluntati vultis obſequi. Tamen vt aliquid ſucceſſioni largiamur, An ſolus Papa ſucceſſit Petro? Qua ergo in re, qua in religione, in qua functione, in qua parte vitæ illi ſucceſſit? Quid vnquam aut Petrus Papæ ſimile habuit, aut Papa Petro? niſi hoc forte velint dicere, Petrum cum eſſet Romæ nunquam docuiſſe Euangelium, nunquam pauiſſe gregem: abſtuliſſe claues regni cœlorum: abſcondiſſe theſauros Domini ſui: tantùm ſediſſe in Laterano, & omnia ſpatia purgatorij & ſuppliciorum genera digito deſcripſiſſe: animas miſeras alias in cruciatum

cruciatum relegaſſe: alias accepta mercede repentè pro arbitrio exemiſſe: Miſſas priuatas quæ in omnibus angulis dicerentur tradidiſſe: ſacra myſteria ſummiſſa voce & aliena lingua muſitaſſe: Euchariſtiam in omnibus Templis & altaribus collocaſſe; eámque ante ſe quocunque incederet in aſturcone gradario cum luminibus & tintinnabulis circumtuliſſe: oleum, ceram, lanam, campanas, calices, Templa, Altaria, ſacro anhelitu conſecraſſe: Iubilæa, gratias, immunitates, expectationes, præuentiones, annatas, pallia, vſum palliorum, bullas, Indulgentias, diplomata vendidiſſe: ſeſe caput Eccleſiæ & ſummum Pontificem, & Epiſcoporum Epiſcopum, & ſolum ſanctiſsimum appellaſſe: in alienas Eccleſias ius & auctoritatem ſibi vſurpaſſe: ab omni ſeciuili poteſtate exemiſſe, bella geſsiſſe: principes inter ſe commiſiſſe in aurata ſella, corona lemniſcata, apparatu Perſico, regali ſceptro, aureo diademate, lucentibus gemmis, in hominum nobilium ceruicibus equitaſſe. Hæc ſcilicet Petrus olim Romæ fecit, eáque ſucceſſoribus ſuis, quaſi per manus tradidit. Hęc enim à Papis hodie Romæ fiunt: atque ita fiunt, quaſi aliud fieri nihil debeat. Aut niſi hoc malint fortaſſe dicere Papam ea nunc facere omnia, quæ olim ſcimus feciſſe Petrum: diſcurrere in omnes terras: docere Euangelium, non tantùm publicè, ſed etiam priuatim per ſingulas domus: inſtare opportunè, importunè, tempeſtiuè, intempeſtiuè: opus facere Euangeliſtæ, implere miniſterium Chriſti: eſſe ſpeculatorem domus Iſrael: accipere oracula & voces Dei, eáſque vt acciperit ita populo reddere: eſſe ſal terrę: eſſe lucem mundi: non ſeipſum paſcere, ſed gregem: non implicare ſe ciuilibus negotijs huius vitæ: non exercere dominium in populum Domini: non quęrere vt id ſibi ab alijs miniſtretur, ſed ipſum potiùs alijs miniſtrare: omnes Epiſcopos putare ſocios eſſe ſuos, & pares: ſubiectum eſſe principibus tanquam à Deo miſſis: reddere quod Cæſaris eſt Cæſari: quódque veteres Epiſcopi Romani ſine exceptione fecerunt Imperatorem Dominum ſuum appellare: Hęc niſi nunc Papę faciant, & niſi ea quę diximus Petrus fecerit, nihil eſt quod de nomine Petri, & de iſta ſucceſsione tantopere glorientur. Quòd autem de ſeceſſione noſtra querantur, & nos ad ſocietatem & fidem ſuam reuocent, multò minus. Cobilonem (aiunt) quendam Lacedæmonium, cùm fœdoris feriendi cauſâ miſſus eſſet legatus ad Regem Perſarum, & Aulicos fortè inueniſſet ludentes aleâ, ſtatim re infectâ rediiſſe domum: rogatum cur neglexiſſet ea facere quæ publicè acceperat in mandatis, reſpondiſſe, quod ignominioſum exiſtimaſſet id fore Reibublicæ, ſi fœdus percuſſiſſet cum aleatoribus. At ſi nos ad Pontificem Pontificioſque errores redire animum induceremus, & fœdus non tantùm cum aleatoribus, ſed etiam cum hominibus longè nequioribus feriremus; eſſet id nobis non tantùm ad famam ignominioſum

oſum, ſed etiam ad inflammandam aduerſus nos iram Dei, & ad opprimendam extinguendámque conſcientiam noſtram, pernitioſum. Nam nos quidem diſceſſimus ab illo quem videbamus multa iam ſæcula cæcaſſe orbem terrarum. Ab illo qui nimiùm inſolenter dicere ſolebat ſe errare non poſſe, & quicquid ageret, non poſſe ſe à quoquam mortalium, non à Regibus, non ab Imperatoribus, non à toto Clero, non ab vniuerſo populo iudicari: non ſi mille animas ſecum abduceret ad Inferos: Ab illo qui ſibi imperium ſumebat, non tantùm in homines, ſed etiam in Angelos Dei, vt irent, redirent, ducerent animas in Purgatorium, & eaſdem reducerent cùm ipſe vellet, quem Gregorius clariſſimè dicebat eſſe præcurſorem & Antiſignanum Antichriſti, & à fide Catholica defeciſſe, à quo Coryphæi noſtri illi, qui Euangelio atque agnitæ veritati ſe opponunt, ad vnum omnes iam pridem vltro, & libenter diſceſſerunt: & nunc etiam ab eodem non inuiti diſcederent, niſi eos inconſtantiæ nota, & pudor, & populi de ſe exiſtimatio impediret. Poſtremò ab illo diſceſſimus, cui obſtricti non eramus, quique præter genium quendam loci, & ſucceſſionem, quod pro ſe diceret, nihil habuit. Et nos quidem ab illo longè omnium iuſtiſſimè diſceſſimus. Noſtri enim Reges illi etiam qui auctoritatem & fidem Epiſcoporũ Romanenſium obſeruantiſſimè ſequebantur, ſatis iam olim ſenſerunt iugum, & tyrannidem regni Pontificij. Romani enim Epiſcopi ab Henrico Rege noſtro eius nominis Secundo, diadema de capite detraxerunt, eamq; abiectâ omni maieſtate, priuato tantùm habitu, vt eſſet ſuis omnibus ludibrio, ad Legatum ſuum venire demiſſum & ſupplicem voluerunt. Et in Regem noſtrum Iohannem, Epiſcopos, & Monachos, & nonnullam etiam partem Nobilitatis armauerunt, & populum omnem iureiurando, quo illi erant obſtricti liberârunt, eúmque poſtremò nefariè per ſummum ſcelus, non tantúm regno, ſed etiam vitâ exuerunt: Et Henricum eius nominis Octauum, nobiliſſimum Principem diris & fulminibus defixerunt. Et in illum modò Cæſarem, modò Gallum commouerunt, quodq; in ipſis erat, regnum noſtrum prædæ ac direptioni expoſuerunt: homines inſani ac fatui, qui aut tantum Regem, laruis & crepitaculis perterrefieri poſſe crederent, aut tantum regnum tam facilè, vno quaſi bolo deuorare. Et quaſi hęc omnia non eſſent ſatis, vniuerſam etiam Prouinciam vectigalem habere voluerunt: & ex ea quotannis cenſus iniuſtiſſimos exegerunt. Tanti videlicet nobis conſtitit amicitia vrbis Romæ. Quod ſi illi nobis iſta impoſturis & malis artibus extorſerunt, nihil cauſæ eſt, cur non illis eadem legitimis rationibus & bonis legibus poſsint eripi. At ſi ea illis Reges noſtri in illa caligine ſuperiorum temporum, inducti opinione aliquâ ſimulatæ illorum ſanctitatis, religionis ergo, vltrò, & liberaliter donauerunt, poſtea animaduerſo errore, a poſteris Regibus qui eádem

eâdem poteſtate ſunt, poſſunt auferri. Irrita enim eſt donatio, niſi donatoris voluntate comprobetur. Voluntas autem videri non poteſt, quam error obfuſcat, atque impedit.

Habes Chriſtiane Lector: Non eſſe nouum, ſi hodie poſtliminio reſtituta, & quaſi renaſcens religio Chriſtiana contumelijs, & conuitijs accipiatur: Id enim Chriſto ipſi, Apoſtolis, & primæuæ Eccleſiæ Chriſtianis acciditſſe. Tamen ne quis iſtis aduerſariorum noſtrorum clamoribus abduci, & ſibi imponi patiatur, expoſuimus vniuerſam rationem religionis noſtræ, quid de Deo Patre, quid de eius vnico filio Ieſu Chriſto, quid de Spiritu ſancto, quid de Eccleſia, quid de Sacramentis, quid de Miniſterio, quid de ſacris Scripturis, quid de Cæremonijs, quid de omni parte perſuaſionis Chriſtianæ ſentiamus. Diximus præterea nos omnes antiquas hæreſes, quas aut ſacroſanctæ ſcripturæ, aut vetera Concilia condemnârunt, vt peſtes & pernities animorum deteſtari; & in fundamentis veræ religionis, vnanimes conſentire. Nos diſciplinam Eccleſiaſticam, quam aduerſarij noſtri prorſus eneruârunt, quantum maximè poſſumus reuocare: & omnem vitæ licentiam, & diſſolutionem morum, priſcis, & auitis legibus, & ea qua par eſt, quaq; poſſumus ſeueritate vindicare. Nos regnorum ſtatum eo quo accepimus loco, ſine imminutione vlla, aut mutatione retinere, & principibus noſtris Maieſtatem, quantùm maximè poſſumus, incolumem conſeruare. Nos ab illâ Eccleſiâ quàm iſti ſpeluncam latronum fecerant, & in qua nihil integrum, aut Eccleſiæ ſimile reliquerant, quamq; ipſi fatebantur multis in rebus errauiſſe, vt Lothum olim è Sodoma, aut Abrahamum è Caldæa, non contentionis ſtudio, ſed Dei ipſius admonitu diſceſſiſſe: Et ex ſacris libris quos ſcimus non poſſe fallere, certam quandam religionis formam quæſiuiſſe, & ad veterum Patrum, atque Apoſtolorum, primitiuam Eccleſiam, hoc eſt, ad primordia atque initia, tanquam ad fontes redijſſe. Auctoritatem autem in ea re, aut conſenſum concilij Tridentini, in quo videremus nihil rectè, atque ordine geri, vbi ab omnibus in vnius nomen iuraretur: vbi legati principum noſtrorum contemnerentur: vbi nemo noſtrorum Theologorum audiretur: vbi apertè partibus, atque ambitioni ſtuderetur, non expectaſſe. Quod olim ſancti Patres, quodq; maiores noſtri ſæpè fecerunt prouinciali conuentu noſtras Eccleſias reſtituiſſe. Epiſcopi verò Romani, cui obſtricti non eramus, quicq; nihil habebat, nec Chriſti, nec Petri, nec Apoſtoli, nec omninò Epiſcopi ſimile, iugum, & tyrannidem pro eo ac debuimus, excuſſiſſe. Poſtremò, nos inter nos, de omnibus dogmatis & capitibus religionis Chriſtianæ conuenire, & vno ore vnóque ſpiritu colere Deum, & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

161 Quare cùm videat aliquis rationes & cauſas, & reſtitutæ apud

nos religionis, & seceſſionis ab iſtis noſtræ, mirari non debet, ſi Chriſto noſtro obtemperare maluimus, quàm hominibus. Paulus nos admonuit, ne varijs iſtis doctrinis nos abduci pateremur: vtque illos imprimis fugeremus, qui ſerent diſſentiones, præter illam doctrinam, quam à Chriſto, & Apoſtolis accepiſſent. Iamdudum vt noctua ad Orientem ſolem, ita iſtorum impoſturæ dilabuntur & fugiunt ad aſpectum, & lucem Euangelij: Et quamuis ad cœlum vſque extructę, atque exaggeratæ ſint: tamen leui momento, & quodammodo ſua ſponte corruunt. Non enim putare debes iſta omnia temerè, aut caſu acciditſſe. Dei hæc voluntas fuit, vt inuitis propè omnibus, Euangelium Ieſu Chriſti in orbem terrarum his temporibus ſpargeretur. Itaque diuinis vocibus admoniti homines, ſeſe vltrò ad Chriſti doctrinam contulerunt. Nos quidem non gloriam ex ea re quæſiuimus, non opes, non voluptates, non otium. Hæc enim iſti habent abundè omnia, & nos ea, cùm apud illos eſſemus, multò largiùs, & prolixius habebamus. Neque nos conſenſionem, & pacem fugimus: ſed pacis humanæ cauſâ cum Deo belligerare nolumus. Dulce quidem, (inquit Hilarius) eſt nomen pacis: ſed aliud eſt, (inquit) pax, aliud ſeruitus. Nam vt quod iſti quærunt, Chriſtus tacere iubeatur, vt prodatur veritas Euangelij: vt errores nefarij diſſimulentur: vt Chriſtianorum hominum oculis imponatur: vt in Deum apertè conſpiretur, non ea pax eſt, ſed iniquiſſima pactio ſeruitutis. Eſt quædam, inquit Nazianzenus, pax inutilis: eſt quoddam vtile diſſidium. Nam paci cum exceptione ſtudendum eſt, quantum fas ſit, quantúmq; liceat. Alioqui Chriſtus ipſe non pacem in mundum attulit, ſed gladium. Quare ſi nos Papa ſecum in gratiam redire velit, ipſe prius in gratiam redire debet cum Deo. Hinc enim, inquit Cyprianus, ſchiſmata oriuntur, quia caput non quæritur, & ad fontem ſacrarum Scripturarum, non reditur: & cœleſtis Magiſtri præcepta non ſeruantur. Non enim (inquit) pax ea eſt, ſed bellum: nec Eccleſiæ iungitur, qui ab Euangelio ſeparatur. Iſti verò cauponari ſolent tantùm nomen pacis. Pax enim illa, quam tantoperè quærunt, otioſorum tantùm eſt ventrum tranquillitas. Nam hæc omnia inter nos facilè componi poſſent, niſi ambitio, venter, luxus impedirent: hinc illæ lacrymæ: animus eſt in patinis. Id ſcilicet clamant, atque obſtrepunt, vt malè parta fœdiùs & nequiùs tuentur. Queruntur hodie de nobis Indulgentiarij, Datarij, quæſtores, lenones, aliique qui quæſtum putant eſſe pietatem, nec Ieſu Chriſto ſeruiunt, ſed ſuo ventri. Olim enim iſti generi hominum fuit quæſtus vberrimus apud ſæculum prius. Nunc autem quicquid Chriſto accidit, id omne ſibi detractum putant. Id hodie Pontifex ipſe queritur, refrixiſſe videlicet pietatem: reditus ſuos anguſtiores iam eſſe, quàm ſolebant. Itaque nos in odium rapit, quantum poteſt, & onerat

nerat contumelijs, & condemnat pro hæreticis: vt qui cauſam non intelligunt, putent nullos eſſe homines nequiores. Nos tamen interim eâ cauſâ nec pudet, nec certè pudere debet Euangelij. Dei enim gloriam pluris facimus, quàm exiſtimationem hominum. Scimus iſta vera eſſe omnia, quæ docemus, nec poſſumus aut vim facere conſcientiæ noſtræ, aut teſtimonium dicere contra Deum. Nam ſi nos negamus partem aliquam Euangelij Ieſu Chriſti coram hominibus, ille nos viciſſim negabit coram Patre ſuo. Quòd ſi qui ſunt, qui offendi velint, & Chriſti doctrinam non ferant, cæci ſunt, & duces cæcorum: Veritas tamen prædicanda, & præ nobis ferenda eſt, & patienter expectandum eſt tribunal Dei. Interim iſti videant quid agant, & de ſalute ſua cogitent, & deſinant odiſſe ac perſequi Euangelium Filij Dei, ne illum aliquando ſentiant vindicem, & vltorem cauſæ ſuæ. Deus ſe haberi ludibrio non ſinet: Iamdudum homines vident, quid agatur. Iſta flamma quantò magis reprimitur, tantó magis magiſq; erumpit, atque euolat. Infidelitas iſtorum non fruſtrabitur fidem Dei. Quòd ſi duritiem iſtam animorum ponere, & Chriſti Euangelium recipere recuſabunt, Publicani & peccatores anteuertent illis in regno Dei.

Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Criſti, illis omnibus oculos aperiat, vt videre poſſint beatam illam ſpem, ad quam vocati ſunt, vt vnà omnes glorificemus vnum illum & verum Deum, eumq; quem de cœlo ad nos demiſit Ieſum Chriſtum, cui vnà cum Patre, & ſancto Spiritu, reddatur omnis honor & gloria in omnem æternitatem.

AMEN.

DOCTRINA CATECHETICA ECCLESIÆ ANGLICANÆ MAgis ſuccincta, qua iuuentus & plebs rudior, à Parœciarum miniſtris, antequam confirmentur ab Epiſcopo, & Euchariſtiæ Sacramentum percipiant, ſunt imbuendæ, Symbolum Apoſtolicum, Decalogum, Orationem Dominicam, Doctrinam Sacramentorum complectens: cui, formæ benedictionum ad menſam, & precationum manè & veſperè, ab vnoquoque in priuatis familijs dicendarum ſubijciuntur.

Quæſtio.

QVod tibi nomen eſt?

Reſponſio.

N. M.

Quæſtio.

Quis tibi hoc nomen tribuit?

Reſponſio.

Suſceptores mei in Baptiſmo, in quo membrum Chriſti, filius Dei, & hæres regni cœlorum effectus ſum.

Quæſtio.

Quidnam nomine tuum ſuſceptores fecerunt?

Reſponſio.

Tria promiſerunt: primùm, renunciaturum me Diabolo, & omnibus operibus eius, pompis & voluptatibus huius ſæculi, & prauis concupiſcentijs carnis: Secundum crediturum me omnibus fidei articulis: Tertium ſanctam Dei voluntatem, & omnia eius præcepta obſeruaturum, in eiſque per omnem vitam perambulaturum.

Quæſtio.

Putáſne te coram Deo deuinctum eſſe & obſtrictum, vt ea omnia credas & facias, quæ tuo nomine illi ſuſceperunt?

Reſponſio.

Equidem puto, Deóq; adiuuante ita facium, Patri item cœleſti gratias ago immortales, quòd me dignatus ſit per Dominum Ieſum Chriſtum, ad hanc ſaluris viam vocare, ipſúmq; vehementer oro, vt me ita ſua gratia confirmet, in eadem vt permaneam ad finem vſq; vitæ meæ.

Quæstio.

Recita fidei Articulos?

Responsio.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ: Et in Iesum Christum Filium eius vnicum, Dominum nostrum: Qui conceptus est è Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus: Descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis: Ascendit ad cœlum, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis: Inde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos: Credo in Spiritum sanctum: Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem: Remissionem peccatorum: Carnis resurrectionem: Et vitam æternam. Amen.

Quæstio.

In illis fidei Articulis, quid præcipuè discendum arbitraris?

Responsio.

Primùm disco credendum mihi esse in Deum Patrem, qui & me, & vniuersum hunc mundum condidit. Secundò in Deum Filium, qui & me & totum genus humanum redemit. Tertiò in Spiritum sanctum Deum, qui me & omnes Dei electos sanctificat.

Quæstio.

Dixeras susceptores tuo nomine promisisse, te mandata Dei obseruaturum: dic igitur quot sunt illa?

Responsio.

Decem.

Quæstio.

Quæ sunt illa?

Responsio.

Quæ Deus ipse prodidit capite vigesimo Exodi, dicens: Ego sum Deus tuus qui te eduxi ex Ægypto, Ex domo seruitutis.

Non habebis Deos alienos coram me.

Non facies tibi simulacrum vllius rei, quæ aut suprà in cœlo sit, aut infrà in terra, aut in aquis infrà terram: Non veneraberis eos, neque coles: Nam ego sum Dominus Deus tuus Zelotypus, qui parentum iniquitatem etiam in liberis vindico, ad tertiam vsq; quartamq; progeniem osorum mei, clementiáque vtor ad millesimam vsque progeniem erga me amantes, meáq; præcepta obseruantes.

Nomen Domini Dei tui inaniter non vsurpabis: neque enim sinet Deus impunitum, qui eius nomen inaniter adhibuerit.

Diem Sabbati sanctè transigere memento: sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; Septimo verò die quod est Domini Dei tui Sabbatum nullum opus facies, nec tu, nec filius tuus, nec ancilla tua, neq; iumentum tuum, neque apud te degens peregrinus. Nam sex diebus perfecit

perfecit Deus cœlum & terram, & mare, & quicquid in illis continetur, ſeptimo quieuit. Itaque diem Sabbati ſacrum ſibiq́ue dicatum voluit.

Honora patrem & matrem, vt ſis longæuus ſupra terram, quam daturus eſt tibi Dominus Deus tuus.

Non occides.

Non adulteraberis.

Non furaberis.

Non dices falſum teſtimonium contra proximum tuum.

Non concupiſces domum proximi tui, non vxorem, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec quicquid omninò aliud quod alterius ſit.

Quæſtio.

Quid ex dictis mandatis tibi præcipuè diſcendum arbitraris?

Reſponſio.

Equidem duo ex illis diſco: officium ſcilicet primùm in Deum, deinde etiam & in proximum.

Quæſtio.

Quod eſt in Deum officium tuum?

Reſponſio.

Vt in illum credam, illam timeam, diligam ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus, vt illum colam, illi gratias agam, in illum ſolum fiduciam collocem, illum inuocem, illius nomen & ſacroſanctum verbum adorem, illiq; omnibus diebus vitæ meæ iugiter inſeruiam.

Quæſtio.

Quod tuum eſt in proximum officium?

Reſponſio.

Vt illum æquè atque meipſum diligam: Ita me erga alios geram, quemadmodum & illos erga me ſe gerere cupio: parentes, amore, veneratione, & ſubſidio complector: Regalem Maieſtatem, eiuſq; miniſtris honore & obedientia proſequar, erga omnes gubernatores, inſtitutores, paſtores ſpirituales, & magiſtros, morigerum me & obedientem præbeam. Submiſſè me & reuerenter geram erga maiores: Neminem verbo aut facto lædam: in omnibus me iuſtum, fidelem, & integrum oſtendam: odium intus in animo occultum non foueam: manus à furto, linguam à mendacio, calumnia, & obtrectatione contineam: corpore me temperantem, ſobrium, caſtum præbeam: aliena denique vt bona non concupiſcam, ſed proprio labore, & induſtria ſtudeam, ad victum neceſſaria comparare, eiq; vitæ rationi ſatisfacere ad quam me diuina prouidentia vocauerit.

Quæſtio.

Hoc velim ſcias optime fili tuis te viribus, iſta præſtare non poſſe, neque in

Quæstio.

Recita fidei Articulos?

Responsio.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ: Et in Iesum Christum Filium eius vnicum, Dominum nostrum: Qui conceptus est è Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus: Descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis: Ascendit ad cœlum, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis: Inde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos: Credo in Spiritum sanctum: Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem: Remissionem peccatorum: Carnis resurrectionem: Et vitam æternam. Amen.

Quæstio.

In illis fidei Articulis, quid præcipuè discendum arbitraris?

Responsio.

Primùm disco credendum mihi esse in Deum Patrem, qui & me, & vniuersum hunc mundum condidit. Secundò in Deum Filium, qui & me & totum genus humanum redemit. Tertiò in Spiritum sanctum Deum, qui me & omnes Dei electos sanctificat.

Quæstio.

Dixeras susceptores tuo nomine promisisse, te mandata Dei obseruaturum: dic igitur quot sunt illa?

Responsio.

Decem.

Quæstio.

Quæ sunt illa?

Responsio.

Quæ Deus ipse prodidit capite vigesimo Exodi, dicens: Ego sum Deus tuus qui te eduxi ex Ægypto, Ex domo seruitutis.

Non habebis Deos alienos coram me.

Non facies tibi simulacrum vllius rei, quæ aut suprà in cœlo sit, aut infrà in terra, aut in aquis infra terram: Non veneraberis eos, neque coles: Nam ego sum Dominus Deus tuus Zelotypus, qui parentum iniquitatem etiam in liberis vindico, ad tertiam vsq; quartamq; progeniem osorum mei, clementiáque vtor ad millesimam vsque progeniem erga me amantes, meáq; præcepta obseruantes.

Nomen Domini Dei tui inaniter non vsurpabis: neque enim sinet Deus impunitum, qui eius nomen inaniter adhibuerit.

Diem Sabbati sanctè transigere memento: sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; Septimo verò die quod est Domini Dei tui Sabbatum nullum opus facies, nec tu, nec filius tuus, nec ancilla tua, neq; iumentum tuum, neque apud te degens peregrinus. Nam sex diebus perfecit

perfecit Deus cœlum & terram, & mare, & quicquid in illis continetur, ſeptimo quieuit. Itaque diem Sabbati ſacrum ſibiq́ue dicatum voluit.

Honora patrem & matrem, vt ſis longæuus ſupra terram, quam daturus eſt tibi Dominus Deus tuus.

Non occides.

Non adulteraberis.

Non furaberis.

Non dices falſum teſtimonium contra proximum tuum.

Non concupiſces domum proximi tui, non vxorem, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec quicquid omninò aliud quod alterius ſit.

Quæſtio.

Quid ex dictis mandatis tibi præcipuè diſcendum arbitraris?

Reſponſio.

Equidem duo ex illis diſco: officium ſcilicet primùm in Deum, deinde etiam & in proximum.

Quæſtio.

Quod eſt in Deum officium tuum?

Reſponſio.

Vt in illum credam, illam timeam, diligam ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus, vt illum colam, illi gratias agam, in illum ſolum fiduciam collocem, illum inuocem, illius nomen & ſacroſanctum verbum adorem, illiq; omnibus diebus vitæ meæ iugiter inſeruiam.

Quæſtio.

Quod tuum eſt in proximum officium?

Reſponſio.

Vt illum æquè atque meipſum diligam: Ita me erga alios geram, quemadmodum & illos erga me ſe gerere cupio: parentes, amore, veneratione, & ſubſidio complector: Regalem Maieſtatem, eiuſq; miniſtris honore & obedientia proſequar, erga omnes gubernatores, inſtitutores, paſtores ſpirituales, & magiſtros, morigerum me & obedientem præbeam. Submiſſe me & reuerenter geram erga maiores: Neminem verbo aut facto lædam: in omnibus me iuſtum, fidelem, & integrum oſtendam: odium intus in animo occultum non foueam: manus à furto, linguam à mendacio, calumnia, & obtrectatione contineam: corpore me temperantem, ſobrium, caſtum præbeam: aliena denique vt bona non concupiſcam, ſed proprio labore, & induſtria ſtudeam, ad victum neceſſaria comparare, eiq; vitæ rationi ſatisfacere ad quam me diuina prouidentia vocauerit.

Quæſtio.

Hoc velim ſcias optime fili tuis te viribus, iſta præſtare non poſſe, neque in

Dei mandatis versari, & illi prout decet inseruire nisi singulari eius gratia, adiutum, quæ, quomodo ardentissimis precibus petenda sit, eascas oportet. Audiam igitur an memoriter teneas orationem Dominicam?

Responsio.

Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tûa sicut in cœlo, & in terra: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.

Quæstio.

In hac Oratione quid à Deo petis?

Responsio.

Equidem contendo à Domino Deo patre cœlesti, bonorum omnium largitore, ita me, omnesq; alios sua gratia velit augere, & confirmare, vt illum colamus, illi seruiamus, & pro eo atque decet in omnibus obtemperemus: peto etiam vt omnia nobis largiatur, tum ad corporis incolumitatem, tum ad animæ salutem necessaria, vt sua nos misericordia complectatur, nobisq; nostra peccata condonet, dignetur nos ab omnibus periculis, & animæ & corporis tueri, ab omniq; peccati & sceleris contagione, ab hoste spirituali Satana, morte, & damnatione æterna liberare. Quæ quidem omnia spero pro sua misericordia, & benignitate faciet per Dominum nostrum Iesum Christum. Ideoq; in extrema clausula addo Amen.

Quæstio.

Quibus præterea mediis vtendum est nobis, ad hanc gratiam consequendam, qua & articulos fidei Christianæ firmius amplectamur, præcepta Dei diligentius obseruemus, & ardentius Deum inuocemus?

Responsio.

Media præcipua sunt verbum Dei, & sacra mysteria siue Sacramenta à Christo instituta.

Quæstio.

Quot Sacramenta instituit Christus in Ecclesia sua?

Responsio.

Duo tantùm tanquam in genere ad salutem necessaria, Baptismum scilicet, & sacram Cœnam.

Quæstio.

Quid intelligis per Sacramentum?

Responsio.

Externum & visibile signum intelligo spiritualis & internæ gratiæ nobis collatæ, quod etiam instituit ipse Christus, vt instrumentum esset, & pignus certissimum, quòd ipsum recipiamus.

Quæstio.

Quæſtio.

Sacramenti quot ſunt partes?

Reſponſio.

Duæ. Externum ſignum viſibile, & ſpiritualis gratia inuiſibilis.

Quæſtio.

Quodnam eſt Baptiſmi externum & viſibile ſignum, ſiue forma?

Reſponſio.

Aqua, qua perſona baptizata intingitur, vel aſpergitur in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti.

Quæſtio.

Quenam eſt illa interna & ſpiritualis gratia?

Reſponſio.

Mortificatio ad peccatum, & regeneratio ad iuſtitiam: hac enim ratione filij gratiæ efficimur, etiamſi naſcamur in peccato, & ſimus iræ filij.

Quæſtio.

Quid requiritur à baptiſandis?

Reſponſio.

Reſipiſcentia, quâ denunciant peccato, & fides qua firmiter credunt Dei promiſſis, in illo Sacramento ſibi exhibitis.

Quæſtio.

Cur igitur baptiſantur infantes, cùm ætatis ratione iſta præſtare nequeant?

Reſponſio.

Imò præſtant ea quodam modo per Sponſores ſuos, qui in illorum nomine promittunt iſta & vouent, quæ ipſi quoque poſtquam adoleuerint, præſtare tenentur.

Quæſtio.

Ad quem finem inſtituta fuit ſacra Cœna?

Reſponſio.

Ad perpetuam recordationem Sacrificij, & mortis Chriſti, nec non beneficiorum quæ percipimus ex eo.

Quæſtio.

Quenam eſt pars externa, vel ſignum Cœnæ Dominicæ?

Reſponſio.

Panis & vinum, quæ Dominus nobis recipere præcipit.

Quæſtio.

Quenam eſt pars interna, ſiue res ſignata?

Reſponſio.

Corpus & ſanguis Chriſti, quæ verè atque reipſâ exhibentur, & à fidelibus recipiuntur in ſacra Cœna.

Quæſtio.

Quale ſacrificium eſt illud, cuius hic participes facti ſumus?

Reſponſio.

Responsio.

Animarum nostrarum viuificatio, & corroboratio per corpus & sanguinem Christi, quibus non minùs animę aluntur, quàm corpora nostra pane & vino reficiuntur.

Quæstio.

Quid requiritur ab ijs qui ad Cœnam Dominicam accedunt?

Responsio.

Vt explorent semetipsos, an verè peccatorum quæ commiserunt pæniteat, vt vitæ nouitati diligenter studeant, fidémque viuam habeant in Dei misericordia per Christum: Denique vt gratam ipsius memoriam recolant, & charitatem exerceant erga omnes.

FORMÆ BENEDICTIONVM AD mensam, & precationum manè & vesperè ab vnoquóque in priuatis familijs dicendarum, publicâ auctoritate editæ.

Benedictio ad mensam ante alimentorum perceptionem.

OCuli omnium spectant in te Domine, & in bonitate tua vnicè confidunt, tu das illis escam tempore opportuno: Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Quare misericors & cœlestis Pater, benedic nobis & omnibus tuis donis, quæ ex benigna tua largitate sumus percepturi, per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio ad mensam post alimentorum receptionem.

DEus potentiæ & gloriæ, qui nos creauit, redemit, & in præsentia pauit, laudetur & benedicatur, nunc & in æternum. Amen.

Conseruet Deus Ecclesiam suam, Regem nostrum, ac totum regnum pacémque nobis in Christo Iesu perpetuò largiatur.

Precatio matutina surgenti è lecto dicenda.

DOmine Deus & Pater cœlestis, quàm humillimè tibi ago gratias, quòd ex paterna tua bonitate, dignatus fueris me hac nocte ab omnibus malis & periculis tutum custodire: & tuam bonitatem ardenter oro, vt me quoque hac die ab omni malo tùm agendo, tùm patiendo, velis conseruare: tuámque gratiam mihi sic largiri, vt omnia mea facta, atque adeò vt tota vita tibi placeant, & proximo prosint, in Nominis tui gloriam, per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Precatio

Precatio veſpertina conferenti ſe cubitum, dicenda.

GRatias tibi ago Pater cœleſtis, quòd ex gratuita tua miſericordia & bonitate, hac die me ab omnibus noxis & periculis cuſtodieris. Et ſupplex te oro, vt omnia peccata quæ perpetraui, & Maieſtatem tuam grauiter offendi, propter dilecti Filij tui Ieſu Chriſti merita velis condonare, & hac nocte gratiâ tuâ ab hoſtibus tum corporalibus, tum ſpiritualibus conſeruare. Concedas fragili meo corpori ſomnum, & quietem, animo perpetuam in te vigilantiam, vt cùm Aurora venerit, corpore & animo ſanus, hilare reſurgam, meæq; vocationis munera peragam in Nominis tui gloriam, & proximi commodum, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

AMEN.

DOCTRINA CATECHETICA MAGIS AMPLA,

QVAM ECCLESIÆ ANGLICANÆ CONSTITVTIONIBVS, OMNES PÆDAGOGI AC LVDI-MAGISTRI, SVOS Discipulos tenentur Latinè & Anglicè pro *eorum captu edocere:*

CVI SVBNECTVNTVR MATVTINÆ, ET VESPERTINÆ, PRECA*tiones, studiosis & Scholis accommodatæ.*

PRÆCIPVA HVIVS CATECHISMI CAPITA.

CAP. I.
Proemium ad Catechismum de pietate Christianâ, eiusque partibus.

CAP. II.
De Obedientia.

CAP. III.
De Fide.

CAP. IIII.
De Invocatione.

CAP. V.
De Sacramentis.

DOCTRI-

DOCTRINA CATECHETICA MAGIS AMPLA.

Cap. I. *Proemium.*

Magister.

NArra mihi, mi fili, quam religionem colis?

Auditor.

Eandem illam quam Christus Seruator noster docuit; vnde Christianus nominor, & ita reuera me esse confido. Act. 11.d 26.

M. Quenam est Christiana pietas?

A. Pietas Christiana, est diuini numinis sancta veneratio, & obtemperatio legibus illius. Matth. 4.b 16. Ioan. 15.24.

M. Vnde est eius intelligentia capienda?

A. Ex verbo Dei, quod veteris nouique Testamenti libris explicatur. Ioan. 5.d 39. Act. 17.c 11. 2. Tim. 3.d 15, 16, 17.

M. Cur verbum Dei, vocabulo Testamenti nominatur?

A. Quia diuina voluntas de rebus expetendis fugiendisque, in eo perfectè atque immutabiliter continetur, à qua vllam in partem non est deflectendum. Ioan. 4.d 25. Gal. 3.c 15, 17. Gal. 1.2, 8, 9 Deut. 4.c 2. Esa. 3.d 21.

M. Qua ratione modóque, diuinæ voluntatis in eius verbo explicatæ perquirenda est cognitio?

A. Assidua diuini verbi lectione atque meditatione: aut attenta eius, ab alijs lecti pureque explicati, auditione. Ioan. 5.d 9. Act. 17.c 2, 3.

M. Satin' id est?

A. Quia mortalium nemo diuinæ sapientiæ, in eius verbo reconditæ scientiam ingenio industriáue suapte consequi potest; à Deo precari sedulò vehementérque debemus, vt per Spiritum Sanctum suum, mentes nostras sacri verbi sui cognitione, fideque, & voluntati ipsius in eodem illustratæ parendi studio ardenti, imbuere velit. 1. Cor. 1.d 21. & 3.b 7. Psal. 119.c 33, 34, 35. Ioan. 19.b 13

M. Quæ sunt diuini verbi partes præcipuæ.

A. Lex & Euangelium.

M. Hæc duo: alterum ab altero, quomodo secernuntur?

A. Lex ad omne nos officij munus instruit, tam pietatis erga Deum, quàm charitatis in proximum, vtque vtrique illud præstemus, summo studio præcipit: & legi parentibus vitam promittens sempiternam, æternam mortem eius ruptoribus minitatur. Ioan. 1.b 17. Luc. 16.d 16. Act. 13.c 39 Rom. 8.c 1, 2 15. Matth. 22.d 37, 38, 39, 40. Luc. 10 27, 28. Rom. 10.c 5 Gal. 3.b 10.

M. Euangelium verò quid?

A. Euan-

Marc.1.b15. Luc.5.32. Ioan.1.b17. Act.2.a38,39. & 13.f38,39. Rom.1.a5,b16 & 4,c1,15,4.

A. Euangelium nobis confirmat, Deum, per fidem in Christum, illis qui contra legem commiserunt, misericordem se præbiturum, ignoturúmque, modò animi dolore quod eum offenderint, afficiantur, & seipsos reprehendentes, corrigere atque emendare studeant.

M. *Quot partibus constat vera religio?*

A. Religio, perinde ac verbum Dei, ex quo tanquam ex fonte profluit, duas habet partes.

M. *Quenam illa sunt?*

Ioan.14.b15,c21,23,24. Rom.10.5,6,b8

A. Obedientia, quam lex imperat, & fides quam Euangeliũ requirit.

Cap. 2. De obedientia.

Mar.1.b15. Rom.1.a5,b16. Ioan.14.b,15.A28,23,24. Mar.16.d16. Act.2.c38. Rom.19.c12,13. Ioan.14.b13,c12,13,24. Gal.3.b10.

M. *Verum maioris perspicuitatis gratia in plura te membra religionem partiri velim.*

A. Videor mihi non ineptè quatuor has vt principes verę religionis partes posse recensere: obedientiàm, fidem, inuocationẽ, & sacramenta.

M. *Age ergo: de istis quatuor, vt eo ordine recitasti, te interrogabo: Et quoniam vera obedientia qua prima pars est, ad regulam diuinæ legis, sit dirigenda, necessariò primum ut intelligendum est, quid de lege Dei sentias?*

Exo.34.d28,29 Psal.19.b6,7,8,9,10. Exod.20. Deut.5. Esa.30.31.

A. Legem Dei, duabus expressam tabulis, iustitię normam esse perfectissimam arbitror, recta imperantem, vetantémq; contraria.

M. *Prior tabula qua tractat?*

A. Debita Deo pietatis officia tradit, quatuórq; prima præcepta in ea continentur.

M. *Secunda qua docet?*

Matt.10.c11,12, & 22.d39,40. Exod.34.b13. Deut.4.b13.

A. Ad charitatem, mutuáq; inter homines officia nos instituit, ad quam reliqua sex præcepta pertinent: Ita lex vniuersa decem omnino præcepta complectitur, ex quo fit, vt decalogi nomine appelletur.

M. *Quod est prima tabulæ præceptum primum?*

Exo.20.c1,2,3. Deut.5.1,5,6,7.

A. Deus sic est eloquutus; Audi Israel: Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi ex domicilio seruitutis Ægyptiæ: Non habebis deos alienos coram me.

M. *Quare nos primùm commonefacit se Dominum Deum nostrum esse?*

Deut.10.b12,13 Mal.1.b5,6.

A. Illis verbis eius immensa infinitáq; maiestas, potentia, & bonitas explicantur: nósque pariter parendi summa necessitate astringimur, nisi & contra potentissimum repugnare, & in benignissimum, beneficentissimúmq; ingrati esse velimus.

M. *Quid est quod edicit nobis, Ne habeamus deos alienos coram se?*

A. Idololatria omnis his verbis prohibetur, ac damnatur.

M. *Quid est Idololatria?*

A. Rebus

A. Rebus vllis conditis diuinum cultum tribuere, aut in illis vt Dijs quibuſdam fiduciam perfugiúmque habere : quod patrare ſcelus eſſet maximè deteſtabile. Ipſius enim ſolùm Maieſtati diuini honores, ipſius bonitati ſingularis ille noſter amor debetur: ad illius opem confugere, ab illo in terroribus periculiſque omnibus opem atque auxilium petere & expectare; illius benignitati nos noſtraq; omnia debere, gratis animis agnoſcere, ingenuéque confiteri oportet. Pſal.119.d 89. Matt.4.b 10. Deut.10.b 1. 23.3.d 20,21. Matt,12.d 37. Pſal. 50.c 14, d 23. Pſal. 79.p 13.& 95.2,6,7.& 100 a 1,2,3. Ioan 3.c 27. 1.Cor.4.b 7. Iacob.1.c 17.

M. *Suprema illa verba, coram me, aut in conſpectu meo, quid ſibi volunt?*

A. Nihil tam penitùs abſconditum eſſe, aut in occulto latere, quin Deo notiſſimum ſit, atque apertiſsimum: ac proinde non voce, manifeſtiſque ſolùm vitæ actionibus atque externâ ſpecie, ſed intimâ etiam atque ſincerâ puræ mentis ſanctitate, Deum, illumque vnum, præterea neminem, piè colendum eſſe atque venerandum. Pſal.7 b 9.& 139.c 14. Eſai.29.c 13. Mat.1.a 8.& 15.a 8.

M. *Summatim expone, quos maximè putes hanc in legem peccare.*

A. Idololatræ (vt dixi) omnes, omnes arioli, augures & coniectores, incantatores, venefici, magi, ſagæque omnes, omnéſque qui ad illos deferunt, illiſue fidunt, prophetæ item mendaces omnes, qui falſa, vanáque docent, præterea qui verbo Dei abutuntur, aut maximam illi fidem non habent, nec illius monitis, ſed inanibus ſuis ſomnijs aut coniecturis ducuntur: denique qui res vllas conditas ſuprà, aut æque atque Deum conditorem metuunt, amant, aut magnifaciunt, hi omnes hiſq; conſimiles vniuerſi hanc legem violant. Leuit.19.c 31. Eſa.8.c 19.& 47 b 9. Deu.28 c 19,20. Mat 15.a 23.& b 6.6.

M. *Recita iam præceptum ſecundum.*

A. Signum ſculptile aut ſimulachrum vllius rei quæ aut ſuprà in cœlo, aut infrà in terra, aut in aquis infra terrram ſit, non effinges. Ea non veneraberis, neque coles: nam ego ſum Dominus Deus tuus zelotypus, qui parentum iniquitatem etiam in liberis vindico, ad tertiam vſque quartámque progeniem oſorum mei; clementiáque vtor ad milleſimam vſque progeniem erga mei amantes, meáque præcepta conſeruantes. Exo.20 a 1.d 23. Leuit.26 a 1. Deut.4.c 15,16, 17,18,19. Eſai.40.a 18.& 44 9,&c.

M. *Videri poſſit hac lege pictorum fictorúmque artificia condemnari, ita vt fas non ſit vllas omninò imagines habere.*

A. Nequaquam: in prima enim hac tabula minimè de rebus artificioſis, quæ ad humanos ciuileſque vſus expetuntur, ſed de ijs tantùm, quæ ad Dei cultum pertinent agitur. Mat.22.c 20,21, d 36,37.

M. *Quænam eſt igitur huius præcepti ſententia?*

A. Hoc ſecundo præcepto prohibet Deus, primùm, ne imagine vllâ ipſum imitari, vel adumbrare, quærere, aut colere conemur. Secundò, ne ſimulacra ipſa veneremur, aut illis quoquo modo ad Idololatriam aut ſuperſtitionem abutamur, interdicit: Verùm vt Deum ſolùm, non ad noſtrum arbitrium libidinémque, ſed purâ atque integrâ mente, Eſai 40.d 18.&c. Deut.5.a 8,9. Pſal 97.b 7. Eſa.44 17.

 veréque

veréque, quemadmodum nobis ſuo ipſius verbo præſcriptum eſt, colamus & veneremur.

M. *Quam ob cauſam Deum corporeâ ſpectabilíque formâ effingere nefas eſt?*

Pſal.11 3,2 c 4, 5.& 1.1 5,23. Eſa.40.c 18, &c. Ioan.4.c 24 Rom.1,c 20,23, &c.

A. Quia corporea, infirma, inanima, vanáque effigies aut imago nullam cum Deo, qui Spiritus eſt immortalis, infinitâ, immenſâ, incomprehenſibili magnitudine, maieſtatéque, communitatem habere, nec vllam eius ſimilitudinem ſpectemue gerere poteſt.

M. *Quemnam collendi morem hic condemnat?*

Leuit.26.2 11. Deu 4.c 19.& 5.b 9. Pſal.97 b 7.& 115 b 8. Eſa.44.c 17. Actſ 7.f 38. Exod.20.2 5. Deu 5.b 9. & 6.c 15. Pſal.76.f 38.

A. Quum precatione vſuri, nos ad ſimulacra vertimus, ſupplices nos coram illis abijcimus, nudato capite aut aliâ ſignificatione illis honorem tribuimus, perinde quaſi Deus in illis nobis præſens adeſſet.

M. *Clauſulam huic præcepto additam repete.*

Deu.10 b 12,13. 2.Reg.18.f 39. Mala 1.b 5,6. 1.Tim.6 c 15,16 Exod.34.14. Eſa.42 b 8.

A. Nam ego (inquit) ſum Dominus Deus tuus, zelotypus, qui parentum iniquitatem etiam in liberis vindico, ad tertiam vſque quartamq; progeniem oſorum me.

M. *Quamobrem hæc commemorat Deus?*

A. Dei atque Domini vocabulis ſeſe nuncupans, etiam atq; etiam monet, vt tum ad Maieſtatem, tum ad benignitatem ſuam, ſicuti antè dictum eſt, reſpectum habentes, ad ipſius arbitrium nos totos accommodemus. Zelotypiæ verò nomine declarat, participem aut conſortem ſecum venerationis ſuæ ſe nullo modo tolerare poſſe.

M. *Ecquid præterea additum ad prohibendum Idololatriam?*

Exod.34 b 7. Eſa.14.c 20.

A. Quo nos magis ab Idololatriæ peccato, quod tam vehementer deteſtatur, refrænet, minatur ſe non in maleficos tantùm, ſed in eorum etiam liberos poſteroſq; vindicaturum eſſe.

M. *Perge porrò, quod reliqui eſt in hac lege explicare.*

A. Quemadmodum Deus grauiter minando terret, ne ipſius voluntati repugnare audiamus: Ita prolixius adhuc de ſua clementia, bonitateque promittendo, nos ad ſibi parendum allicit, confirmans cum ijs omnibus, qui ſe amant, ſuiſque præceptis obſequuntur, tum ipſorum etiam poſterorum multis millibus, miſericordiam ſe ſingularem eſſe impartiturum.

Deut.5.b 10. Exod.34.b 6,7.

M. *Quum autem ad vltionem tertiæ, aut ad ſummum quartæ generationis denunciet: quid eſt, quòd hic clementia ſua aliquot millia comprehendat?*

Pſa 102,5.& 10 3 b 8.& 145.b 8. Eſa. 54 b 7,8,10

A. Vt demonſtret ad facilitatem ſe beneficentiamque, quàm ad acerbitatem atque aſperitatem impendiò magis eſſe propenſum.

M. *Perge iam ad tertium mandatum.*

Exod 20.b 7. Leuit.16.b 22.

A. Nomen Domini Dei tui inaniter non vſurpabis: neque enim ſinet impunitum Dominus qui eius nomen inaniter adhibuerit.

M. *Quid eſt inaniter vſurpare nomen Dei?*

Eſa. 8.c 19. & 52.b 5.

A. Eo ad blaſphemiam, incantationem, veneficium, execrationem, periurium,

periurium, aut ad temerarium, inconsultum, vel non necessarium iusiurandum abuti: Deumue nisi iusta de causa, magnaque adhibita reuerentia vel semel nominare. Leuit.19.b 12. Act. 19.c 13. 1.Tim.1.b 10. Matt.5.f 33, 44. Psal.11.3.a 1,2.

M. *Non potest ergo Dei nomen in iureiurando rectè adhiberi?*

A. Potest profectò, cùm graui de causa, iusiurandum iuramus, vt aut verum testimonio confirmemus, præcipuè legitimæ alicuius potestatis accitu ad id euocati: aut ob alias res magnas atque graues, vt vel Deo suus honos atque gloria conseruetur, aut cumulatius etiam augeatur & amplificetur, vel hominum inter homines coniunctio beneuolentiaq; retineatur. Huiusmodi aliqua oblata occasione, Sacramento contendere licebit, venerando verendoq; Dei tantum nostri, non vllius cuiusquam alterius, nomine adhibito. Exod.22.b 11 Ioan.2.b 12. Psal.15.b 5. & 63.b 12. 2.Cor.1.d 23. Heb.6.d 16.

M. *Quid deinceps in lege est?*

A. Neque enim impunitum (inquit) sinet Dominus, qui nomen eius inaniter adhibuerit. Exod.20.b 7. Leuit.16.b 12

M. *Cur in diuinum nomen iniurioſis peculiares hîc mina proponuntur?*

A. Ostendere voluit quanti nominis sui decus æstimaret, vt impendentem vindictam cernentes, eò studiosius, ne iniuriam illi faciamus, caueremus. Leuit.19.c 12. Ezec.20.b 9, c 14.

M. *An ergo nefas esse putas diuorum, aliorumue hominum, aut rerum nomina in Sacramento interponere.*

A. Omnino: iusiurandum enim dare idem est, atque eum, per quem iuramus, & veritatis testem, & si peierimus, periurij nostri vltorem, punitoremque constituere: quam laudem intelligendi vindicandique maleficia omnia, diuinæ solum sapientiæ atque maiestati debitam, aliis personis rebusue impartiri immane scelus esset. Exod.12.b 11. Psal.91.b 12. Heb.6.b 16. Deut.9.d 13.& 10.d 10. Iosua 23 b 9. Esa.58.c 16.

M. *Recita iam proximum præceptum.*

A. Præceptum quartum, quod & primæ tabulæ est postremum, sic habet: Diem Sabbati sanctè agere memento, sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimo verò die, quod est Domini Dei tui Sabbatum, nullum opus facies, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec seruus tuus, nec ancilla tua, neque iumentum tuum, neque apud te degens peregrinus: nam sex diebus perfecit Deus cœlum & terram, & mare, & quicquid in illis continetur, septimo quieuit. Itaque diem sabbati sacrum, sibiq; dicatum esse voluit. Exod.16.c 23. & 20.b 8,9,10, 11. & 13.a 23. Leuit.23.c 3. Deut.5.c 21.13, 14,15. Ezec.20 b 12. Gen.2.a 1,2,3. Heb.4 a 3,c 9,10

M. *Sabbati vocabulum quam habet significationem?*

A. Sabbatum, interpretatione explicatum, vocatio aut quies dici potest: nam eo die pij humana opera omnia missa facere debent, vt diuina religionis sanctitatisq; studia diligenter colere possint. Exod.16.d 2,3. Leuit.16.c 31. Iere.27.c 21. Leuit.13.c 56. Eze.46.a 3.

M. *Quamobrem suum nobis factum Dominus ad imitationem exposuit?* Marc.6.a 2.

A. Quia insignia præclaraque exempla humana mentibus penitùs insident, Tob.2.b 12. Ioan.13.b 13.

1.Cor.1.b 15,16 & 11.2.1. Ephe. 5.a 1. 1.Pet.2.d 21,f 42

insident, stimulosque admouent acriores. Dominos enim serui, & parentes liberi perlibenter imitando exprimunt. Maximè verò omnibus est optabile, vt mortales Deum sibi ante oculos mentis proponentes, ipsius sese imitatores similesque præberent.

M. *Sabbati piè colendi quænam est ratio?*

Mat.9.a 4.Lu 4.c 16,Act.13.b 27. Mat.10.b 37. Psal.95.a 2. Esa. 56.c 7. Mat.21. c 13. Eph.3.d 21. 1.Cor.11.d 18. & 14.c 29.

A. Populus in vnum locum congregari debet, vt disciplinam Christi intelligat, vt fidei suæ confessionem edat, vna voce communia vota Deo faciat, vt diuinorum factorum memoriam conseruet, vt Deo pro suis diuinis erga se meritis gratias agat, & vt mysteria sacra à Christo instituta concelebret.

M. *Ecquid præterea requiritur, vt diem Sabbati sanctè agamus?*

A. Externa hęc est requies, celebratioq; Sabbati: præterquam, quies est colendique Sabbati ratio quædam spiritualis.

M. *Quænam ea est?*

Eſa.1.c 14,16, & 58.d 13. Heb.4. d 9,10.

A. Quum à rerum humanarum occupationumque, & studiorum nostrorum cura vacantes, Dei nos arbitrio, vt is ad suum nos sensum formet, penitus tradimus: quumque (vt sacrarum literarum verba vsurpem) carnem nostram crucifigimus, & affectionibus commotionibusque tanquam frænos inijcimus, vitiosam naturam nostram comprimentes, vt ad diuinam nos voluntatem accommodemus: eo enim pacto sabbati nostri dies, quam in hac terra celebramus, aptè & conuenienter exemplar, & similitudinem requietis illius imitabitur, quam in cœlo sempiternam & perpetuæ sanctæque oblectationis plenissimam sumus habituri.

Gal.5.d 24 Col.3.a 22.

M. *Satin' erit ista septimo quoquo die exequi?*

Psal.1.a 2. & 84 a 4. Luc. 18.a 1. Ephe.5.c 19,20.

A. Oportet sanè quemq; seperatim ista secum quotidiè recordari atque meditari, humanæ tamen infirmitatis desidięque effugiendæ gratia, certus dies ad hanc rem propriè designatus est.

M. *Hactenus prioris tabulæ præcepta percensuisti, quibus vera Dei veneratio, quæ finis est omnis boni atq; origo, breui explicatur: noxæq; omnes, quæ ad Deum directò spectant, prohibentur: nunc verò quæ sint charitatis benevolentiæque in homines nostræ partes, quæ ex eodem illo fonte fluunt atque hauriuntur, & secunda tabula continentur, perge declarare.*

Exod.20.b 12 Deut.5.b 16 Matth.15.a 4

A. Secunda tabula hoc habet principium: Honora patrem & matrem, vt sis longæuus super terram, quam daturus est tibi Dominus Deus.

M. *Honoris vocabulum, quam hic habet significationem?*

Pro.1.a 8.Mat.7 b 10, 12. Col.3. c 20.Heb.12.c 9

A. Honor parentum, eorum amorem, timorem obseruantiamque comprehendit: & parendo, inseruiendo, opem ferendo illis eosque tuendo, alendo etiam atque sustinendo, quid ipsis opus fuerit, situs est.

M. *Hæc lex naturalesne solùm parentes attingit?*

A. Qui authoritatem habent omnes, omnes aduersus quos reuerentia

rentia eſt aliqua adhibenda, vt Magiſtratus miniſtri Eccleſiaſtici, præceptores, doctrina, ſapientia, ætate, honore, aut alia aliqua dignitate antecedentes, parentum nomine deſignantur. Deut.1.b 9,10. Rom.13.a 1. Luc.10.c 16. Leuit.19.c 32. 1.Tim.5.a 1. Pro.5.c 13.

M. *Principes, magiſtratus, cæterique qui aliis præſunt, cur* Parentum *nomine notantur.*

A. Vt declaretur, quòd Deus eos nobis noſtro reipublicæque commodo, donauerit: atque ita parentum nomine, quod principibus, magiſtratibus, alijſque ſuperioribus tribuitur, commonemur, vt illis non pareamus ſolum, verùm etiam vt eos reuereamur, atque amemus. Rom.13.a 4. Heb.13.c 17

M. *Quid deinceps in hac lege eſt?*

A. Longam eos beatamquè vitam, Dei beneficio eſſe victuros, qui parentibus, principibus, magiſtratibus, alijſque ſuperioribus dicto audientes fuerint, debitumque ipſis honorem tribuerint. Contráque conſequens eſt, qui parentibus, principibus, magiſtratibus, aut ſuperioribus alijs minùs ſe obedientes præbuerint, aut contumelioſi in eos fuerint, illos aut citò repentinoque cum ignominia morituros, aut vitam quauis morte acerbiorem, turpioremque traducturos eſſe; qui etiam ad extremum contumacię ſceleriſque ſui pœnas apud inferos ſempiternas ſuſtinebunt. Exod.20.b 12. Deu.5.b 16 Ephe.6.a 23.

M. *Sextum iam quod ſit præceptum dicito?*

A. Non occides. Exod.20.b 13. Deut.5.c 16.

M. *Satiſne legem hanc obſeruabimus, ſi manus ab homicidio, ſanguineque integras ſeruabimus?* Matth.5.c 21. & 10.c 18. Iacob 2.d 11.

A. Prohibentur etiam ea quæ cædis occaſionem aliquam habent, vt ludibria, irriſiones, maledicta, probra, conuitia, rixæ, pugnę, & ſimilia omnia. Matth.5.d 21, 22, 23, 24. Rom.3.c 13. 14, 15. Gal.5.d 20, 21. Ia.3.c 14, d 16.

M. *Ecquid eſt amplius?* Matth.5.d 21.

A. Deus ſua lege non externis tantum actionibus, ſed animorum etiam affectionibus, ijſque vel maximè cauit: apud Deum enim iudicem iracundia, odiumque, & occidendi, vindicandi, aut nocendi voluntas omnis, homicidium eſſe decernitur. Hoc ergo iure diuino iſta etiam vetantur. Gal.5.d 20.21. 1.Ioa.2.b 9, 10, 11.

M. *Si neminem ergo oderimus, abundè legi huic erit ſatisfactum?*

A. Deus cùm odium reprobat, beneuolentiam nobis in omnes mortales, hoſtes etiam, requirit: idque adeò quidem vt maleuolis inuidiſque noſtris, qui infenſo, crudeliterquè infeſto in nos ſunt animo, ſalutem, & tranquillitatem, omniaque fauſtè, fœliciter, proſperè euenire optemus, beneficijs illos etiam, ſi facultas in nobis fuerit, afficiamus, Deoque pro illis vota faciamus. Luc.6.d 27,28. Rom.12.c 14. d 17,19,20.

M. *Quod eſt ſeptimum præceptum?*

A. Non adulteraberis. Exod.20.b 14. Deut.5.c 28. Matth.19.18

M. *Hoc præceptum quam ſententiam habere putas?*

Pro.6.d2,25 Mat.5.d27,28, 29. Rom.13.d13 1.cor.6,b2,10. 1.Cor.13.16, 18,19 1.Thes 4 a 3,4, 5,7.& 5 d 22. Esa.16,g 46,56. Eccle.35.c 26. 1.Cor.3.16,17 & 6.c 15,16.

A. Obscœnarum voluptatum vniuersum genus, omnis verborum turpitudo, oculorum, gestusque petulantia omnis, omnes impuritatis notæ atque indicia quæcunque, hac lege condemnantur. Desidia etaim inertiaque, in cibo, potu, vestitu, luxus & luxuries, ludi, lususque impudici, & quęcunque præterea ad corporis animiue sœditatem solicitare, aut commouere possunt, hoc pręcepto vetantur. Nam, vt mentes etiam nostras ab appetitionibus desiderijsque impudicis puras conseruemus, præcipitur, propterea quòd tam animæ quàm corpora nostra templa sunt diuino spiritui consecrata.

M. *Prosequere reliqua.*

A. Octauum pręceptum est, Non furaberis.

M. *Hoc præcepto quæ prohibentur?*

Exod 20 16 Mat. 9. c 18. Pro.11. a 1. & 20.h 10,d 23. 1.Thes.4.b 6. Tit.2. c 20. Psal. 92.b 20. Pro.17. d 23. Esa 5. d 23. Ezek.22. b 13. Malac 3 b 5. 1.Tim.5. c 18. Pro.14.d 20, 21,c 31. Isa. 2. a 3,3,9. & 55,19,20. Leuit.19. b 9. 10,& 23, d 22. Deut.22. a 1,2. 31.4. & 24. c 15,17,19. & 27,c 17,18,19.

A. Non ea solum furta vetantur, quæ humano iure plectuntur: sed etiam edicitur, ne nundinatione aut venditione fraudulenta, mensuris dolosis, parumue legitimis ponderibus, aut adulterinis fucatisque mercibus quenquam fallamus: neue iudicijs pecuniâ tentatis, precioque & largitione corruptis, aut vlla alia fraude, doloue malo adhibito, quenquam circumueniamus. Præterea, qui officium debitumue alteri subducunt, vt qui laborum mercedem operarijs non persoluunt, qui per auaritiam pauperibus egentibusque opem ferre, viduis succurrere, orbis pupillisque subuenire, peregrinis, atque aduenis opitulari recusant: quique rudes atque ignaros rerum non instituunt atque erudiunt, qui concilij expertes concilio non iuuant, qui vagos errantesque ab errore non auertunt: neque in rectam viam reuocant atque reducunt; qui afflictis mœrentibusque consolationem non adhibent: omnesque horum similes hac lege condemnantur.

M. *Hoc præcepto an quicquam adhuc præterea continetur?*

Zac.8. c 16,17. Act,10.g 33.

A. Omninò. Nam ex alienis damnis vtilitates nostras aucupandi aliquam etiam voluntatem cogitationémue suscipere hac lege prohibemur. Nam quod in homines iniurioſum est, id vel optare, aut expetere vitiosum est, in conspectu Dei.

M. *Recita iam nonum præceptum.*

Exod.20 c 16. Deut.5.c 20. Mat.19.c 18. Exod 13.a 1. Leuit.9.b 11. Deut.9.d 18,19. Psal.15.a 3. Soph.3.b 13. Luc.3.c 14. Mat.19.c 18. 1.Pet.2.a 1,2. Pro.3.a 3 & 12.c 17.& 23.d 23. Eccle.37.c.15. 2.Cor.3.c.8. Ephe.4.d 25.

A. Non eris aduersus proximum tuum testis mendax.

M. *Hac lex quam habet sententiam?*

A. Hac lege non apertum solum euidénsque periurium, iusiurandique violatio, sed omnis etiam vanitas, calumnia, obtrectatio, maledictio, assentatio, simulatio, dissimulatióque omnis quæ sint aut contra rem, aut existimationem proximi, generatim vetantur: Prœcipitúrque, vt nec ipsi vnquam mendacium, falsúmue quicquam dicamus, neque in alijs, verbo, scriptura, reticentiáue comprobemus: sed vt veritatem semper colamus: tutemur, exquiramus atque sustentemus.

M. *Nihilne vltra requiritur hac lege?*

A. Deus,

A. Deus, qui intimos animorum noſtrorum ſenſus penitus perſpectos habet, à maledicendo nos prohibens, aliquid etiam mali temerè de proximo vel ſuſpicari opinariue prohibet, adeóq; præcipit, vt quoad per veritatem licebit, bene de alijs exiſtimemus, bonámq; ipſis famam, quantum quidem efficere poterimus conſeruemus. Mat.7,a 1. Rom.14.a 4. 1.Cor.13.b 5 7.

M. *Reſtat iam poſtremum præceptum.*

A. Non concupiſces cuiuſquam domum, non vxorem, non ſeruum, non ancillum, non bouem, non aſinum, nec quicquam omninò aliud quod alterius ſit. Exod.20.c 17. Mich.2.a 1,2. Rom.7.b 7. & 13.d 14. 1.Cor.10.b 6.

M. *Hoc præceptum, quid vltra quàm ſuperiora, imperat?*

A. Anteà Deus maleficia, deprauatáſque animorum affectiones vetuit: iam vero innocentiam omnibus ſuis numeris expletam à nobis exigit, adeò quidem vt nullum omninò vel tenuiſsimum deſiderium, vel leuiſsimæ cogitationis motum, à virtute quicquam deflectentem in mentes noſtras irrepere patiamur. Æquum námque eſt, vt in animis etiam, & mentibus noſtris, ſumma coram Deo caſtitas ſanctimoniáq; reſplendeat. Ab illo enim bonitas atque æquitas non niſi perfectè abſoluta probari poteſt; cuius etiam legem hanc ſuam normam omni ex parte perfectiſsimam nobis ante oculos conſtituit. Eſa.1.c 16. Gal.5.d 24. Ier.4.b 14. Ezek.18.c 32. Mat.5.a 8. Rom.12.a 2. Pſal.5.a 4,5. 1.Cor.6.c 14.

M. *Poſteaquam decem iam præceptorum ſententiam interpretatione breui explanaſti: dic mihi, cunctáne ea quæ ſeparatim articulatimque explicuiſti, in pauca conferri, breuitérque & ſummatim deſcribi nequeunt?*

A. Poſſunt ſanè; nam & Chriſtus, diuinus ille doctor, totam legis vim atque rationem coarctans, eius ſummam quàm breuiſsimè his verbis expoſuit, Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis: hoc maximum eſt præceptum in Lege: Secundum autem eſt huic ſimile: Diliges proximum ſicut teipſum. Ad hæc enim duo mandata vniuerſa Lex & Prophetę referuntur. Mat.22.c 37. Mar.12.c 30. Luc.10.c 27.

M. *Amorem in Deum cuiuſmodi hic à nobis deſiderari putas?*

A. Qui Deo ſit idoneus: hoc eſt, vt ſumma poteſtate Dominum, ſumma parentem bonitate, conſeruatorem noſtrum ſumma miſericordia prędituin eum eſſe confiteamur. Ad amorem itaque erga Deum noſtrum accedere debet, vt & reuereamur maieſtatem illius, & eius pareamus voluntati, eiuſque bonitati confidamus. Deut.10.c 12.7, 20. Pſal.25.a 1.& 31.a 1.& 96.b 7,8,9 &.118. b 8.

M. *Totum cor, anima tota totáq; vires quid declarant?*

A. Eam videlicet amoris flagrantiam, & incorruptam integritatem, vt cogitationibus, cupiditatibus, conſiliis, actionibus vllis quæ Dei amori repugnant, nihil proſus loci relinquatur. Etenim Deum non modò pluſquam ſua omnia, ſed multò etiam magis quàm ipſe ſe, quiſque plus diligit. Deut.6.c 17,18. & 30.b 6. Ioſ.23.c 11. Ioan.14.b 15. c 21,23,24. & 15.b 10. Mat.13.d 37,38. Luc.14.f 26.

M. *Nunc de proximi amore quid habes dicere?*

Ioan.13.b 34,35 1.Cor.13.b 4,5, &c. Eph.1.a6,27. Phil.1.a 2.3 1.Thes.b 9.10. Mat.7.b 12.& 9, 39. Luc 6.d 3. Rom.13.c 8. 1.Cor.13,&c.

A. Christus voluit Christianos suos summæ inter se coniunctionis vinculis arctissimè astringi: Et quum nostri nobis amor naturalis sit, atq; in animis penitùs insitus, nulla expeditior, contractior nulla, nulla iustior fraterni amoris norma, nec quæ plus habeat efficacitatis, reperiri potest; quàm quæ ab ipso humano ingenio deducta, nobis à domino præscribitur, vt vnusquisque scilicet proximum eodem, quo se ipsum amore, complectatur. Cui consequens est, vt ne quid agamus contra proximum, ne quem sermonem, ne quam cogitationem de illo habeamus, quod nobis ab aliis fieri, vel de nobis dici cogitariue nollemus.

M. *Proximi vocabulum quàm longè patet?*

Mat.5.g 43,44 Luc.10.f 33,36 37. 1.Thes.4.b 9.10

A. Non tantùm prope nos habitantes, aut cognationis, affinitatis, amicitiæ, amoris, ciuilisue alicuius consuetudinis vinculis astricti; sed & ignoti, atque etiam hostes hac voce proximi continentur.

M. *Quando igitur Lex diuini numinis piè sanctèque venerandi, & caritatis atque benevolentiæ erga homines habendæ rationem absolutam præscribit, an non ad illius normam tota est vita nostra dirigenda?*

Deut.8.a 1.& 11. d 28.& 30.a 15 17. Mat.19.c 17. Ioan.12.g 50. Rom.6.d 23. & 10.a 5.

A. Omninò, atque hoc tantoperè, vt Deus mores ad legis suæ regulam conformantibus vitam pacificatur, & a legis prescriptione aberrantibus, è contrario, sicuti supra diximus, mortem minetur.

M. *Iustos ergo eos esse putat, qui à iure diuino nulla ex parte discedunt?*

Rom.10.a 5. Gen.6.b 5.& 8.d 21. Prou.20.b 9. Rom.7.c 14.15. Gal.2.d 16. Pro.20.b 9.

A. Certè quidem: si qui ad legem Dei vsquequaque seruandum valerent, iure illi quidem iusti censeri possent: sed ingenitâ naturæ nostræ corruptione, ita ex insciti, debilitate, prauitate, laboramus vniuersi; vt officium iure diuino debitum neque intelligamus, neque illi satisfacere aut valeamus, aut velimus. Tametsi enim inueniatur vnus aliquis, qui in aliqua re vna & altera externa legem obseruet, tamen is in multis aliis à recto discedit, & humanus animus ab illa iustitia atq; innocentia interiori, quam Lex requirit, perpetuò aberrat. Quamobrem nemo iure iustus esse potest in conspectu Dei, qui de omnibus (qui non omnia, iure diuino descripta exequitur) sententiam fert, eòsque detestatur, atquè execratur.

Deut.17 d 16. Gal 3.b 10. Iaco.2.c 10,11.

M. *Num igitur Lex, cunctos omnino mortales miserrima hac conditione sine vllo prorsus remedio astringit?*

Deut.27.d 26. Rom.3.b 10. & 8.b 7.8. Ephe.5.b 5.6. Iacob.2.b 10.

A. Deo diffidentibus, & à religione pietateque remotis, Lex hanc quam memoraui, conditionem constituit, illis ab omni omninò spe derelictis: qui vt ne tenuissimam quidem particulam legis præstare possunt; ita nihil quicquam Dei misericordiæ per Christum confidunt: Piis verò lex aliarum vtilitatum fructus præbet.

M. *Quinam illi sunt, dicito?*

Deut.6.b 6.7. Ios.1.b 7,8.

A. Primum omnium, Lex vitæ regulam perfectè absolutam nobis

ante

ante oculos proponens, diligentiam noſtram excitat, vt mores noſtros ad illum dirigamus. Pſal.1.a 2. & 119.totum.

M. *Quid præterea?*

A. Secundò, quia legem, vltra quam mortalium vires præſtare poſſunt, requirere, nobiſq; poteſtatem tanti oneris ſuſtinendi deeſſe animaduertimus; ad auxilium à Deo flagitandum Lege exuſcitamur. Rom.3.c 19.& 7.c 14,15. 2.Cor.3.b 5. Pſal.119.a 5,12, 27,28.b 33.34, &c.

M. *Perge.*

A. Porrò autem, quum turpitudinis noſtræ labes atque fœditatem in Lege, vt in ſpeculo, cernimus, tanquam frænos nobis injicit, reprimitque: ne integritate noſtrâ confiſi, ſuperbos nos in conſpectu Dei præbeamus. Rom.3.b 10.11, 12.c 19.20 & 7.b.7.

M. *Proſequere.*

A. Quando peccati, quod diuinæ legis eſt violatio, conſcientiâ ſtimulamur atque conuincimur, intelligimúſque nos per peccatum in execrationem, acerbiſſimum odium, grauiſſimámque Diuini numinis offenſionem, atque indignationem incurriſſe; mercedémque atque ſtipendium, quod peccatum meretur, eſſe, vt non ſolùm omnibus calamitatibus atque miſerijs huius vitæ, morbíſque & morte corporis afficiamur; verùm etiam vt damnatione atque interitu ſempiterno mulctemur: ſimul atque ex Lege agnoſcimus, nos per peccatum in hunc condemnatorum ſtatum, quo nihil tetrius cogitari poteſt, peruenìſſe; toto pectore, totâ mente, toto corde, animóque cohorremus, & contremiſcimus, atque ita, vt caſum noſtrum ſalutariter doleamus, & vt noſmet noſtri pœniteat, Lex efficit; impellítque vt peccatorum veniam, iuſtitiam & vitam ſempiternam (quæ ex Lege adipiſci non poſſumus) à Chriſto Seruatore tantùm, & per Chriſtum expetamus, atque expectemus. Pro.20.b.9. 1.Ioan.3.a 4. Deut 27.d 26. Gal.3.b 10. Rom.1.c 18.& 2.b 8.& 4.c 15.& 6.d 23. 2.Cor.3.b 7,9. Ephel.5.b 5,6. Rom.3.c 20. 21,22.& 5.c 15,16.&c. Gal.2.c 16.

M. *Legem igitur, quantum intelligo, tanquam magiſtrum ſe ducémque ad Chriſtum præbere aſſirmat, qua nos notitiâ noſtri, pœnitentiâque & fide, rectâ ad ipſum viâ perducat?* Rom.10.3,4. Gal.3.b 10,11. & d 24.

A. Sanè ita eſt, ſimulq; ex his perſpicuum eſt illud, Legem non fruſtra latam eſſe, tametſi mortales ab officij, quod Lex requirit, præſtandi facultate longiſſimè abſint. Rom.3.d.33. & 7.c 11.13,16. Gal.3.c 10.

CAP. 3. De fide.

M. *VErum dicis. Nunc dilecte fili quando de Lege & obedientia ſatis vt in hac contractione breuitatéque dictum ſit, ratio flagitat, vt proximè dicatur de Euangelio, quod diuine per Chriſtum miſericordie promiſſa eis, qui contra Legem commiſerint, modò ipſos commiſſi pœniteat, facta complectitur,*

complectitur, ad quod Euangelium fides præcipuè referenda est : hoc enim ſecundo loco in noſtra diſtributione propoſitum fuit ; & eorum quæ tractauimus continuatione, quaſi manu eò deducti ſumus. Dic ergo quæ ſit Euangelij, fideique noſtræ ſumma?

A. Eadem illa, quæ Chriſtianæ fidei principes articulos, vnà olim arctè contractos, comprehendit : quamq; vulgus ex prima voce nominat, The Creed, id eſt, Fidem noſtram.

M. *Fidem tuam pronuntia.*

A. Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ : Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum, Dominum noſtrum: Qui conceptus eſt è Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine : Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus : Deſcendit ad inferos, tertiâ die reſurrexit à mortuis : Aſcendit ad cœlum, ſedet ad dextram Dei Patris omnipotentis: Vnde venturus eſt ad iudicandum viuos & mortuos : Credo in Spiritum ſanctum: Sanctam Eccleſiam Catholicam: Sanctorum communionem: Remiſſionem peccatorum: Carnis reſurrectionem: Et vitam æternam. Amen.

M. *Vniuerſam hanc fidei confeſſionem, in quæ membra diſpartiris?*

A. In quatuor principalia : in quorum primo, de Deo Patre, & rerum omnium creatione : in ſecundo, de eius Filio Ieſu Chriſto, quod & humanæ redemptionis ſummam omnem continet : in tertio, de ſacro Spiritu : in quarto de Eccleſia, & de Dei donis Eccleſiæ per Chriſtum datis, explicatur.

M. *Age igitur, hunc ordinem in explanandis iſtis quatuor partibus conſeruato : principio verò* Credendi *verbum in primo Chriſtianæ fidei introitu, quam vim habeat, expone.*

Mat. 10. c 32. & 28. d 19. Ioan. 1. b 12, 13. Rom. 1. b 17. & 10. b 9. Gal. 3. d 26. Heb. 11. d 14.

A. Hac voce ſignifico, veram me atque viuam, hoc eſt, Chriſtiani hominis fidem, in Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum ſanctum habere ; eamq; me fidem, hac confeſſionis formulâ profiteri, firmiſſiméque aſſeuerare.

M. *Viua ea veráne & Chriſtiana fides quæ ſit, mihi quàm potes apertiſſimè declarato?*

Ioan. 1. b 12, 13. Ioan. 8. a 1. b 14, g 38, 39. Col. 2. a 12, 3. Heb. 10. 22, 23. & 11. a 1. Pſal. 1. a 3. Mat. 7. c 17, 18. & 13. c 23. Gal. 5. a 6. 1. Pet. 1. c 13, 14, 15.

A. Fides eſt certa cognitio paternæ Dei erga nos per Chriſtum beneuolentiæ, fiduciáque in eodem, ſicuti in Euangelio teſtatum eſt ; quæ ſtudium piæ vitæ, id eſt, Dei Patris voluntati obſequendi ſemper coniunctum habet.

M. *Intelligis igitur, nullos impios, qui aut de Dei miſerecordia deſperant, aut eius iuſtitiam non pertimeſcunt, ſed vitam vitioſam animo ſecuro viuunt, hanc veram Chriſtianam fidem habere poſſe, tametſi eius verba pronuntient?*

A. Ita omnino intellexi.

M. *Quum non niſi vnus ſit Deus, dic quare in Chriſtianæ fidei confeſſione*

tres

tres nominentur, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Matt.3.c 16,1. & 28.d 19.

A. Non variorum Deorum hæc sunt nomina, sed trium diuersarum in vna diuinitate personarum: nam Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus, tres personæ vnus tantum Deus sunt, sicuti edocti sumus ex sacris literis, quibus prom ptam potiùs fidem adiungere, quàm tam penitus reconditi & abditi mysterij infinitam altitudinem curiosè scrutari debemus.

1.Ioan. 5.b 7. Ioan.10.f 30,& 14.b 7,9,8,11. 1.Cor.1.a 5.6. Pro.25 d 26. Psal.2.b 7. Matt.3 c 17. Ioan.1.b 14. Rom.15.b 6

M. *Verissimè loqueris: perge porro. Quamobrem Deum Patris nomine nuncupas?*

A. Primum omnium, maximéque quòd vnici Filij sui Iesu Christi natura Pater sit: Deinde quòd noster etiam sit pater, tum quia nos condidit, omnibusque vitam dedit, tum etiam quòd nos iterum diuinè per spiritum sanctum generauit, per fidem in verum suum atque naturalem filium Iesum Christum nos elegit, sibique filios & regni cœlestis, atque sempiternæ vitæ hæredes, per eundem instituit.

1.Cor.1 2.3. Gen.1.d 27. Malac.1.a 6. & 3.b 10. Io.1.b 1,12.& 3.a 3.5. Ro.8.c 15,16,17 Gal. 4.a 5.6 Ephe.1.a 5,6 Tit.3.b 7 1.Pet.1.2,3 4, d 23. Esa.40 c 21,22, &c.

M. *Cur Deum omnipotentem appellas?*

A. Quòd & fabricatus est omnia, & omnes res ex sua voluntate moderandi summam potestatem habet.

Mat.5 g 45. & 10.c 29. Ephe.1.b 1. Heb.1.a 3 Ioan.1.b 10, 11,12.

M. *Spiritusne etiam malitiosi impiique homines in Dei potestate continentur?*

A. Nunquam alioquin sine summa solicitudine essemus, si quam illi lædendi nos facultatem, contra diuinam voluntatem haberent. Verùm ea nos consolatione sustentamur, quòd neque dæmones, neque conscelaratissimi homines, nihil quicquam, nisi Dei arbitratu vel permissione tentare omnino valeant: quodque nos adeò in tutela patris omnium rerum præpotentis sumus, vt ne vllus quidem capitis nostri pilus, nisi ipsius voluntate qui nobis optimè vult, in terram decidere possit.

Mat.8.d 31,32. Luc.22.d 31.32. Ioan.10.f 28,29 & 19.b 10,11. Act.2.d 23 24 & 4.f 27,28. & 13.c 11 Luc.11.b 7. & 21.d 18. Psal.19 a 1. & 50 b 6. Rom.1.c 10,20

M. *Cur adiungitur, Deum cœli & terræ creatorem esse?*

A. Quòd diuinam potentiam, sapientiam atque bonitatem (quæ per se intelligentia comprehendi non possunt) in eius operibus, vt in speculis intueri liceat. Nam quum immensam illam mundi magnitudinem contuemur, eamque esse partium omnium constitutionem, vt neque ad aspectum magis decoræ, neque magis ad vtilitates omnes accommodatę excogitari possent; artificis illico effectorisque infinita potentia, sapientia, bonitas nobis ante oculos mentis obuersantur.

M. *Quaratione vniuersa à Deo condita esse affirmas?*

A. Deum Patrem Opt. Max. à principio, & ex nihilo, per potentiam sui verbi, hoc est, Iesu Christi Filij sui, totum hunc spectabilem mundum & vniuersa in eo inclusa, atque spiritus etiam corporis expertes (quos nuncupamus angelos) fabricatum esse & constructisse.

Gen 1.a 1. & 6. Psal.33 b 6,7. & 39.b 11. Ioan 1.a 3. Act.14 c 15 1 Cor.8.c 6 Heb.1.a 2. Col.1.c 16.

M. *Num censes tamen satis piè asseuerari, Deum spiritus omnes malitiosos,*

ſos, etiam eos (qui à nobis diaboli nominantur) feciſſe?

Gen. 1. d 31
Ioan. 8. f 44
Iud. b 6

A. Deus illos tales non effecit; verùm illi à prima creatione, ſuo ipſorum vitio omni reſtitutionis ſpe perditâ, defecerunt: proinde non creatione & naturâ, ſed naturæ corruptelâ deprauati ſunt.

M. *Satiſne Deo fuit cuncta ſemel creaſſe, poſtea verò omni rerum curatione vacaſſe?*

Pſal. 75. a 3. & 104. b 8, 9, &c. & 145. c 14, 15. & 147. a 5, 6. &c.

A. Nequaquam. Deus enim vt omnia fecit, ita omnia fulſit, & moderatur: alioqui vniuerſa in nihilum ſubitò occiderent.

Col. 1, b 16, 17.
Heb. 1. a 2, 3
Gen. 1 d 26, 29
Pſal. 8. b 6, 7. &
10. 4, 5, 14, 15,
&c.
Prou. 6. a 4
Eſa. 43. b 7
Rom. 11. a 39.
Col. 1. c 16.

M. *Quem ſibi finem Deum Opt. Max. in condendis gubernandiſq, rebus omnibus propoſuiſſe putas?*

A. Hominum gratia fabricatus eſt mundus: & quæ in eo continentur cuncta, comparata ſunt, vt vtilitati commodiſque humanis ſeruirent. Et vt cætera vniuerſa humani generis cauſâ, ita hominem ipſum Deus ad ſuam propriè gloriam fecit.

M. *Ediſſere quis primus fuerit hominis ortus atque fabricatio.*

Gen. 1. 15. & 12. b. 7. c 8. 20. d 21, 23.

A. Deus, vt à *Moſe* in ſcriptis relictum eſt, primo homini è limo terræ formato, animam atque vitam inſpirauit: fœminam exinde deductam ex viri ſomno conſopiti latere, & in lucem editam, cum viro ſociauit, vt adiutrix, vitæque illi conſors eſſet.

M. *Cum in viris ſimul & fœminis prauitas, nequitia, diſtortioque adeo ſummanunc appareat, num à principio Deus eos eiuſmodi fabricauit?*

Gen. 1. d 26. 27. 31.
Col. 3. b 10.

A. Minimò omnium: Nam Deus perfectiſſimè bonus, nihil aliud quàm bonum facere poteſt. Deus igitur ad ſuam imaginem ſimilitudinemque, hominem initio formauit.

M. *Quænam eſt illa imago, ſecundùm quam hominem factum eſſe dicis?*

Deut. 23. a 13. 4.
Rom. 9. c 14.
Col. 4. b 10.
1. Ioa 1. b 5. c
2. d 29. & 3. a 3.
Sop. 1. c 13, 14.

A. Ea eſt iuſtitia omni ex parte perfecta ſummaque ſanctitas, quæ ad ipſam diuinam naturam propriè pertinet; quæ homini cùm Deo ſimilitudo vſque eò fuit, quoad eam homo peccatorum maculis fœdauit.

M. *Quaratione iſtud factum eſſe dicis?*

Gen. 3. a 2, &c.

A. Fœmina à Diabolo circumuenta, virum impulit, vt fructum quo illi à Deo interdictum fuerat, comederit; quo illorum facto, imago, ſecundum quam creati ſunt, eſt obliterata: & cùm ipſi, tum ipſorum poſteri, Deo aduerſarij, peruerſi, imbecilleſque ad omne bonum effecti, non in omnes ſolum vitæ huius miſerias, corporis morbos atque mortem, ſed & in interitum etiam ſempiternum perpetuamque damnationem inciderunt.

Sap. 1. c 13, 14.
1. Cor. 1. d 14.
Rom. 8. b 7, 38.
2. Cor. 3. b 15.
Rom. 6. d 23.
Epheſ. 5. b 5, 6.

M. *Vtrum tamen exiſtimari non queat, grauiter nimis Deum pomi vnius guſtatum vindicaſſe?*

Gen. 6. a 3. 4. 5, 9. b 11. d 2. 3.

A. Deteſtabile illud hominis facinus quaſi leuis culpa fuerit, nemo verbis extenuare, aut ex pomo & immoderata modo edacitate rem æſtimare velit. Ipſe enim pariter cum vxore ſua fallacibus Satanæ blan-

blandimentis illectus illaqueatusq; infidelis à Dei veritate ad vanitatem declinauit: falsis serpentis criminationibus, quibus de mendacio, inuidentia, & maleuola commodi alicuius subductione Deum accusabat, fidem adiunxit; innumerabilibus beneficijs ornatus, ingrato in Deum, qui ea contulit, animo fuit: homulus ex terra modò lutoque fictus, non satis esse putans, quod similitudo illi cum Deo esset, per intollerandam insolentiam & arrogantiam exæquare se cum diuina Maiestate expetiuit: postremò, creatoris se ditioni subtraxit, iugum etiam eius à suis ceruicibus proterue repulit. Inaniter igitur Adæ maleficium minuitur.

Gen.1.d.26.2. Psal.8.b.4.5,6. &c. & 104.c. 14,15.

Gen.1.d.26,27. Col.1.b.10. Ose.6.b.7.

M. *Verùm cur ob parentum scelera, posteri omnes de tam beato vitæ statu dejecti, in omnes calamitates inciderunt?*

A. Deus Adamum illis honoris insignibus ornauit, vt ea cùm sibi, tum suis, id est, toti humano generi, aut seruaret, aut amitteret. Neque aliter fieri potuit, quin sicut ex arbore mala mali fructus eduntur: Ita Adamo peccati corruptela deprauato, omnis eius progenies ingenito illo peccato (quod originale vocant) corrumperetur. Quanquam quid opus est tam grauiter de Parente Adamo conqueri? quando nos etiam ipsi ob plurima nostra maximáque vitia, calamitatibus omnibus, damnatione, morteque dignissimè mulctemur: à quibus malis vt liberemur, nihil in nobis, aut in vlla alia creatura opis aut auxilij omninò superest.

Mat.7.c.18. & 22.c.33.1 Rom.5.b.12. & 14 17,&c. Ose.6.b.7. Rom 6.c.24. 1.Cor.11.2.3. Ephe.5.b.5,6.

M. *Quæ spes est igitur, consolatioque reliqua, & in quo sita?*

A. Promisit Deus fore, vt semen mulieris, qui est Iesus Christus filius virginis Mariæ, Serpentis, hoc est, Diaboli, qui eos decepit, caput contereret: ipsosque atque eorum posteros, qui promisso illi fidem haberent, liberaret. Atque hoc illud est, quod in secunda iam Symboli parte sequitur: credo in Iesum Christum.

Gen.3.c.14,15. Rom 5.c.15. 16.&c. Gal.3.c.16.19. Hebr.2.d.14,15, 16.

M. *Nomen Iesus quid significat?*

A. Iesus Sermone nostro idem est quod seruator. Iesus enim Christus filius Dei, idemque Virginis filius, nos qui scelere deuincti, & sub antiqui serpentis diaboli seruili iugo captiui, sempiternæque mortis vinculis constricti turpissimè miserrimèque iacebamus, in libertatem vindicauit, atque ad salutem reduxit.

Mat.1.d.21. Acts 10.c.43,44. Col.1.c.13,14. Hebr.1.b.1.4,15. 1.Ioa.3.b.8.

M. *Quis nomen Iesu illi imposuit?*

A. Angelus ex Dei ipsius precepto.

Mat.1.d.2. Luc.1.c.3. & 2.c.21.

M. *Explica nunc quid Christi nomen significet.*

A. Christus idem est, atque si Vnctum appellares: quo nomine indicatur, eum Spiritus sancti vnctione maximum Regem, Sacerdotem, atque Prophetam creatum esse.

Psal.1.a.6. Esa.61.a.1. Dan.9.d.24,25 Luc.24.25. Ioa.4.c.18. Act.4.c.27. Act.10.c.38. Heb.c.9.

M. *Christi regnum est ne mundanum?*

A. Nequaquam: verum spirituale & sempiternum, cuius regni gubernacula,

Luc.1.c 32,33. Ioan.18.f 36. Col.1.c 13,14. 2.Tim.2.a 1.

bernacula, ſunt Dei verbum, atque Spiritus, quę tum iuſtitiam, tum vitam ſecum afferunt.

M. *Quam nobis vtilitatem præbet hoc Chriſti regnum?*

A. Vires nobis armáque ſpiritualia quibus atroces & truculentos animarum noſtrarum hoſtes, carnem, mundum, peccatum, diabolum, profligemus, adiumentáque ad vitam cum virtute & ſanctitate, degendum ſubminiſtrat.

Rom.12. d 12. &c. & 16. c 20. 2. Cor.10. a 1,5. Eph. 6. b 10, 11,&c.

M. *Cuiuſmodi Sacerdos eſt Chriſtus?*

Pſal.110. b 4,5. Heb.4. d 14-15, &c. & 5. b 6,7. & 7. a 2,3. b 11. 21,&c. & 9. d 23,24.

A. Summus atque æternus; qui ſolus in conſpectum Dei venire, ſolus ſacrificium, quod Deo placeat ſatisfaciatq; conficere, ſolus iratum Deum placatum efficere poteſt.

M. *Cui nobis vtilitati ſunt?*

Ioan.14. d 27. Act.10. f 36. Eph. 1. c 14, 15 &c. Col.1. c 20. Heb.2. d 24.15. 1.Tim.9 c 5. Rom.8. c 15. & 12. a 1. Gal.4. a 5,6. Ephel.3. b 12. Heb.4. d 15,16.

A. Nobis vt pacatus propitiúſque ſit Deus, poſtulat & deprecatur; nobis offenſum Deum lenit, nóſque in gratiam cum Patre reducit. Solus enim Chriſtus pacificator nobis propoſitus eſt, qui nobis Dei gratiam reconciliet: Immo verò Sacerdotij etiam ſui nos quaſi conſortes eſſe voluit, nobis introitum ad Patrem patefaciens; vt illius præſentia cum ſpe ſumma comparere, nóſque & noſtra omnia veluti hoſtias ad ſacrificium Deo Patri ipſum præbere non dubitemus.

M. *Qualis Propheta eſt Chriſtus?*

Luc.7. c 16. Act.7. c 17. Heb.1. a 1,2. Ioan.8. d 26. c 10. & 15. c 15. & 17. a 6,&c. & 18. g. 37.

A. Quum reliquos omnes Prophetas atque doctores Dei ſeruos deſpicerent mortales, Chriſtus ipſe Dei Filius, & Prophetarum omnium Dominus, Patris interpres & nuntius de cœlo ad homines deſcendit, vt paternam voluntatem planè explicaret, mortaléſque rectâ Dei atque omnis veritatis intelligentiâ informaret. Atque ita Chriſti nomine tria illa officia comprehenduntur, quæ Dei Filius ſibi à Patre debita perſoluit, vt omnis eorum fructus nos ſecum participes faceret. Filius enim Dei non ſolùm nominatur, & eſt reuerà Ieſus Chriſtus, hoc eſt, Seruator, Rex, Sacerdos, Propheta; ſed & nobis ita eſt, ad noſtramq; vtilitatem atque ſalutem.

M. *Qua ratione Chriſtum Filium Dei vnicum profiteri quando qui pij ſunt, omnes filij Dei vocentur?*

Mat.2 c 31.5. & 3. d 17. Ioan.1 b 1.4.c 3 & 14. b 10,11. Heb.1. a 23. & 5. b 1. Rom.8. c 14,15. Gal.4.14,15. Eph.1. a 5. 1.Ioan 3. a 1.

A. Quòd ſolus Chriſtus naturalis Dei Filius, eiuſdemq; ſit cum Patre ſubſtantiæ. Nos verò quum naturâ Adami veri filij ſimus, gratiâ tamen beneuolentiáque, qua nos per Chriſtum Seruatorem noſtrum proſequitur, filij Dei adoptamur.

M. *Quam ob cauſam Chriſtum Filium Dominum noſtrum nuncupas?*

Mat.9 a 6. & 10. a 1. & 21. c 18. & 28. d 18. Luc.1. d 32. 33. Ephel.1. d 20, 21,&c. Deut. 10. b 12 c 20.

A. Propterea quòd Angelorum, hominum, rerumq; omnium dominatus ſit illi à Patre traditus: quódque ſuo arbitratu atque potentiâ regnum Dei, tum in cœlo, tum in terra, moderaretur.

M. *Num quidnam reſtat?*

A. Hac cogitatione commonefiunt pij omnes, non ad ſuum ſibi arbitrium

arbitrium viuere licere, verùm oportere eos corporibus ſimul & animis, in vita pariter atque in morte, totos ſeſe ad Domini ſui nutum accommodare, ipſiq; in rebus omnibus obtemperare, & fideliter inſeruire. Mal.b 6. Luc 9. c 23.24. & 14.f 26.27. Heb.2. d 5,6, &c.

M. *Quid tum inde?*

A. Declaratur quemadmodum naturam humanam ſuſceperit, cunctáque perfecerit, quæ ſaluti noſtræ opus erant.

M. *Eratne ergo neceſſarium Filium Dei hominem eſſe?*

A. Maximè: nam quod homo in Deum nefarie commiſit, id hominis etiam ſupplicio luendum erat, atque expiandum: quod onus longè grauiſſimum ſolus Ieſus Chriſtus, idem Deus, & idem homo ſuſcipere poterat: quin nec potuit alius mediator inueniri, qui à Deo pacem atque veniam hominibus impetraret, niſi Deus ſimul & homo, Ieſus Chriſtus. Mat.8.c 17 & 17.d.22,23.& 20.d 18,19. Ioan 1.b 14.& 1.f 50,51. Rom. 5.c 15. 1.Cor.15.c 21, 22. Phil.2. a 6,7,&c. Heb.2.b 9. 3.Tim.2 b 5. Heb.9.b 14,15. & 9 d 24. 1.Pet.2. d 21,24.

M. *Quamobrem vulgari hominum conſuetudine, naturaliterque generatus non eſt?*

A. Propterea quod per quem peccatorum noſtrorum maculæ erant delendæ, eum ab omni omninò peccato integrum conſeruari par erat. Ob eam igitur ipſam cauſam caſtiſſimus ille Agnus Dei Ieſus Chriſtus admirabili Spiritus ſancti virtute, ex incorrupta Virgine Maria purus ab omni peccati labe, conceptus atque natus eſt. Ioh.1.c 16.d 36. 1.Cor.7 b 7,8. Heb.4.d 15. & 9.d 14. Mat.1.c 23. Luc 1.c 31,35.

M. *Quare Virginis Mariæ nomen commemoratur?*

A. Vtagnoſcamus Chriſtum eſſe verum illud ſemen Abrahæ atque Dauidis, de quo Prophetæ oraculis inſtinctu diuino editis, prænunciárunt atque præmonuerunt: ex Abrahami enim, & Dauidis ſtirpe Maria Virgo directo eſt ordine procreata. Gen.22.d 18. Eſa 1.a 1. Mat.1 a 1,&c. & 22.d 42. Rom.1.a 2.

M. *Reliqua, vt inſtituiſti, deinceps perſequere.*

A. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus eſt.

M. *Verum cur Symbolum, Chriſti vita ſilentio prætermiſſa, protinus ab eius ortu ad mortem tranſit?*

A. Quòd in Symbolo ſumma ſolùm redemptionis noſtræ capita memorentur, quæq; illi adeò ſunt peculiaria, vt illius vim omnem in ſe incluſam teneant. Eſa.53. Mat 13.d 23. 17. &c.

M. *Mortis eius rationem paulo adhuc apertiùs explicato.*

A. A diſcipulo ſuo Iuda, qui corruptus, pretióque conductus ad id fuerat, eſt perfidioſè proditus, à reliquis diſcipulis deſertus, à Petro denegatus, eiuratúſque, à Iudæis, falſis criminibus obiectis, malitioſè accuſatus, à Pontio Pilato Romano præſide condemnatus eſt, pugnis loriſque cæſus, contextis ſpinis coronatus, togâ purpureâ indutus, alijſq; multis modis indigniſſimè crudeliſſimeque tractatus eſt, & lu- Mat.26.b 14,15 &c.&27.totum. Mar.14.c 43. & 15.totum. Luc.25 d.45, &c.& 23 totum. Ioan.18.& 19. totum.

& ludificatus : tandemque cruce ceruicibus impoſita, extra vrbem in locum qui Caluaria apellabatur, ad ſupplicium tractus eſt : vbi medium inter duos latrones ignominioſiſſimè cruci ſuffixerunt : in qua ſummo cruciatu confectus, crudeliſſimam probroſiſſimamque mortem oppetijt : animi interim dolores, quauis morte acerbiores perpeſſus.

M. *Suáne voluntate, an vi coactus, iſta ſuſtinuit Chriſtus?*

Mat.26.d 36,38, 39.41,42, 53, & 20.d 28. Mar.10.f 45. Ioa.10.c 11. 15. d 17,18. Phil.2.b 8. Luc 33.c 34.

A. Tametſi probroſa hæc ſæuiſſimaque mors humanæ ſuæ naturæ maxime terribilis erat ; voluntati tamen patris ſui qui iſti ipſum morti addixerat, totum ſe permiſit : itaque contumelioſa illa in ſe probra, tormenta mortemque atrociſſimam ſponte, & patientiſſimè pertulit ; tum patri obtemperans, tum veniam ijs, à quibus eſt in crucem actus, à Deo precatus.

M. *Quamobrem voluit Deus innocentiſſimum filium ſuum tam ignominioſo truculentoque genere mortis affici?*

Eſa. 13. totum. Rom. 3.a 3. 2. Cor. 5.d 21. Gal.1. a 4. Ephe. 1.a 3, &c. b 7, &c. Col.1. c 13,14. & 2. c 13,14. 1.Pet 3.d 18, & 4.a 1. Ioa.3.c 16 2.Cor,15 d 21.

A. Chriſtus Deo Patri pro nobis ſe obligauit, atque ſpoſpondit : quicquid ergò nos debebamus, aut eramus commeriti, id omne ſibi præſtandum, ſoluendum, & dependendum Chriſtus in ſe recepit. Et proindè ipſe tametſi maximè innoxius, pro nobis nocentiſſimis luit. Deuſque pater onus illi noſtrum imponens, ſumma iuris iudicijque ſeueritate in eum animaduertit, vt nobis ipſius cauſâ, ſummam miſericordiam impartiretur.

M. *Summam igitur beneficiorum illorum quæ ex Chriſti morte capimus, mihi explicato.*

Rom. 5. b 8.10, 11. 2 Cor. 5.d 18. 19,20,21. Epheſ.1.c 12.13, 14,17,&c. Heb. 7. d 26. 27. & 9.d 12 14. & 10. c 12.14.17 Rom,8.a 1,2.c 33,34. Col.1.c. 13.14. &c.d 20,21.

A. Chriſtus, quemadmodum ante attigi noſtri nomine locoq; Deo Patri ſatisfecit, ſe pro noſtris peccatis ipſi eſſe ſatisfacturum : ſe ipſius iram in nos ob contumaciam noſtram conceptam ſuauiſſimo obedientiæ ſuæ ſacrificio placaturum, noſq; in gratiam cum Deo reſtituturum eſſe. Atque ita Chriſtus innocentiſsimus ille Dei agnus vinculis conſtrictus eſt, vt nocentes nos, qui Sathanæ, morti & damnatione eramus mancipati, in libertatem vindicaret : Chriſtus qui extra omnem omninò culpam erat, accuſatus, condemnatuſque fuit iudicis terreſtris ſententia, vt nos, qui culpa tenebamur maxime, damnationeq; eramus digniſſimi, pro cœleſti tribunali abſolueret Chriſtus, pretioſo ſanguine ſuo pro nobis fuſo, peccatorum noſtrorum maculas ſordeſquè eluit atque deleuit : Chriſtus poſtremò, contumelijs, quibus eſt immeritiſſimè vexatus, acerbiſſimaq; atque ignominioſiſſima morte, qua eſt affectus, nos à pœna, ignominia, morteque ſempiterna, quæ noſtris ſceleribus eramus maximè commeriti, liberauit : adeoque peccata omnia noſtra obliuione ſepulta, procul à Dei conſpectu per Chriſtum amota ſunt. Atque ita miſeriarum omnium noſtrarum, in quas vel origine per Adamum, vel poſtea propriis noſtris peccatis incidimus, Chriſti perpeſſio

Pſal.51.6,7, Heb.9.d 14 1.Ioan.1.b 7. Apoc.1.b 5. 1. Pet.2.d 21. 22,&c. Rom.4. b 7,8. Col 2.c 13,14. Heb.10.c 17. Rom.8.a 1, 2.

medicina

medicina est, atque remedium; modò fiduciam omnemq; spem in illo collocemus, amoreq; illum amplectamur.

M. *Morte tamen corporis, quæ pœne peccato debita pars aliqua est, nos nihilominus mulctamur.*

A. Corporis mors, quæ sine Christo atrium Inferorum fuerat, iam per Christum omnibus illi fidentibus, ianua aditúsque in cœlum est effecta: quemadmodum & Christus ipse per mortem suum est regnum ingressus: ita vt mors quæ anteà peccati pœna erat, iam per Christum in maximo sit lucro ponenda.

Luc. 13. f 43. Ioan. 6. 25, 26 1. Cor. 15. c 18, 21. g 54, 55, &c. 1. Thes. 4. c 13, 14. Phil. 1. c 21, 23. Apoc. 14. c 13. Ephes. 5. a 1. 1. Pet. 3. d 21, &c. & 4. a 1, 2, &c.

M. *Ecquem alium nobis vtilitatis fructum præbet Christi mors?*

A. Christi supplicium & mors non solum ærumnarum nostrarum, vt antè dixi, salutare medicamentum, sed & exemplar etiam est nobis ad imitandum.

M. *Idem istud planiùs expone.*

A. Debemus & nos ad exemplum Christi, voluntati Dei cœlestis nostri Patris obedire, iniuriásque omnes nobis ab alijs illatas patienter accipere: vitiosos carnis appetitus, cruci suffigere, peccatísque omnibus quasi mortuos sepultósque esse; ita vt posthac nihil mali admittamus; idque exemplo Christi, qui propter peccatum in crucem sublatus, mortuus & sepultus est. Et reuera deprauatæ affectiones (quæ alioqui indomitæ sunt) in ijs, qui Christo per fidem adhærent, ita virtute mortis eius quasi cruci suffiguntur, illarumque incendia ipsius sanguine ita restringuntur, vt Spiritu multò obsequentiores reddantur. Atque ita virtute mortis eius ad ea præstanda confirmamur, atque vitæ, mortisq; eius exemplis excitamur.

Ioan. 13. b 15, &c. Ephes. 5. a 2. 1. Pet. 2. d 21, &c. 1. Pet. 2. d 21, &c. & 4. a 1, 2, &c. 1. Ioan. 2. a 6. Rom. 6. a 2. 4, 5 b 21. Gal. 2. d 20. & 5. Col. 2. c 13, &c.

M. *An non & de nostro etiam in Christum officio commonemur?*

A. Commonemur profectò non in nostra nos esse potestate, vt quęcunque velimus nostro arbitratu faciamus, verùm Christi, qui nos tam magno redemit, nos totos esse, illius voluntati parere, ad illius nos nutum accommodare oportere: Christum, qui nos adhuc hostes amore tanto prior amplexus est vt redamemus, maximè nos esse obligatos: pàratissimos etiam esse debere Christo, qui ita se nobis totum dedit, omnia nostra, nosque adeo ipsos totos vicissim reddere: Christi causâ non omnia solum mundana commoda, huiusque vitæ voluptates negligere, sed & vitam adeò ipsam deserere potius quàm Christum amittamus, nostrumq; erga ipsum officium pietatémque non præstemus. Beata est enim censenda mors, quæ mortalis vitæ conditioni debita, Christi maximè gratiâ oppetita est, gratiâ dico Christi, qui suâ sponte vitam profudit, mortémque pro nobis occubuit; quique vitæ author, mortuos nos à morte reuocatos & vult & potest immortalitate donare.

Rom. 14. b 7, 8. 1 Cor. 6. d 20. & 2. Cor. 5. d 10. 1. Thes. 5. 8, 10. Rom. 5. b 8, 10. Mat. 10 d 37. & 16. d 25. Luc. 9. c 20, 21, &c. 16. f 29.

Mat. 16. d 15. Mar. 8. d 35. &c.

M. *Quare adiungis Eum fuisse etiam sepultum?*

Mat.26 d 40 & 27.g 59,60,&c. 1.Cor.15.a 4.

A. Corpus exanime ſepultura eſt affectum, vt omnes eius mortem, exploratam magis, penituſque cognitam haberent; nam ſi rediuiuus ſubitò extitiſſet, mors eius in quæſtionem à multis dubitationemq; adducta, ſcrupuluſque hominibus aliquis fuiſſet iniectus.

M. *Eius ad inferos deſcenſus quam habet ſententiam?*

1.Pet.3.d 18. Ioan 8.d 24. 1.Cor.15.g 54, 55.&c. Heb.2.d 14,15.

A. Quòd Chriſtus, vt corpore in terræ viſcera, ita anima corpore ſeparata ad inferos deſcendit; pariterque mortis eius vis ad mortuos, inferoſque adeò ipſos vſque eò permanauit, vt & animæ incredulorum triſtiſſimæ, ipſorumque incredulitati maximè debitæ condemnationis ſenſum perceperunt, ipſeque Satanas inferorum princeps, tyrannidis ſuæ, & tenebrarum potentiam omnem afflictam, profligatam, & ruina oppreſſam eſſe animaduerteret.

M. *Reliqua nunc perſequamur.*

A. Tertia die reſurrexit à mortuis.

M. *Satiſne ergo effectum non erat, quod Chriſti morte, nobis culpâ liberatis, venia data ſit?*

Rom.12 4.& 6. a 4 b 9, 10. & 8.a 1,2,&c. 1.Cor.15.d 26. g 54.&c. Apoc 1.d 2. Phil.2.b 9.

A. Id non ſat fuiſſe conſtabit, ſi vel ipſius, vel noſtram conditionem nobiſcum reputemus: Nam ſi in vitam non rediiſſet, nequaquam Dei filius fuiſſet habitus; neque nos morti eripere potuiſſet: At a mortuis ad vitam ſempiternam excitatus, & diuinitatis ſuæ vim oſtendit, pariterque peccati, & mortis atque ipſius etiam diaboli domitorem ſe eſſe comprobauit.

M. *Quæ adipiſcimur commoda ex eo quòd Chriſtus rediuiuus fuit?*

Col.2 d 19,20. Rom.4 d 25. & 5 c 15 & c 6.a 4 5.b 11,12,&c. 1.Cor.15.c 20. &c.

A. Plurima, maximaque. Etenim illinc deſiderium nobis facultaſq; atque adiumenta, ad vitam cum virtute pietateque degendam ſuppeditantur. Illinc nos Chriſtus iuſtitia, quæ nobis antea defuit, imbuit. Et Chriſtus a mortuis ad vitam exurgens, vitæ nobis auctor exiſtit: illinc enim ſpes nobis oſtenditur, fore aliquandò tempus, cùm & mortalia corpora noſtra à morte ad vitam reducentur: quòd Chriſtus nos reſurrectionis, vitæque ſuę fecit participes. Fieri enim omninò non poſſet, vt Chriſtus caput noſtrum reuiuiſcens, nos ſui corporis membra, morte in nihilum recidere, funditúſque interire patiatur.

1 Theſ.4 d 14. &c. Col 1 d 18. 2.Tim.2.b 11.

M. *Perge.*

Rom 6 a 4.&c. b 9 10, 11.&c. Ephe. 5.d 27. Col.3.a 1.2.&c.

A. Sicuti ſacræ literæ declarant, Chriſtum propter iuſtitiam noſtram excitatum fuiſſe, ita nos etiam docent, vt Chriſti exemplo de mortiferis peccatorum operibus exurgentes, Iuſtitiæ poſthac, atque ſanctitati viuamus: ad quod præſtandum virtute potentiaque glorioſæ reſurrectionis ſuæ nos Chriſtus corroborat.

M. *Quid in fidei confeſſione deinde ſequitur?*

A. Aſcen-

A. Aſcendit ad cœlum, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Marc. 16 d 19. Luc. 24 g 5.

M. *Hoc, quemadmodum ſit accipiendum expone.* Act. 1. b. 9, 10. &c.

A. Planiſſimè, quòd Chriſtus corpore in Cœlum aſcendit, in quo antea corpore non aderat: quodq; è terra, in qua priùs corpore præſens fuerat, diſceſſit. Ioan 12. b 8 & 16. b 10. c 16. d 28, & 20. d 17.

M. *An non ergo nobiſcum amplius in terris adeſt?*

A. Præmonuit ipſe Apoſtolos ſuos, non ſemper. cum illis præſentem futurum, quod de corporea eius præſentia eſt intelligendum. Diuina enim natura ſua, qua vniuerſa complet tum in cœlo ſemper aderat, tum eadem, & ſpiritus ſui virtute, præſens, Eccleſiæ ſuæ in terris perpetuò adeſt, & adfuturus eſt, vſque eo dum mundana omnia ad exitum perueniant. Ioan 12 b 8. Ioan 17 a 5. Matt 18 c 20. & 28. d 20. Ioan 14 d 8. & 16 b 7. Rom. 8 b 9. &c.

M. *Minimè ergo deſertiſsimus ab auxilio, defenſioneque Chriſti, tametſi corpore præſentem illum non habeamus.*

A. Nequaquam. Chriſtus enim patri ad dextram aſſidens, poteſtate, ſapientia, prouidentiaque ſua mundum regit, & moderatur: mouet, gubernat, temperat vniuerſa: ſacrum etiam ſpiritum ſuum, vt maximum charitatis in nos ſuæ pignus, de cœlo, vt eſt pollicitus, in animos noſtros dimittit; cuius ſui ſpiritus clariſſimo lumine mentes noſtras tenebris cæciſque nubibus circumfuſas, illuſtrat: ab animis etiam noſtris ægritudinem repellit, conſolationeque nos leuat, atque ſuſtentat; eadem præſtiturus, quod hic mundus exitum habebit. Matt. 28 d 18. Ioan 6 b 7. & 17 c 2, &c. Ephe 2 d 10. & 4. b 8. &c. Ph l. 2. b 9. Col 1. c 18. Apoc 11 d 15. Rom. 5. a 5. & 8. 2. 45. b 9. &c.

M. *Nunc autem dicito, quid præcipuè de Chriſti aſcenſu, ſeſtioneq; à dextra patris conſideres quod quidem ad Chriſtum ipſum propriè pertineat.*

A. Æquum fuerat, vt Chriſtus qui ab altiſſimo decoris, & amplitudinis loco, ad infimum ſerui gradum, dedecuſque condemnationis, & ignominioſæ mortis ſeſe demiſerat, ad illuſtriſſimum viciſſim honorem, celſiſſimamque dignitatis ſedem aſcenderet, & in antiquum ſtatum reſtitueretur: vt contemptio videlicet illa atque ipſi probra, gloria & maieſtate, quaſi paria paribus, compenſarentur. Ephe. 1. d 20, &c Ph l 2. b 8, 9. &c. c 3. a 5.

M. *Nobis verò Chriſti in cœlum aſcenſus, ſeſtioque à patris dextera, quam adfert vtilitatem?*

A. Principio, Chriſtus, vt hominum gratia è cœlo in terram, tanquam ad exulandum, venit: ita & in cœlum patrimonium ſuum, hominum vice aſcendit, viam qua nobis ſit ingrediendum in cœlum muniens cœliq; portas nobis priùs ob peccatum occluſas reſerans. Porrò præſens coram Deo noſque illi commendans, & veniam nobis ab illo petens, cauſæ noſtræ patrocinium ſuſcipit, quo defenſore cauſam nunquam amittemus. Ioan. 14. a 2, 3, &c. Ioan. 16 c 26. Rom. 8 f 34. Heb 7 d 25 & 9 g 24. 1. Ioan. 1. a 2.

M. *Verùm quaratione aſcenſus Chriſti in cœlum imitatores eſſe poſſumus?*

A. Suſpicere in poſterum, mentemque & animi aciem in cœlum, vbi Chriſtus patri dexter aſſidet intendere debemus cogitationes omnes, 1. Cor. 5 48 &c. Col. 3. a 1, 2. &c.

& curas noſtras in rebus diuinis, cœleſtibus, ſempiternis; non in humanis, terrenis, atq; fragilibus defigentes.

M. *Et quid præterea?*

A. Commonemur etiam, vt Chriſto Domino cœli iam imperium tenenti, non mundano ritu, aut futilibus commentis humanis honorem habeamus: ſed vt diuino, planèque ſpirituali cultu, qui & nobis, qui tribuimus, & illi cui tribuitur, potiſſimum conueniat, eum piè ſanctéq; veneremur.

Eſa.1.b 11,&c. c 16,17,&c. Mat. 5. a 8.&c. Ioan.4 c 20, &c. d 24.

M. *Nunc te volo quæ de ſupremo iudicio mundíque exitu didiceris, mihi breuiter enarrare.*

A. Chriſtus cùm illuſtriſſimæ dignitatis ſplendore, magnificentiæq; præcellentiſſimâ amplitudine, in cœli nubibus aduenier, cinctus ſeptuſque copijs & coronâ cœleſtium ſtipatorum, & ad terribilis buccinæ ſignum clangorémque formidoloſum mortales vniuerſi qui ab ortu mundi ad illud vſque tempus ex hac vita migrârunt, tum animis, tum corporibus integri reuiuiſcent, & pro Chriſti tribunali iudicandi adducentur, vnuſquiſque de factis ſuis rationem redditurus quæ æquiſſimus atq; acerrimus Iudex ad ſummæ veritatis regulam requiret.

Mat.25.c 29, 30,31.& 25,c 31,32,&c. 1.Cor. 15.g 52,&c. 2.Thel.4.d 16, &c. 2.Pet.3.c 10, &c. Lo.14.b 10,12. 1.Cor.4.a 4,15. 2.Cor 3.b 10, 11.

M. *At cùm natura mortem omnibus certò impoſuerit, quomodo in fidei confeſſione victuros tum eſſe aliquos affirmas?*

A. Diuus Paulus declarat, eos qui eo tempore in vita commorabuntur, repentinâ mutatione renouandos, & omni corruptione corporibus abſterſâ, remotâq; mortalitate immortales eos exorituros eſſe: & iſta ipſis commutatio, mortis eſt futura loco, quòd mortalis vitæ occaſus fiet ortus immortalis.

1.Cor.15.g 53. 2.Theſ.4.d 17.

1.Cor.15.g 53,&c.

M. *Num igitur pios metu perterritos memoriam illius diei perhorreſcere debere, aut eam ipſis pertimeſcendam, & fugiendam eſſe putas?*

A. Nequaquam: quin etiam illius expectatio piorum animos ad ſpem optimam erigit, ſolatióque maximo permulcet. Is enim ſententiam pronunciabit, qui noſtro loco ſententiâ iudicis eſt condemnatus, ne nos in ſeuerum Dei iudicium vocati conuincamur, ſed indemnati iudicio liberemur.

Rom.8.a 21.c 15, p 22 g.38,39. 1.Cor 1. b 7. Phil.3. d 20. Tit 2. d. 13. 2.Pet.3.c 12.

M. *Quando igitur de Deo Patre Creatore, Filioq; eius Ieſu Chriſto liberatore hactenus ſit dictum, duabus iſtis Chriſtianæ profeſſionis partibus ad exitum iam perductis: tertia nunc, quòd videlicet de Spiritu ſancto credas, eſt declaranda.*

A. Eum tertiam eſſe ſacroſanctæ Trinitatis perſonam profiteor, à Patre & Filio ex omni æternitate procedentem, vtriq; parem, atq; eiuſdem omninò ſubſtantiæ, ſimulque cum vtroq; venerandũ & implorandum.

Mat.28.d 19. 1.Ioan.5.b 7. Ioan.14.d 16. & 15.d 26. & 16.b 7. & 23, f 23. Act. 5. a 3,4.

M. *Sanctus quare vocatur?*

A. Non ſolùm propter ſuam ipſius ſanctimoniam, quæ eſt omninò maxima; verùm etiam, quòd electos à Deo, & Chriſti membra ſanctitate

tate imbuat : quamobrem ſacra Scriptura ipſum ſanctificationis ſpiritum nuncupat. Rom.1.a 4, & 15.d 16. 2.Theſ.3.c 13. Tit.3.d 5. 1.Pet.1.a 2.

M. *Quibus in rebus ſanctificationem hanc ſitam eſſe putas?*

A. Principio, eius virtute diuinitùs renaſcimur : hoc enim eſt quod Chriſtus dixit, neceſſarium eſſe, vt ex aqua & ſpiritu de integro naſcamur. Eius etiam numine afflati, Dei Patris filij adoptione inſtituimur: ex quo fit, vt ſpiritus adoptionis meritiſſimè nominetur : qui electionem etiam noſtram quaſi conſignat in animis noſtris, nobis confirmans atque perſuadens, diuina beneficia vniuerſa noſtra per Chriſtum fieri. Ioan.3.a 5.6. Rom.8.c 15. d 13. Gal.4.a 5.6. Rom.8.c 14, 15, &c. 2.Cor.1.d 22. & 5.a 5. Eph.1.c 14.

M. *Proſequere.*

A. Spiritus Sanctus cœleſtia myſteria animis noſtris interpretando explanat, mentiumque noſtrarum oculis, vt illorum intelligentiam capere poſſint, lumina præfert: ad ipſius porrò arbitrium peccatis venia vel tribuitur, vel negatur; eius virtute naturæ vitioſitas comprimitur & edomatur, peruerſique appetitus frænantur atque franguntur, ipſius arbitratu varia beneficia diuinitùs in pios conferuntur. Ioa.14.b.7.d 26. & 16. b 13. & 20.f 22.23. 1.Cor.2.c.10. 11.d 13.15. Eph.5.d 27. Rom.8.a 5.b 9. &c. Act.2.a 4.c 17. &c.

M. *Ecquid habes præterea quod de hac re dicas?* 1.Cor.12.a 27.

A. Inter vitæ huius multiplicia diuerſaque malorum, ſolicitudinum, & calamitatum genera, piorum dolores & mœrores (quarum in hoc mundo conditio plerumque miſerrima, luctuſque vix alioqui conſolabilis eſſe ſolet) Spiritus Sanctus occultè conſolando, fiduciamque afferendo minuit, leuat, atque mollit; & ex eo Paracletus, hoc eſt conſolator, verè propriéque nominatur. Poſtremò, Spiritus Sancti potentia, mortalia noſtra corpora à mortuis excitata ad vitam reuocabuntur. Summa autem quantacunque nobis bona Deus per Chriſtum largitur, ea vniuerſa Spiritus Sancti efficentia cognoſcimus, percipimus, comprehendimus. Tantorum igitur datori beneficiorum meritiſſimè confidimus & ſpem in eo reponimus, ipſumque veneramur, atque opem ab illo petimus. Ioan.14.b.16. a 26 & 15.d 26.& 16.a 7. Rom.8.b 11. 2.Cor.12. d 4.7. &c.b.11.13.

M. *Reliqua eſt pars quarta, de ſancta Eccleſia Catholica, de qua ſententiam tuam iam intelligere cupio.* Symboli pars 4.

A. Summatim dici poteſt, Eccleſiam eſſe Corpus Chriſti.

M *Verùm magis hoc perſpicuè pluribuſque verbis dicito.*

A. Eccleſia eſt corpus Reipublicæ Chriſtianæ, hoc eſt, vniuerſa multitudo conſociatioque piorum omnium, quos Deus per Chriſtum ad vitam ſempiternam ex omni æternitate deſignauit. 1.Cor.12 d 27. Eph.1. d 22. 23. Col.1.c 18 d 24. Rom.12.b 5 &c. 1.Cor.12. b 12. 13.&c.c 10.d 26 Eph.1. c 4 5.& 3 b 9.10. Mat.15.34.

M. *Quam ob cauſam hunc Articulum Symbolo additum eſſe putas?*

A. Quoniam quidem non ſolùm nequicquam Chriſtus mortem oppetijſſet, ſi non exiſteret Eccleſia : ſed etiam, quæ hactenus dicta ſunt vniuerſa, ſuperuacanea forent, & ad nihilum recaſura.

M. *Quamobrem?*

Mat.16.c18. Act.20 f26. 1.Cor.12.b12, 13,&c. Eph.1.a 3,4.5, &c,d 11,&c. & 3.b 9,10.p.21. & 5.d 25. 1.Ti.3,d 15,&c.

A. A principio ad hunc vſque locum ſalutis cauſas recenſuimus, radiceſque ipſas conſideraiimus; nominatim verò quòd Deus nos, propter Chriſti meritum diligat, & beneuolentia complectatur: præterea, quod huius gratię, in quam cum Deo reconciliati ſumus, efficacitate, Spiritus Sancti participes reddimur: Verùm iſta hunc vnicum habent exitum, vt inſtituatur Eccleſia, hoc eſt conſilium fidelium, in quos diuina hęc munera conferantur.

M. *Quare hunc Eccleſiam vocas ſanctam?*

Rom.7.c29.30. 1.Cor.14.f 33. Eph.1.a 4.5. b 11.12.

A. Vt hac nota ab impia incredulorum turba internoſcatur. Quotcunq; enim delegit Deus, eoſdem pietate morumq; integritate imbuit.

M. *Iſta, quam Eccleſiæ aſſignas, ſanctitas, eſt iam in omni genere perfectè abſoluta?*

Rom.4.3 f 26. 1.Cor.13.c 9. &c. 2.Cor.12.b 5.9. 1.Cor.13.c 10. &c. & 15. g.52. 53,&c. Ephe.5.d 26,27. Apoc.19 b 8.& 21.c 10.11. &c.g 27.

A. Nondum. Quam diu enim mortali hic conditione viuitur, ea eſt humanæ naturæ infirmitas, vt parum validis viribus ſimus, ad omnem vſquequaq; culpam effugiendam. Proinde Eccleſię ſanctimonia non eſt adhuc plenè cumulateq; perfecta, veruntamen probè inſtituta. Sed quando cum Chriſto, à quo nitorem & ſplendorem omnem obtinet, penitus copulata fuerit; iam tandem innocentia & ſanctitudine omnibus ſuis numeris planè expleta, vt veſtitu quodam candidiſſimo nitidiſſimoq; exornabitur.

M. *Eccleſiam cur appellas Catholicam?*

Mat 28,d 19. Act.2. a 5.9. b 10,&c. 1.Cor.12.b 12, 13,&c. Eph.1.d 22.23. & 2.a 12.&c. & 4.a 4.5,&c. 15.16. Col.c 18.

A. Idem valet, atque ſi vniuerſalem vocarem. Hęc namque multitudo & conuentus piorum non habet definitam aliquam regionem aut tempus, cuius terminis ceptus teneatur: verùm piorum, qui à mundi fabricatione, omnibus locis atque temporibus vixerunt, viuuntue aut victuri ſunt, numerum integrum comprehendit: vt vnum ſit Eccleſię corpus, ſicut vnus eſt Chriſtus, corporis illius vnicum caput.

M. *Nunc te explicare volo quamobrem ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ continuò ſubiungas, nos credere ſanctorum Communionem.*

1.Cor.12.b 12, &c.c20. & d 26. Eph.4.c 5.20. Col 1.c 18.& d 19. Eph 4.a 3. 4. c 15. Col 2.d 19. Mat.22.c 39. Ioan.13.c4. 15. Rom.b 5 &c. 1. Cor.10.f 24. & 13.b 5 &c. 2 Cor 2. 8.f 29. Gal.6. a 2 Plal.52.a 1,2, &c.

A. Quum vbique terrarum & gentium, omnibuſque temporibus & ſeculis habeat Deus qui pie ipſum ſancteque colant; vniuerſi illi, quamuis interuallis locorum & temporum longè diſiuncti, vnius tamen eiuſdemque corporis (cuius eſt Chriſtus caput) partes ſunt ſumma inter ſe coniunctione deuinctę: Tanta eſt ſanctis hominibus & cum Deo, & inter ſe communio. Namque Spiritus, fidei, ſacrorum myſteriorum, precationum, condonationis criminum, beatitudiniſque ſempiternę, atque adeò vniuerſorum diuinorum bonorum (quibus Eccleſia per Chriſtum fruitur) communicatione, ſunt inter ſe quam maximè coiuncti. Charitate præterea amicitiàque non ſimulatâ, ſed concordi ſeſe mutuò complectuntur. Quoniam verò iſta piorum communitas in ſenſum intelligentiamq; humanam, perinde atque aliæ coniunctiones

iunctiones consociationesq; hominum, non cadit, iure hic inter ea, quę creduntur, locum habet.

M. *Hæc quam memoratu Ecclesiæ conspicuáne?*

A. In hac fidei confessione præcipuè tractatur de cœtu illorum quos Deus occulto arbitrio sibi per Christum delegit; quę Ecclesia neque in conspectum cadit, neque eius ostendi indicia semper possunt. Est tamen aspectabilis quædam quæque cerni possit Ecclesia Dei, cuius nobis notiones atque insignia palàm profert & proponit. Rom.8. c29. 30 33. Ephe. 1. a 4.5. &c.b 11.12. Col.3.b 3.

M *Quænam ea sunt?*

A. Vbicunque gentium Euangelium Christi seruatoris purè declaratur, Deo Christi nomine preces verè adhibentur, sacra mysteria rectè celebrantur, ille Christianorum hominum cœtus ibi congregatus, est aspectabilis Christi Ecclesia. Es. 55 b.10.11. Luc.24 c 47. Ioan.14.b 13. 14 & 15.16 & 16.c 23. Rom.13.b 8.9. 1.Cor.11.d.20. 21.23.&c.

M. *Suntne igitur vniuersi, qui in hanc spectabilem Ecclesiam conuenient, numero destinatorum ad vitam sempiternam accensendi?* Mat.18.c 16.17. d 19.20 & 28. d 19.

A. Hypocritæ nonnulli specie quadam assimulatæ sanctitatis in hunc sese conuentũ insinuant, qui tamen longissimè absunt à veris Ecclesiæ membris. Quanquam, quoniam vbicunque verbum Dei verè explicatur, & sacra mysteria sanctè celebrantur; ibi semper sunt aliqui saluti per Christum destinati; vniuersam illam frequentiam, Ecclesiam Dei esse interpretamur: quum & Christus ipse duobus tribusue, qui ipsius nomine conuenerint, præsentem sese adfuturum spondeat. Mat.13 c 19. &c. d 25.&c. f 47.&c. Es. 55 b 10.11 Mat.28.d 19. &c. vt supra.

M. *Quare Ecclesiæ remissionem peccatorum subijcis?*

A. Principio quod claues, quibus cœlum tum clauditur, tum aperitur, hoc est, ius illud obligandi & soluendi, reseruandi & condonandi crimina (quod in censurarũ Ecclesiasticarũ administratione, publica pœnitentiũ, priuata ægrotantiũ absolutione, & verbi diuini prędicatione positũ, Christi munere donatũ & commissũ Ecclesiæ protestati) in ipsa propriè resideat. Deindè, quod nullus condonationem criminum impetrare possit, nisi qui Ecclesiæ, quæ est Corpus Christi, pars verè fuerit: quique communem Ecclesiasticæ societatis coniunctionem diligenter, integrè pièque, continenter etiam, & ad extremum seruat, & defendit. Mat.18.d 19.20. Mat.16.c 18.19. & 18.c 17.18. Ioa. 20. f 21.23. 1. Tim.3.d 15. Mat.24. b 13. Ioan 15.a 4.5. &c. Col.2 p.19.19.

M. *Ab Ecclesia igitur alienis non superest spes vlla salutis.*

A. Extra Ecclesiæ limen omnia sunt damnationi, morti, atque exitio obnoxia. Membra enim dictracta, diuulsaque à capite atque corpore, omni spe vitæ orbata sunt. Io.15 a 4.5. &c. Col.2.d 18.19. 2.Tim.3.d.15.

M. *Vocabulum remissionis quam significationem habet?*

A. Quòd videlicet a Deo impetret fidelis, vt peccata sibi ignoscat: Deus enim Christi gratia, qui pro peccatis satisfecit, omnibus ipsi fidentibus gratuitam dat criminum veniam, & ex damnatione, atque iudicio ereptis, commeritam pœnam remittit. Psal.32.2 1.3 Ioa.3.c 16.17. Act.1.f 38.39. & 26 d 18. Rom.3.d 24. 25.28.

M. *Ad promerendam ergo peccatorum impunitatem, nonne benefactis nostris Deo satisfieri posse putas.* Ephe.1.b.7. Col.1.c 13.14.

A. Vnus omnino Christus cruciatu & morte sua, quibus est affectus, supplicium nostris maleficijs constitutum luit atque persoluit, simulque Deo, nostro nomine satisfecit. Solus igitur Christus aditum nobis ad diuinam clementiam patefacit. Penes nos, summo hoc munere, sola ipsius bonitate beneficentiaque gratis donatos, nihil est omninò quod ipsi inuicem mercedis remunerationisue loco vel deferamus, vel referamus.

Vt supra & Esa. 35.a 4.5. Rom.5.b 8. 10. Gal.1.c 16. Col.1.c 20.21. 2.Ti.1.c 9.10. Heb. 9. d 14.15.

M. *Nihilne ergò prorsus superest à nobis præstandum, vt criminum condonationem consequamur?*

A. Deus nocentibus se crimina condonaturum pollicetur, modò pœnitendo errorem corrigant, atque deponant; mentesque à vitæ nequitia reuocent ad ipsius obsequium. Quamobrem pœnitentia, correctioque vitæ nobis est necessaria, vt peccatorum impunitatem exoremus.

Iere.18.b.8. Eze.18.d 31. c 30.31.32. & 33.c 14.&c. Mat.4.c 17. Luc. 5.f. 31. Psal.32.a 3.4.5. & 51.a 3.4. Prou.18.c 13. Lu.15.d 18.21. 1.Ioa.1.d 8 9.

M. *Pœnitentia quas partes complectitur?*

A. Crimina primùm nostra agnoscere, ac confiteri coram Deo; acerbissimo animi dolore angi, pudoreque affici, quòd illius maiestatem offenderimus: peccati odium intimum suscipere, illudque detestari, sanctam in posterum vitæ nostræ institutionem, iuxta Dei mandata serio ac constanter proponere.

Psal.6.b 6,7,&. 31.b 9.10.& 38.a 3.4.&c.b 8.&c. c.17,18,&c.& 51.c17, 1.Cor.11.g.31. 2.Cor.7.c.9. 10 11,&c.

M. *An in tantam formidinem, atque in has angustias, adductus homo, se ipse eripere valet?*

A. Nequaquam. Solus namque Deus hominem ab omni spe derelictum coroborat, prostratum & iacentem excitat, & in spem salutis restituit, cuius solius virtute peccator ad eam, quam memoraui fiduciam, sensumque atque cogitationem reuocatur.

2.Ti.1.c 15.16. Psal.23.a.3.& 30.b.10.& 51. b 7.8 10 11,12, & 8.a.3.b 7.c. 18.&c. Act.11,c 18. 2.Cor.2.a 3,4. 2.Thes.2.d 16. 17. 2.Tim.2.d.15. Mat.22.d.30. &c.6.11.c 25. 26.&c. 2.Cor.15.totũ.

M. *Reliqua Symboli iam recense.*

A Credo resurrectionem carnis, & vitam æternam.

M. *De istis pauca sciscitabor, quòd quadam de illis, cum de supremo iudicio ageres, suprà dixeris. Quorsum demum hæc, aut quamobrem creduntur.*

A. Quamuis humanas animas indissolubiles & æternas esse persuasum sit; mentes tamen in nobis omninò conciderint, si existimaremus corpora nostra morte in nihilum interitura: ex alterius enim nostri partis desiderio laborantes, perfecto gaudio atque immortalitate, nullo vnquam tempore plenè potiremur. Proindè nobis certò persuadeamus; non animas tantùm nostras, quum hanc vitam deserimus à corporum consociatione solutas, sinceras atque incorruptas sursum

1.Cor.15.c 14. 17.18.19. Luc.16.c 22. 23.f 25.

continuò

continuò in cœlũ ad Chriſtum ferri: ſed & corpora etiam noſtra omni liberata corruptione, & in fœliciorem vitæ conditionem reuocata, cum animis iterum ſuis ſocianda, & inſtar corporis Chriſti ſplendida futura: atque ita ad perfectam beatitudinis abſolutionem integri peruenie-mus, immortali vita, ſempiternaque fœlicitate in perpetuum perfruentes. Rom.8. b 11. 1.Cor.15.f 42. &c. g 53. &c. Phil.3 d 21. 2.Cor.5.a 1.2. 1.Theſſ.4.c 13. 14 &c.

M. *Mortem ergo corporis pijs pertimeſcendam non eſſe putas?*

A. Certè præceptor. Eſt enim nobis perſuaſiſſimum non eſſe mortem rerum deletricem, quæ omnia omninò perdit ac perimit, verùm ducem nobis in cœlum eſſe, qui curſum noſtrum ad placidam, quietam, fœlicem, perpetuamque vitam dirigit. Vt ſupra & Luc.23.f 41. Ioan.18.c 25. &c. Phil.1. c 21. 23. &c. Apoc.14. d 13.

M. *Cum verò Symboli, hoc eſt, ſummæ fidei Chriſtianæ declarationem iam abſolueris, narra mihi, quem fructum ex iſta fide percipimus?*

A. Ex ea iuſtitiam in conſpectu Dei conſequimur, qua vitæ ſempiternæ hæreditatem adimus. Rom. 3 c 21. 22. &c. Gal. 2. c 16. &c.

M. *Nonne igitur ſanctitas, quam diuino numini tribuimus, vitæque inter homines honeſtos & innocentia nos Deo integros exhibet?*

A. Iſtuc antea ſub legis explicationem aliſque item locis, breuiter attigi. Summa autem, ſi ex legum diuinarum præſcripto vitam quis ſanctè agere omnino poſſet, iure ille, bonorum operum ratione, iuſtus haberetur: ſed quia ab illa perfectione, noſtra omnium vita longiſſimè aberrat, ſcelerumque noſtrorum conſcientia conuicti, animis ſuccumbimus, aliam ſequi rationem, viam indagare aliam debemus, qua in gratiam cum Deo reducamur, quam noſtris in ipſum promeritis. Rom.7 7.c 14. 15. et 8. a 3. et 10.a 5. 11. a 6. Gal.2.c 6. & 3. b 10. &c.

M. *Quanam ea eſt?*

A. Vnum perfugium reliquum eſt, diuina per Chriſtum clementia, qua nullum omnino ad noſtra opera, meritaue reſpectum habens, gratuita nos propter Chriſtum charitate amplectitur; non criminum modò noſtrorum veniam, ſed & iuſtitiam Chriſti, per fidem in ipſum, ita nobis tribuens, vt per eam, haud aliter ac ſi noſtra eſſet, gratioſi apud ipſum ſimus. Dei igitur in Chriſto miſericordiæ vniuerſam noſtram iuſtitiam acceptam referri oportet. Luc.8.c 11.12. 13.14. Rom. 3. d 24. &c. et 4.a 4.&c. c 36. Eph.2.a 4 5. 2.Tim.1. b 9. Tit.3.b 4.5.

M. *Quomodo rem ſic ſe habere cognoſcimus?*

A. Ex Euangelio, in quo diuina promiſſa nobis Chriſti nomine facta continentur, quibus cum fidem tribuimus, hoc eſt, planè penituſq; perſuaſum habemus de diuina erga nos bonitate, quemadmodum antea in toto Symbolo eſt explicatum; iſtius, quam memoraui iuſtitiæ quaſi poſſeſſionem occupamus. Rom.4.b 9.11. c 14.16.d 20. 21. Gal. 2.c 16.d 20. et 3.b 11. Heb.10.g 38.&c

M. *Non igitur affirmas Fidem præcipuam eſſe huius iuſtitiæ cauſam, itavt propter illius merita Dei iudicio iuſti cenſeamur?*

A. Nihil minùs: nam illud eſſet fidem in Chriſti locum ſupponere. Verùm hæc iuſtitia primùm à diuina clementia, vt a fonte, fluit, vnde Eph.1.a 4.5.6. &c. et 2.a 4 &c. Tit.3.b 4.5.6.

riui

Mar. 1. b 14 15. Ioan. 1. b 12. Ro. 3. d 22. &c. & 4. c 16. d 23. &c. 1. Cor. 1. d 30. Heb. 9. d 4. &c.

riui ad nos per Christum deducuntur: per Euangelium verò defertur, nos autem eam fide, tanquam manu apprehendimus. Itaque fides non origo, sed instrumentum est iustitiæ, quia videlicet Christum, qui est iustitia nostra, complectitur, vinculis nos ita arctis cum Christo constringens, vt is omnia sua bona nobiscum per ipsam communicet.

M. *Verùm cui hæc fides adest, illi dee sse bona opera possunt?*

Rom. 6. a 4. & 7. b 6 & 8. a &c. b 9. 10. &c. 2. Cor. 1. c 17. Eph. 2. c 15. & 4. d 23. 24. Col. 3. b 9. 10. Rom. 5. a 1. 2. 1. Cor. 13. a 2. Ephe 3. d 17 Iacob. 2. d 20. 1. Pet. 1. d 19. 21. &c.

A. Minimè. Nam fide Christum complectimur, qui nos non solùm a delictis morteque liberos reddit, & cum Deo reconciliat, verùm etiam diuino Spiritus Sancti numine, ac potestate, de integro nos generat, & reuocat ad integritatis pietatisque desiderium atque curam, quam nos vitæ nouitatem nominauimus.

M. *Iustitiam igitur, Fidemque & bona opera naturalem quandam inter se coniunctionem habere affirmas, ob eamque causam non magis esse disiungenda, quam Christus, eorum in nobis effector, à seipso est separandus.*

A. Verissimum est.

M. *Ista ergo Fidei explicatio humanos animos ab operibus officijsque pietatis minimè auocat?*

Psa. 1. a 3. Mat. 7. 17. 18. & 12. d 33. 35. Ro. 6. a 1. 2. 3. 4. &c. Gal. 5. a 6. Eph. 3. c. 17. &c. Col. 2. a 6. 7. Tit. 3. c 8. Deu. 4 a 1. 2. & 5. d 31 32. &c. Mar. 7. b 6. 7. 8. 9 & 10. c 17. &c. 19. Ioa 14. b 15. c. 21. 23. & 15. b 10. Ro 8. f 31. 30. & 14. d 13. Heb. 11. b 5.

A. Nequaquam: bona enim opera, fidei, vt stirpi suæ inhærent. Fides igitur mentes nostras in studio vitæ cum virtute colendæ adeò non reddit hebetes, vt illarum potius aciem ad id quàm maximè exacuat: planeque in numero verè fidelium non est habendus, nisi qui, quantum viribus eniti potest, & vitijs omnibus repugnat, & ad omnes virtutes aspirat, ita se perpetuo gerens, vt qui vitæ suę rationem à se esse repetendam intelligat.

M. *Aperte igitur dicito, qua ratione actiones nostræ Deo placeant, & quomodo ille eas remuneret?*

A. In officijs pietatis duæ res sunt maximè necessariæ. Prior, vt ea agamus quæ iure diuino præcipiuntur: altera, vt in illis obeundis eum animum fidemque præstemus quam à nobis Deus requirit. Neque enim vlla siue opera, siue consilia Deo grata esse queunt, nisi fide commendentur.

M. *Si ergo & eadem illa bona opera, eaque etiam mente ac fide, quam Deus nobis præscripsit, faciamus: quare operum piorum merito in iustorum numero habendi non sumus.*

Luc. 1. 8. c. 11. 12 14. Rom. 3. c 20 & 4 a 2. Io. 4 d 18. 19 & 15 b 14. 15 16. & 15 b 4. 5. 6. Esa. 64 b 6 Psal. 143. a 2.

A. Iustitiam, quam Deus approbat, planè cumulatèque perfectam, iuri diuino vsquequaque congruentem esse oportet: at nostra opera etiam absolutissima longè multumque à legis diuinæ præscriptione discrepant, plurimisque de causis tum accusanda sunt, tum condemnanda: Proinde iusti censeri diuino iudicio, factorum nostrorum ratione nequaquam possumus.

M. *Verùm ista declaratio hominum interim mentes à sanctitatis studio auertere,*

auertere, aut si non remissiores negligentioresque in obeundis virtutis muneribus, aut minùs saltem ad ea hilares atque impigras facere videtur.

A. Nullo modo: edocuerunt enim nos sacræ literæ, quòd quemadmodum vitiosæ nostræ actiones Deum ignominia afficiunt, ita bona opera nostra illius honori inseruiunt: nullius igitur inferorum damnationisque terror, nulla cœli gaudiorumque omnium expectatio, nos vel à vitijs adeò auocare, vel ad rectè faciendum allicere deberet, æque atque formido contumeliam aliquam maiestati diuinæ imponendi, studiumque amplificandæ illius gloriæ, quam supra omnia semper magnificare oportet. Nam sicuti peccati pestis, est ob eam rem maximè horribilis, quòd Deo, & eius sacrosancto verbo sit dedecori; ita virtutis summa laus decusque in eo consistit, quòd Deo per illam honos habeatur. Præterea, opera bona proximis nostris tum reipsa, tum etiam exemplo prosunt: Diuinique erga nos amoris, nostræque pariter in Deum gratitudinis, dum eius præceptis paremus, clara indicia ostendunt; fidei item, vt vnà salutis etiam nostræ signa patefaciunt. Non ergo inania nullique prorsus vsui esse bona opera censebimus, propterea quòd iustitiam ex illis non adipiscamur.

Gal. 2. c 16. Mat. 1. b 16. 1. Pet. 2. c 12.

Rom. 8. d 14. 1. Tim. 6. 2. 1. Tit. 2. a 5. 2. Pet. 2. 2.

Mat. 5. b 16 1 Pet. 2. 12. Mat. 3. d 23. &c. 10. 14. b 15 c. 22. 23. & 15. 10. Phil. 2. b 12. 2. Pet. 1. c 9. 10. &c.

M. *Verùm cùm opera vestra vel optima, vt ipse asseris, imperfecta sint, quomodo Deo, cuius iustitia est perfectio ipsa, accepta esse possint?*

A. Fides est, quæ Deum operibus nostris facit benèuolum, dum persuasum habet, eum legibus nos & iudiciali Iure persequuturum non esse, nec factorum nostrorum rationem strictè à nobis repetiturum, atque acerrima Iustitiæ suę norma ea examinaturum esse: verum cunctis eorum defectibus condonatis, Christi gratia, vt plenè perfecta esse accepturum.

Rom 9. f 31. 32. Gal. 5. a 6 Heb. 11. a 4. 6. &c totum. Psa. 130 a 3. 11. 143. a 2.

M. *Quando igitur Deus per fidem, tum vt iusti habeamur, nobis largitur: tum opera etiam nostra per eam sine offensione accipit: narra mihi ingenitamne naturæ virtutem, an gratuitum Dei munus esse fidem existimas.*

A. Donum Dei, idque eximium certè atque præcellens, fides est. Nam Deus nos verbo suo instituens, & mentibus nostris sancti spiritus sui lumen clarissimum præferens, aptos nos efficit ad ea discenda credendaque, quæ alioquin obscuræ intelligentiæ nostræ vis nullo modo capere posset. Quod percipientes Apostoli, à Domino precantur, vt fidem ipsis adaugeat.

Mat. 16. c 17. Mat. 9. c 23. 24. Ioa. 9. g 38 39. 1. Pet. 1. d 21. Lu. 24. c 24. 27. g 45. 46. Rom. 10. b 8. c 14. d 16 7. Col 1. b 9. 1. Tim. 2 a 7. Luc. 17. a 5.

CAP. 4. De Inuocatione.

M. *IN tempore ipso inprecationis mentionem incidisti: Postquam enim legis diuinæ Symbolique, hoc est, professionis Fidei Christianæ declaratio*

declaratio est à te iam perfecta: superest vt proximo loco de oratione, gratiarũq; actione dicatur. In expositione verò orationis quæ est seruanda distributio?

A. Hæc, nisi aliter tibi visum fuerit, magister: vt primum, à quo: deinde, qua fidentia: tertiò, quo mentis affectu; postremò, quid sit precandum, declaretur.

M. *Principio igitur narra mihi, quem putes precibus appellandum esse?*

A. Vnum Deum, præterea neminem.

M. *Quamobrem?*

Psal.17.b 7. &c. 28.& 46.& 78. & 104.& 107. totus.

A. Quoniam Deus, vitam, præsidium, salutem nostram, bonaque vniuersa solus in potestate ditioneque sua tenet; par est vt omnia quæ nobis opus erunt ab illo postulemus, expectemus, & vt in cunctis periculis in eius tutela perfugium habeamus.

M. *Quare diuos sine ptos homines, qui ex hac vita migrârunt, aut etiam angelos non precabimur?*

Psa.50.c 15.& 89.b 26. Ioa.16.c.23.24. Esay 48.b 12.

A. Quia Deus nostram sui solius implorationem, vt cultum qui ad ipsius maiestatem propriè & priuatim spectat, requirit, quam non licet alteri cuiquam attribuere.

M. *Ecquid præterea?*

Rom.10.b 8.c 14.d 16.17.& 14.d 23. Heb. 11, b 6.

A. Si in precatione alium aliquem præter solum Deum appellaremus, sine authoritate verbi diuini, & quod consequens est, sine fide, quę verbo Dei nititur, id faceremus: quod facere, non esset Dei numini pietatem tribuere, sed in eius grauem offensi onem incurrere.

M. *Perge nunc exponere, qua fidentia mortales miselli, qui multis modis sumus indigniss imi, Deum immortali gloria præcellentem compellare audeamus.*

Psa.79.b 8. 9. Dan.9.c 18. Ioan 14.b 13. & 16.c 23.24. Eph.3. d 18. 2.Tim.2.b 5. Heb.4.d 14.1. & 10.d 19.22. Ma.21.c 21.23. M2.11.d 22.24. Ioa.14 b 13 & 15.c 23 24. Heb.10.d 19. 22.23. Iac.1.a 6.7.& 4.a 3. Psa.6 & 38 totus. & 50°c 15. & 114. totus. Ro.7.d 18 &c. & 8.d 22.23 c 26. & 12.c 12. 2.Cor 3.b 4.5. Luc.18.a 1.5.7. Eph.6.c 18. Col.4.a 12. 1.Tim.2.a 1.

A. Precaturi, non in Dei conspectum insolenter nos damus, quasi promeriti vt exaudiamur: Verùm nostram indignitatem agnoscentes, Christi Mediatoris nomine aditum habemus, quo deprecatore, diuinæ maiestatis beneuolentiam nobis non esse defuturam confidimus.

M. *Quaratione in hanc, quam dicis spem adduceris?*

A. Promissis diuinis nobis in sacris literis per Christum factis fidem habeo, nihil dubitans, quæcunque certa fide à Deo Patre Christi nomine precamur, quin ea, quantum quidem nobis conducent, exoraturi simus.

M. *Iam quo mentis sensu Deus implorandus sit declara.*

A. Si miseriarum scelerumque nostrorum, quæ nos opprimunt recordatio, acerbissimos, ita vti par est, animorum dolores nobis commoueat; fieri aliter non potest quin omnibus exoptemus votis, vt ex illa conscientiæ solicitudine, quæ nos ita vexat, eripiamur: atque ita omni obsecratione, obtestatione, summoque mentis ardore, diuinam misericordiam & auxilium efflagitabimus.

M. *In precatione igitur verba solùm ex ore fundere, satis non erit?*

A. Polli-

A. Pollicetur Dominus se prope adfuturum, auxiliumq; laturum ijs solùm qui verè ipsum, hoc est, memori mente implorant, eorum enim vota sibi pergrata esse: quamobrem necessarium est eam orationem, qua in precatione vtimur, nobis esse cognitam, vt lingua atque mens vno consensu iungantur. Psal. 34.c. 15.& 145.c. 18. 19. 1. Cor. 14.b. 7. c. 11, 14. 15.

M. *Fasne est, quæcunque, quorum desiderio aliquo tenemur, à Deo precari?*

A. Deus prohibeat, vt Christiani homines Christi nomine quicquam à Deo postulent, quod sit contra Dei & Christi voluntatem, atque ita & indignum sit quod largiatur Deus, & nobis etiam accipere pernicioſum. Quam ob causam, ne affectione animi impulsi inconsideratè in precatione aberremus, certa nobis formula regulaque est ab ipso Christo expressa, ad quam preces nostras perpetuo debemus accommodare. Mat. 7. b 11.& 20, 22. Ioan. 16.c. 23. 24. Iac. 4.a 3. 1. Ioh. 5.c. 14. 15.

M. *Quænam ea est?*

A. Eadem nimirum ipsa, quam diuinus ille præceptor auditoribus suis, nobisque per eos vniuersis præscripsit: in qua cuncta, quæ à Deo postulari licet, quæque nobis impetrare expedit, breuiter comprehensa perpaucis sententijs complexus est, quæ precatio de conditoris nomine, Dominica nuncupatur. Si igitur cœlestem magistrum diuina voce prænonentem audiemus, haud vnquam à precationis rectæ præscripto deerrabimus. Mat. 6.b, 9. 10. &c. Luc. 11.c. 11.&c.

M. *Dominicam igitur precationem pronuncia.*

A. Precaturi, inquit Dominus, ita loquimini. Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, sic etiam in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum & potentia & gloria in sæcula. Amen. Mat. 6.b. 9.&c. Luc. 11, 2, 2, &c.

M. *An existimas nos ista ad verbum expressa semper debere recitare, ita vt vno verbo aberrare non liceat?*

A. Licitum est sine vlla dubitatione, verbis alijs Deo preces adhibere, si modo à precationis huius sensu non declinemus, eaque fiducia atque mente, quam antè dixi, Deum imploremus.

M. *Quot sunt dominicæ precationis partes?*

A. Postulata quidem sex, aut vt quidam partiuntur, septem complectitur; ex duabus tamen vniuersè partibus constat: ex quibus vna priores tres postulationes continens, ad diuinam gloriam directò spectat: altera ad nostram peculiariter vtilitatem attinet, & tres aut quatuor posteriores petitiones comprehendit. *Partes Dominicæ precationis*

M. *Cur Deum ita nominatim compellas, dicens, Pater noster?*

A. Quoniam non vt absenti, surdóue verba facio, sed Deum patrem, Ps. 33.b. 13. 14.

vt

Pſal.33.b 13.14 & 34.c 15.17, 18.& 49.b 9, 10,11.& 139. a 1.2,&c. & 145.c 18,19.

vt præſentem inuoco, pro certo habens, preces illum meas audire: nequicquam enim alioquin opem ab eo peterem.

M. *Verba ſigillatim paulo accuratiùs excutiamus: Deum quare nuncupas Patris nomine?*

Mat.21.c 21,22. Mar 11. d 22, 23,24. Ioa.16.c 23,24 Heb.10. d 19, 22,23. Iac.1.a 6 7. Ro.8.c 15,16. Gala.4.a 6 Mat.7.b 7.11.

A. Quia rectè precandi fundamentum, vt ſuperiùs diximus, in exorandi ſpe firma poſitum eſt; voluit Deus ſuauiſſimo nos Patris vocabulo ipſum appellare, vt fidenter ad ſe, ſuique auxilij ſumma cum expectatione, haud aliter ac ſuum filij parentem aſſolent, accederemus: immò vt ſæpè tam multò meliore, quàm vlli liberi de natuarali patre habere poſſunt, ipſum adeamus; quàm longè Deus cœleſtis ille Pater, poteſtate, bonitate, propenſáque ad iuuandum voluntate, terreſtribus parentibus vniuerſis excellit.

M. *Numquid nos aliud commonefacit paternum hoc nomen?*

Luc.11.b 9.13. Mal.1.b 6. Mat.16.d 39,42.

A. Vt in precando debitam à liberis Patri cœleſti pietatẽ, honorem, obſequium præſtemus, eoq; animo, qui filijs Dei conuenit, affecti ſimus.

M. *Quare Deum promiſcuè noſtrum Patrem, potiùs quàm tuum propriè nominas?*

Pſal.22.a 1,2. Rom.1.a 8. 1.Cor.1.a 4. Rom.2.b 4,5.c 10 d 16. 1.Cor.10.f 24. & 13.b 5. & 12. b 13,&c. c 21, &c. d 25,26,&c.

A. Pio cuique licitum eſſe fateor, Deum appellare ſuum: is tamen amoris inter Chriſtianos ardor eſſe deberet, vt vnuſquiſque, quod ad omnium commune commodum attinet, ſpectaret: quam ob cauſam, in vniuerſa iſta poſtulatione, nihil à reliquis ſeparatim, verùm publico cunctorum nomine omnia efflagitantur.

M. *Ecquid amplius?*

Mat.2 b 10. Ioan.8.c 41. Eph.4.a 5,6. Iac.2.a 1,2,3. Deut.10.c 7,&c. Pſa 10 c 17,18. & 68.a 5,6.& 46.b 6,7,8.

A. Diuites & optimates commonefiunt, ne pauperes humilioreſq; contemnant, ſed vt eos tanquam germanos fratres, beneuolentiâ complectantur, quibus Deus filiorum honorem, tribuere, non dedignatur. Rurſum verò tenuiſſimi quique miſellique homines, qui in hac vita maximè neglecti eſſe ſolent, hac interea ſpe mentes ſuas poſſunt recreare, quòd Patrem in cœlo ſummâ præditum poteſtate, ſibique beneuolentiſſimum habeant.

M. *Quare Deum aiũ in cœlo eſſe?*

Pſal.11.b 4,5, &c. & 20.b 6. 33.b 13,14.& 13 a 4 5,6.& 115.23.

A. Propterea quòd credam Deum in ſempiternæ, & fœliciſſimæ beatitudinis excelſiſſimo gradu, cœlq; quaſi arce altiſsimâ imperium gerentem, rerum ſimul omnium præpotentem eſſe, & ſupera, infera, media, vniuerſa, vt in præſentia ſua, conſpectúque poſita, intelligere atque gubernare.

M. *Ecquid præterea?*

Col.3. a 1,&c. Rom.8.c 17. Eph.1.c 14.d 18 Heb 9.d 15. 1.Pet.1.a 3,4.

A. Monemur ne quicquam Deo non dignum poſtulemus, ſed vt cœleſtem Patrem alloquentes, mentes à terra rebuſq; terrenis exuſcitemus atque auocemus: ſuperáque & cœleſtia meditantes, fœliciſsimam illam parentis noſtri beatitudinem, cœlúmque, vt paternam per Chriſtum hæreditatem, ſummâ cupiditate expetamus.

M. *Aper-*

M. *Aperto igitur nobis nunc tam fœliciter vestibulo hoc primo, ingressioneque ad precandum, perge ad primam petitionem.*

A. Principio petimus, vt Dei nomen sanctificetur.

M. *Hoc quam habet sententiam?*

A. Postulamus primùm vt diuinum nomen mortalibus quàm maximè cognitum manifestumque reddatur, eiusque honor atque decus vbique terrarum & gentium, ita vt conuenit, illustretur. Vtque fictorum futilium que deorum nominibus prorsus obliteratis & abolitis, solius Dei cœlestis Patris diuinum nomen atq; maiestas in honore habeatur, atque ab omnibus omnium ætatum hominibus, vbicunque locorum atque gentium, puris integrisque mentibus imploretur.

M. *Quid adhuc superest?*

A. Optamus, ne in sacrosanctum Dei nomen ob aliqua delicta nostra maledicta conferantur, illique quasi infamia quædam inferatur: sed vt potius per nostram in Deum religionem, beneficentiamque erga homines diuinum nomen omni laude cumuletur.

M. *Perge porrò.*

A. Proximo loco postulamus, vt Dei regnum adueniat, hoc est, ne diuinam sui verbi, atque Euangelij Christi veritatem, per quam in innocentium piorumque hominum cordibus Deus regnat; obscura caligine tectam latere patiatur: sed vt eius notitia mortalibus in dies clariùs illucescat, cœlesti eos doctrina erudiens: Optamusque, vt Deus se velit opponere versutis fallacijs, & frangere atque extinguere furentes impetus Satanæ, sceleratorumque hominum, qui veritatem, vel commentitijs fabulis obscurare, vel sæuitia oppressam radicitùs tollere moliuntur.

M. *Prosequere.*

A. Oramus vt Deus per sacrum suum spiritum illustrare & moderari velit mentes omnium, qui sunt de ipsius Ecclesia, in qua, vt in regno suo, propriè dominatur; eosque vt suos milites, ope atque virtute sua roborare velit, quo strenuè contra diabolum, mundum, appetitusque vitiosos arma capere possint, illisque deiectis, Dei in terris imperium dilatare: & ad extremum, omnibus ipsius pariter atque nostris hostibus conculcatis, atque protritis, Deus vniuersa sub ditionem dominationemque suum subiungat, glorioſissimeque triumphum agat, & nos etiam vt suos per Christum liberos atque hæredes, sempiterni tandem sui regni participes faciat.

M. *Quid est de incepto in oratione dominica?*

A. Dei voluntas fiat: par enim est, vt liberi ad parentum arbitrium totos se accomodent, non è contrario, vt parentes filiorum arbitratu viuant.

M. *Quare adiungis, vt in terra fiat, itidem ac in cœlo, Dei voluntas?*

A. Quum

Ios. 24. a 14. d 23.
Ps. 89 a 5. 6. &c.
Ps. 96. a 11. 2, 7, &c. & 97. b 79. & 113. & 134. & 135. toto.
Ioa. 4. c 23. 24.
Ro. 1. c 23. & 11. c 36. & 16. d 27.
1. Cor. 10. g 31.
Eph. 3. d 20. 21.
Eph. 3. d 20, 21.
1. Tim. 1. d 17.
Esa. 52. a 5.
Eze. 36. d 20, 21.
Rom. 2. d 24.
Mat. 5. c 16.
2 Thes. 1. d 11, 12.
Mat. 9. d 38. & 24. b 14. & 28. d 19, 20.
Luc. 4. c 18, 19.
Ioa. 17. c 17, 20.
2. Cor. 3. d 5. 16. & 4 &c.
Eph 6. c 18. 19.
2. Thess. 3. a 1.
Mat. 13. d 15. c 38, 39. & 15. a 2, 3, 5, 6, &c.
Mar. 7. a 3, 4, &c. b 7 8, 9, &c.
Ioan. 16. a 2, 3, &c. & 17. b 14, 15.
Ioan 16 c 13.
Ephe. 3 b 21.
Lu. 22. d 31, 32.
Rom 6. b 12, &c & 8. a 5. b 2 &c. 16. c 20
Gal. 5. c 25, 26, &c.
Eph. 6. b 10, &c. & d 17, 18, 19, &c.
1. Pet. 5. c 8, 9.
Mat. 25. c 34, d 41, 46.
Rom 8 c 16, 17, 18.
1. Pet. 1. a 3, 4.
Tit 3. c 7.
Psal. 40. b 8.
Mat. 26. d 39, 42.
Ioh. 5. d 30. & 6 d 38.
Ephe. 6. a 1.
Ro. 8. a 5, 7, &c.

Rom.8 a 5,7, &c. Rom.8.12. 5.b 9.1, &c. c 14. 15,&c. 1.Cor.2.c 12, &c. & 3.d 16. Act. 21.c 14. 1.Pet.3.a 7. & 4. c 12,13,&c. Pſal.20.a 1,&c. 91.b 11,&c. & 103.d 20, &c. 101.a 4.135.b 7,&c. & 136.b 7,8,9. Heb.1.b 6.7.d 34. Apoc.1.c 11,&c. & 19.b 13, & 21.c 9.

A. Quum terrenorum hominum animi varijs ardentes deſiderijs, ad ea expetenda perficiendaq; concitentur, quæ Deum grauiſſimè offendunt: precamur, vt diuino Spiritus ſui inſtinctu noſtras omnium mentes ad Maieſtatis ſuæ nutum ita totas conuertere, atque formare velit, vt nihil vnquam, quod ſit contra diuinam ipſius voluntatem, appetamus aut exoptemus.

M. *Perge.*

A. Oramus etiam, vt quæcunque nobis de diuina voluntate obuenire animaduertimus, ea non tantùm toleranter, ſed & libenter etiam feramus & perferamus. Præterea, quia Angeli ipſius, cœleſtes illæ mentes, præclariſſima item aſtra, Sol, Luna, cæteraque Sydera ab ipſo condita, diuinæ eius voluntati aſſiduè obtemperent; optamus, vt vniuerſi in terris mortales exemplar hoc obedientiæ, nobis ante oculos in cœlo propoſitum, imitantes, Maieſtatis ſuæ nutum intueamur, noſque totos ad illum accommodemus, vt quemadmodum in cœlo, ita & in terra nullus reperiatur, qui ſacro ſanctę Dei volũtati aduerſetur aut reclamet.

M. *Ecquid amplius?*

Deut.4.a 1,& 5. c 32. & 28.b 24. Mat.7.c 11,& 12. d 50,& 15. a 23,&c. 2.Col.3.b 6.14. Gal.3.c 15,17.

A. Quando Deus voluntatem ſuam in ſacris literis apertiſſimè declarauit, quod etiam vocabulo Teſtamenti, hoc eſt, ſupremæ ſuæ voluntatis eas nuncupans, clarè indicauit, minimè eſt dubitandum eos, qui de ſcripturarum ſententia diſcedunt, à Dei etiam ſenſu omninò aberrare.

M. *Quando ad ea, quæ quæſita ſunt de priore Dominicæ precationis parte, qua tres illæ petitiones ad diuinam gloriam propriè ſpectantes continentur, ſatis iam reſpondiſti; ad poſteriorem nunc partem quæ ad res nobis vtiles reſpectum habet, commodè tranſibimus?*

A. Poſterioris partis primum poſtulatum eſt: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

M. *Panis vocabulum quid ſignificat?*

Pſal.104.c 15.d 27,& 105.b 6. 10,11,&c.& 144.c 10. 11, &c.145.c 14, 15,16.

A. Non ea ſolùm quæ victum nobis veſtitumque neceſſarium ſubminiſtrant, ſed & alia vniuerſa quæ ad ſubſidia conſeruationem que vitæ, & ad ætatem quietam ac ſine formidine traducendam neceſſariò pertinent.

M. *Nunquid præterea nobis ſuggerit nomen panis?*

Pſa.78.c 18 &c. d 29,30,& 106. c 14,15. Mat.6.d 25. &c. Luc.16.10,&c. 1.Cor.10,b 6. 1.Tim.6.b 7,8,9 Heb.13.a 5.

A. Ne ad delicias epularum lautiſſima quæque, neue magni veſtimenta pretij, aut ſumptuoſum apparatum voluptatis cauſa, ſolicitè conſectemur, ac congeramus: ſed vt lautitiam luxuriemque aſpernantes, modico, temperato, & ſalutari victu, cultuque paruo & commodo contenti ſimus.

M. *Qua ratione panem vocat noſtrum quum eum à Deo tibi donari flagites?*

Mat.7.b 7.8. 1.Cor.4 b 7. 1.Tim.6.d 17. Iacob.1.c 17.

A. Dei dono noſter efficitur, quum ipſe eum, meritis licet noſtris non debitum, in ſingulos dies ad veſcendum nobis largiatur.

M. *An ob aliam aliquam cauſam noſter panis nuncupatur?*

A. Com-

A. Commonefacit nos hoc vocabulum, vt victus quęrendi causa in laboribus nos corporis exerceamus, aut alijs eum bonis modis iustè nobis acquiramus; vtque eo contenti, nunquam alienum quicquam auarè aut dolosè aucupemur. Gene 3 d 19 Eph. 4 d 28 2. Thes. 3 b 8 c 10, 11, 12.

M. *Quando vt industria nostra victum comparemus Deus nobis mandauit, quare panem ab illo petis?*

A. Quia inutiliter tempus ætatis omne laboriosè solicitèque contereremus, nisi sedulitas nostra Dei munere prosperos exitus consequatur. Psal 127 a 1, 2 1. Cor. 3 b 9

M. *Opulentosne etiam homines diuitijs copiosq; omnibus affluentes, victum quotidianum à Deo postulare debere putas?*

A. Nequicquàm rerum omnium, quas natura desiderat, abundantiam comparabimus, nisi diuina virtute salutares nobis vitalesque fiant. Qua etiam de causa, post cœnam quoque, vt cibum quotidianum, quo iam vsi sumus, Deus nobis largiatur, hoc est, vt eum vitalem nobis, salutaremque faciat, precamur. Deut. 8 a 3 Psal. 34 b 9, 10. & 78. d 29, 30. Luc. 1 a 53. & 4 a 4. & 12. c 15 1. Tim. 6. d 17 Apoc. 3. d 17

M. *Quare hæc verba quotidianum & hodiè adiunguntur?*

A. Vt à curis & auiditate omni abhorrentes, studioseq; munera nostra exequentes, à beneficentissimo ea parente quotidie flagitemus, ad quę ille quotidie largienda promptissimus esse solet. Matth. 6 d 6 & c 24. Luc. 10 g 4 Phil. 4. b 6 1. Tim. 6. c 9, 10 1. Pet. 5. b 7

M. *Perge ad reliqua.*

A. Quinto postulatu peccatorũ nobis veniam à Deo dari petimus.

M. *Estne hæc venia omnibus necessariò petenda?*

A. Omninò: nemo enim omnium hominum reperiri potest, qui non crebrò à debito officio decliner, sæpenumeroque in diuini numinis grauem offensionem non cadat. Proinde, qui peccata sua non agnoscunt, neque Deum vt illis ignoscat, precantur, sed Pharisaico illo more atque exemplo, quasi integros se atque sanctos, coram Deo, aut vt verè loquar, contra Deum gloriando efferunt; illi de numero piorum, quibus ista precationis norma, ad quam dirigantur, est præscripta, & à spe veniæ peccatis suis tribuendæ, quæ in sola Dei per Christum misericordia atque benignitate sita est, sese omninò eximunt. Isthuc namque est, quod Christus non ad innocentes, sed ad nocentes (vt peccata scilicet pœnitendo corrigant) vocandos, se in mundum hunc venisse profitetur. Psal 14, a 1, 3 & 53. a 1, 2, 3 Rom. 3 b 10, 11, &c. d 23 Ioan. 8 a 7. Iacob. 2 b 10 11 1. Ioan. 1. b 8, 10. Luc. 18 b 9, 11 & c c 3, 14 2. Cor. 5 c 15 d 18. &c. Ioan. 1. c 7. d 9 & 2. a 1, 2. b 12. Matt. 9. b 13 1. Tim. 1. c 13

M. *Conditio illa quamobrem addita est?*

A. Rationi maximè consentaneum est, vt precemur, à Deo ita nobis veniam dari, sicuti nos eis, qui nos offenderunt, ignoscimus. Nisi enim ad alijs ignoscendum propensi reperiamur, & Dei parentis nostri imaginem misericordia exprimentes, ita nos geramus, vt eius esse liberi agnoscamur; apertè testificatur, non esse à se quicquam aliud expectandum, nisi grauissimi supplicij acerbitatem. Nam, qui vt clementia in Matt. 5 a 7. & 6. b 14. 15. & 7. a 1, 10. & 18. d 28. & c c 35. Luc 6 c 36, 37. 38. Iacob. 2. b 13

alios vtatur, in animum inducere non potest, eadem summi iuris norma sententia de illo sine vlla venia feretur.

M. *An non ergo, nostra lenitas à Deo promereri vt nobis ignoscat, aut quædam quasi gratia illi relata videri possit?*

Rom.3.d 24,25 & 11.a 5,6. Gal.5.a 4.

A. Nequaquam: gratuitò enim tum Deus veniam non daret, neque solus Christus supplicio suo peccata nostra expiasset, pro quibus nemo aliud vlla re alia compensare, aut Deo quicquam retribuere potest.

M. *Transeamus iam ad sextum postulatum, quod quidam in duo partiuntur?*

Mat.12.d 43, 44,45. Ioan.5.b 14 & 8.b 11. 2.Pet.2.d 20, 21,22. Matt.10.b 26, &c.& 16.d 41. Luc.22.d 31,32. 1.cor.1.d 27.&c 2.cor.11.a 13. Ephe.6.b 10,11, 12,&c. Iac.1.b 14. & 3.a 1. 2.Pet.5.c 8,9. 1.Ioa.2.c 15,16. Rom.16.d 20. 2.Tim.4.d 17,18

A. Eo petimus, Ne nos inducat in tentationem, sed à malo liberet.

M. *Quare ita precamur?*

A. Sicuti antea vt præteritis ignoscat, precati sumus; ita nunc obsecramus, ne à nobis vnquam posthac peccetur. Nobis verò naturaliter mentes ita sunt ad prospiciendum improuidè, ita infirmis sumus viribus ad propulsandum multiplices insidias, incursiones, atque illecebras Satanæ, mundi, concupiscentiæque nostræ propriæ, vt fieri aliter non possit, quin succumbamus, nisi Deus suo nos numine corroboret, suæq; potentiæ armis tegat: perfugium ergo vnum salutis est, vt nos optimi, maximi patris tutelę suppliciter commendantes, eum obtestemur, ne nos malitiosis vllis machinationibus superari patiatur, sed vt ex omnibus nos malis eripere & perpetuò conseruare velit.

M. *Reliqua est adhuc dominica precationis clausula.*

A. Quoniam tuum est regnũ, & potentia, & gloria in secula. Amen.

M. *Quamobrem precationem suam hoc modo concluſit Christus?*

Mat.7.b 10,11. & 12.c 22. Ioan.16.c 23. 2.Cor.1.b 9,10.d 20.& 9.c 8.&c. Ephe.3.d 20. 1.Tim.6.c 15,16 Iacob.1.a 6.

A. Vt nobis confirmaret, diuinam potentiam atque bonitatem tam infinitè immensam esse, vt nihil omnium rerum sit, quod Deus nobis id ritè postulantibus, dare non possit, aut non velit; quod etiam vocabulum Amen, hoc est, ita fiat, vt oppositа ad extremum veritatis nota, in animis nostris quasi consignat.

M. *Quam ob causam gloria diuina postremò memoratur?*

1.Cor.10.g 31. Ephe.3.d 20,21 Phi.1.b 11. 1.Tim.1.d 17. Iudæ.5.f 25.

A. Vt preces omnes nostras laudatione diuini numinis concludendas esse intelligamus: hic namque est finis ille quo omnia, quæ rogatu nostro à Deo impetrare cupimus, nostraq; consilia, sermones, opera atque vniuersa omninò dirigenda sunt. Huius enim rei causa à Deo conditi, atque in hoc mundo collocati sumus.

M. *Prosequere.*

Psal.29.a 1.2. & 34.a 1,2,3.&c. & 50.c 14,15.d 23.& 92.a 1,2.& 95,96,105.toto Rom.15.b 6. 1.Thes.1.a 2. & 5.d 18. 1.Thes.1.a 3. Luc.17.d 7. Ioan.5.d 44.

A. Huc accedit, quòd de Dei benignitate, iustitia, sapientia, potentia, magnificè, glorioseque prædicare, illique nostrâ, & vniuersi generis humani causâ gratias persoluere, pars sit honoris diuini, ad illius maiestatem pariter cum precatione, peculiariter spectans: qua nisi illum piè veneremur, non tantùm tam magna eius multiplicique beneficentia nos minimè dignos ob ingratitudinẽ præbebimus, verum etiam debitas

tantæ

tantæ in Deum impietatis pœnas, meritiſſimè in perpetuum ſufferemus. Rom.1.c21.d25 1.Pet.4.c12.

M. *Quando homines etiam in nos benigni beneficique eſſe ſolent, nonne liceat illis quoque gratiam habere?*

A. Quotquot ab hominibus apud homines benefacta collocantur, ea Deo accepta referenda ſunt, propterea quòd in illis tribuendis homines ſe reipſa miniſtros tantùm Deo præbent: atque ita gratus noſter in homines animus, in Dei authoris gloriam, vt ad proprium atque vltimum rerum omnium finem, refertur. 1.Cor.1.2,3 6. d 11. 2. Cor. 9.c 8. & 11. d 12. Mat. 5. a 6. 1.Pet. 2. 6, 12. & 4, c 11. 12.

CAP. 5. De Sacramentis.

M. *QVando de lege Dei, Symboloque; hoc eſt profeſſione fidei Chriſtianæ, de precatione etiam atque gratiarum actione, quæſtio omnis ad exitum iam eſt adducta, an non commodè poſtremo de ſacramentis agemus?*

A. Commodiſſimè præceptor: nam ea precationis ſecum & gratiarum actionis coniunctionem perpetuò habent.

M. *Dic mihi igitur, quot in Eccleſia ſua Sacramenta deſignauit Chriſtus?* Mat.26.c 6, &c. & 28. d 9.

A. Duo, baptiſmum atque cœnam dominicam. Ioan.3. a 5.

M. *Sacramenti nomen quid ſignificat?* Acts 2. f 38, &c. 1.Cor.11.c 23, &c. Tit.3.b 5.

A. Sacramentum eſt externa diuinæ erga nos per Chriſtum beneuolentiæ beneficentiæque teſtificatio, ſigno aſpectabili arcanam ſpiritualemque gratiam repreſentans; qua Dei promiſſiones de remiſſione peccatorum, & æterna ſalute per Chriſtum data, conſignantur, & earum veritas in cordibus noſtris certius confirmatur. Mat 3.c 11, &c. & 6.c 26, 27, 28 Mat. 26. d 26. Ioan.3.c 5. Acts 2. f 38.

M. *Sacramentum quot habet partes?* 1.Cor 10.d 16 & 11.c 24, &c. Gal.3 d 26.27.

A. Duas: extraneum elementum, ſiue rem creatam, quod eſt ſignum aſpectabile, & arcanam gratiam, quæ conſpicua non eſt. Mat.3.c 11, &c. & 26.c 26. &c. Ioa.3. a 5.10.

M. *In Baptiſmo quod eſt ſignum extraneum?* 1.Cor.d 16.

A. A qua, qua babtizatus tingitur, vel perfunditur, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Mat.3.c 11. 12. & 28.d 19. Ioan.3.a 5.

M. *Quæ eſt occulta & cœleſtis gratia?* 1.Cor.10.d 16. Acts 8.d 36, 37, 38.

A. Venia criminum & regeneratio: has ambas per mortem & reſurrectionem Chriſti conſequimur, & illarum eſt hoc ſacramentum nobis quaſi obſignatio quædam atque pignus. Mat.1.a 4. Acts 2.f 38, &c. & 22.c 16.

M. *Baptiſmi vim & effectum paulò adhuc apertius explicato?* Rom.6.a 3, &c. Gal.3.d 26.27. 1.Pet.3.d 21.

A. Quum naturaliter filij iræ, hoc eſt in grauiſſima apud Deũ offenſa, & ab eius Eccleſia ſiue familia alienati ſimus; per Baptiſmum in Eccleſiam recipimur, certumque habemus nos iam Dei filios eſſe, & cum Chriſti corpore copulatos, in illudque quaſi inſitos eſſe, eiuſque membra factos, in eodem cum ipſo corpore concreſcere. Ep.1.a 3.d 19, 20 Tit.3.b 3. 4, 5, &c. Mat.28.d 19. Ioan.3. a 5. Rom. 6.a 3. &c. 1 Cor.12. 13. 1.Pet 3.d 21.

M. *Quæ ab eis, qui baptismo sunt initiandi, requiruntur?*

Mar.12 4.b 15. & 16 d 16 Act.2 f 38. &c. & 8. d 36 37, &c. & 16. d 31. 33, 34. & 19. a 4 5. & 22. c. 16. 1. Cor. 2 b 11. Rom. 6. a 3 &c. c 13. d 12, 3. 14 Gal. 3 d 26 27. Ephe. 4. d 20, 21, &c. Col. 2. b 12.

A. Pœnitentia & fides.

M. *Hæc paulo copiosius declarato.*

A. Anteactæ primò vitæ nobis est grauiter pœnitendum, cértáque est habenda fides, Christum suo sanguine peccatorum nostrorum maculas eluisse, & ita nos Deo acceptos redidisse, eius etiam spiritum in nobis habitare. Deinde secundum hanc fidem, promissumq; in baptismo factum, elaborandum est, vt cupiditates omnes coerceamus, vtque vitæ integritate nos Christo quasi indutos, & eius diuino numine instinctos esse perspicuum faciamus.

M. *Quare igitur infantes baptizantur, qui ista propter infirmitatem ætatis efficere nequeunt?*

Gen. 9 b. 9 & 17. c 7. 8. Mar. 10, b 14. 16. Rom 3 a 3 & 4. d 22, 31, &c. & 6. a 3, &c. Gal. 3 d 27. Ephe. 4. d 20. 21, &c. Col. 2, b. 11.

A. Quia de Dei Ecclesia sunt, diuinaque benedictio atque promissio Ecclesiæ per Christum (in cuius fide baptizantur) facta, ad eos pertinet. In quarum rerum cognitione, & fide, ipsi ineunte pueritia imbuendi sunt, vt agnoscant, quid in Baptismo spospondérint, atque professi sint, illique sponsioni vitæ etiam sanctitate, quantum quidem conniti possunt, satisfaciant.

M. *Cœne Domini qui est ordo?*

Matt. 26. c 26, &c. Mar. 14. c 22, &c. Luc. 22. c 19. &c. 1. Cor. 11. c. 23, 24, &c.

A. Idem ipse videlicet, qui est à Christo Domino assignatus: qui eadem qua proditus est nocte, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit & dedit discipulis suis, dicens. Accipite, edite, hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in mei comme oratione nem. Ad eundem modum & poculum, peracta cœna, accipit: & quùm gratias egisset, dedit eis dicens, bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus noui Testamenti, quod pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum: hoc facite quotiescunque biberitis, in mei commemorationem. Quotiescunque enim comederitis hunc panem, & de poculo biberitis, mortem Domini annunciabitis donec venerit. Hanc præscriptionem atque hunc ordinem sequi, summáq; fide seruare atque ex præscripto cœnam Domini celebrare oportet, vsque dum ipse redeat.

M. *Quem ad finem?*

Luc. 22 c 19. 1. Cor. 11. c 24. 26, &c. Ioa. 6 d 17, 32. 35. b 48, &c. f 54, 55, &c. 2. Cor. 10. d. 16.

A. Vt mortis Domini, beneficij que maximi in nos per eam collati, recordationem grati & memores in perpetuum habeamus; vtque quemadmodum per baptismum de integro nati sumus, ita cœnæ Dominicæ nutrimentis educati, ad spiritualem æternamque vitam assiduè conformemur. Atque ob eam ipsam causam vt semel in lucem edi, ita & baptismo semel expiari sat est: sed vt nutrimenti, itidem & cœnæ dominicæ vsus frequenter est iterandus.

M. *Quot sunt partes huius Sacramenti?*

A. Vt in Baptismo sic & in cœna dominica duæ sunt partes; quarum

vna

vna terrestris est, & quæ sensibus percipi potest: altera cœlestis est, & quæ sub externos sensus non cadit.

M. *Quæ est terrena atque aspectabilis pars?*

A. Panis & vinum, quæ vtraque expresso iussu Domini sunt ab omnibus accipienda. Mat.26.d26,27 Mar.4.c22,23 Luc.22.c.a.19. 20.

M. *Cœlestis pars, & ab omni sensu externo longè disiuncta, quænam est?*

A. Corpus & sanguis Christi quæ fidelibus in Cœna Dominica præbentur, ab illisque accipiuntur, comeduntur, & bibuntur, cœlesti tantùm & spirituali modo, verè tamen atque reipsa: adeo quidem, vt veluti panis sustentandi corpora, sic corpus Christi animas nostras spiritualiter per fidem pascendi maximam habeat facultatem: vt veluti vino mentes hominum lętitia excitantur, & reficiuntur vires, sic & animæ nostræ Christi sanguine per fidem recreatæ releuantur: hoc enim modo corpus & sanguis Christi in Cœna Dominica recipiuntur. Christus enim omnibus, qui ipsi fidunt, tam certò corpus & sanguinem suum impertit, quàm pro certo habent, panem se atque vinum ore stomachoque accepisse: Cœna etiam Dominica vitæ nobis sempiternæ signa communicans, immortalitatis nobis nostræ pignus, atque resurrectionis obses existit. Ioan.6.d27,35, &c.48.&c.g 63. 1.Cor.10.d19. Pis.104.c15. Ioan.6.f51.

M. *An igitur panis & vinum in substantiam corporis & sanguinis Christi conuertuntur?*

A. Nequaquam: nam hoc esset naturam Sacramenti, in quo tum cœlestis, tum terrena materia continetur, delere: veritatemque corporis Christi in dubitationem adducere: illisque etiam, qui Sacramentum sunt accepturi, reformidandi atque refugiendi occasionem offerre. Mat.26.d26,27 Mar.14.c22.c3 Luc 22.a.19,20. 1.Cor.11.c13 24,25,26,27,28

M. *An fuit institutæ à Christo Cœna, vt Deo patri hostia pro peccatis expiandis immolaretur?*

A. Minimè: nam Christus mortem in cruce occumbens, vnicum illud sempiternum sacrificium semel in perpetuum pro nostra salute obtulit, nobis verò vnum hoc tantum reliquum esse voluit, vt maximum vtilitatis fructum, quem sempiternum illud sacrificium nobis præbet, grati ac memores percipiamus: quod quidem in Cœna Dominica præcipuè præstare debemus. Heb.9.d26.&c. & 9.d12 &c.g 25.&c.& 10.c 10,12,14.d18 Luc.22.c19. 1.Cor.11.c24, 25,26. Heb.13.c15,16.

M. *Quomodo officio nostro satisfaciemus vt ritè cœnam Dominicam celebremus?*

A. Si nosmetipsos excutiamus, exquiramúsque, nunquid verè Christi membra simus. 1.Co.11.f28,29 Iere 24.b 7.& 29.b 1.13. Ioel.2.b 12,13 &c c 15,16,&c. Luc.22.c19.

M. *Illud quibus signis cognoscimus?*

A. Initio, nobis ob admissa peccata, vehementer est pœnitendum: deinde certa diuinæ per Christum misericordiæ fiducia nixis atque confisis bene sperandum, partaque nobis per illius mortem salus gratissimis est animis prosequenda: prętera, integrè in posterum, sanctéque 1.Cor.11.f24, 25,26. Rom.5.a 5,8,9 & 8.a 4,5,&c. 1.Tim.1.c14, 15,16. 1.Pet. 1.c 13,14 &c d 21,22. & 4.a 1,2,3.

Mat 12.d.30. Iohn.13.d.34. 35.&c. 1.Cor.10 d.17. & 13 toto. Deut 4 a.1,2. b.12. Psal.19.b 67 & 2.& 1.29.a.4. &c. Ma,19 c.16,17. Luc.10.c.25. 26.27,28. Ro.2.b 12.13. &c.19,20 & 4. c.15. Ga..3 b.10 2.Cor.2.b 7.& 7.c.9,10.&c. Rom.1 c.15,16. Act.13 f 38.39. Heb 1.b.4,5.&c. & 9 c 9 d.12. 15.& 10.a 2, 3.&c, Mat 1.d.20.21. &c.Io.19 14,29 Esa 53..4,5,6. c.10 11. Rom 3.d 24, 25,&c, Col.2.c.20, 21.22. Rom.3,d.23. &c, 8.c 4,15 16,17,&c.& 20,2.4.&c. Gal.2.c.16,&c. Rom 10.b 8.c. 14.d.16.27 1.Cor 2.a.3.6. b.9 &c. Mat.28.d.19,20 Mat.15.14 6. 1.Cor.10.d.16. 17. Psal.1.a.3. Mat.7.c.17.18. Luc.1 g 74.75. Rom.6.c.1.2,3. &c. Gala.5 a.8. Mat.3.b.16. 2.Pet.2.c.12. Mar.10.22,24. Rom.1.a.7,&c. &c 7.c 15,&c. & 9 d 16. 1.Cor.3.a.14. &c, 2.Cor,3.b.5. &c.& 15 10. Phil.2.b 13 Ep.1.a.5.6.&c. 2.Thes.1.d.12.

sanctéque viuendi studium nobis & voluntas propensa atq; constans suscipienda est; deinq; quando cœna Domini hominum inter homines consociationis atq; amoris clara indicia ostendit; proximis, hoc est, toti humano generi, beneuolentia, remoto procul omni odio atque inuidia, fraterne est præstanda.

M. *Quum de præcipuis fidei Christianæ capitibus satis multa, sicuti existimo, te iam interrogarim: experiri adhuc volo quam breuiter atq; expresse summam omnium, quæ sunt hactenus tractata, possis exponere.*

A. Principio, lex diuina, decem explicata præceptis, perfectam mihi ante oculos piè viuendi regulam proponit, ad quam vitam meam dirigere atque formare debeo, constitutam, & si vspiam aberrem, æternæ in me damnationis pœnam: per legem igitur peccata mea, Deumq; ob ea ira in me incensum, & sempiternam mortem diuina mihi iustitia debitam esse agnosco: quę cogitatio horribili formidine, timoreque; ex peccatorum conscientia animum meum percellit: vnde quum neque prudentia, neque viribus aut potestate mea, neque vlla humana, angelicáue ope, aut auxilio, neque vllo alio modo aut ratione posse me omnino liberari intelligam: Euangelium me edocet, Christum Dei filium hominem sine peccato factum, morte sua, meritas debitasque peccatis meis pœnas persoluisse, Dei patris sui in me iram suo sanguine restrinxisse, & me rursum in gratiam ipsius reconciliâsse, suæque iustitiæ fecisse participem, & æternæ secum vitæ hæredem instituisse: quæ omnia Christi beneficia mihi per fidem communicantur: quam fidem spiritus sanctus in animo meo per prædicationem Euangelij inseuit, eamque per sacra mysteria sua, aspectabilia certissimáque indicia & pignora diuinæ erga me per Christum bonitatis confirmauit. Quæ etiam fides, vt viua quædam atque ferax arbor, pietatis, iustitiæ, aliorumque bonorum operum fructus in me per omnem vitam procreare deberet ad gloriam Dei, qui tot & tantis me beneficijs affecit, & ad vtilitatem etiam atque exemplum salutare proximi. Cuius fidei incrementum, facultatemque placendi Deo, & ista omnia præstandi, me qui ex me ipso maximè sum infirmus, atque imbecillus, continuis atque ardentissimis precibus a Deo patre bonorum omnium authore, in nomine filij Iesu Christi seruatoris nostri efflagitare, gratiasque illi maximas pro vniuersis ab eo acceptis beneficijs assiduè agere oportet.

M. *Intelligo (mi fili) Christianæ pietatis præceptis te benè institutum esse, eiusq; summam memoria tenere. Reliquum est, vt ad istam rectæ intelligentiæ normam mores tuos ita formes atq; commodes, ne sine causa videri possis harum rerum scientiam esse consequutus.*

A. Deo mihi auxilium ferente, omnem adhibebo diligentiam, honorate magister, neque quicquam omittam, quantum quidem à me elaborari queat, quo appellationem titulumq; verè Christiani possim sustinere:

ſuſtinere: quin etiam humili aſsiduáque prece atque obſecratione a Deo opt. max. ſuppliciter petam, ne diuinam ſuorum præceptorum ſementem, propter animi mei quaſi nihil ferentis agri ſterilitatem, interire patiatur, ſed menti meæ tanquam macro & infœcundo ſolo, cœleſti ſuæ gratiæ imbre rigato, eam fertiliatem dare velit, vt vberimas edam ſanctitatis fruges, in cœleſti horreo granarióque recondendas atque conſeruandas.

Ioa.14.b.13.& 15.b.16,&.16. c.23. 1.Cor.10.g.31. Eph.3.d.20.21. Iad f.25. Mat.13.c.23. Luc.12.c 47. Rom.1.c.21. & 2.b.13. Eph.4.d.20,21. & 5.8.9. Phi.1.b.9,10,11. Col.1.a.5,6,b. 9,10. Tit.1 d.16. Iac.1.d.22,23. 25.&c & 4.d. 17 2.Pet.2.d.20. 21. Luc.11.b.9.c.

M. *Perge, mi fili, tenere iſtam viam, quam inſtituiſti, nihil hæſitans, quin ſicuti hoc conſilium atque propoſitum diuino inſtinctu motus cœpiſti: ita ad exitum optabilem rationis atque inſtituti iſtius tui, iam ſanctis à te initijs orſi, feliciter ſis ipſius ductu peruenturus, ad æternam tuam ſalutem, & Dei Opt. Max. gloriam: cui omnis laus, honor, gloria, ſempiternis eſt ſeculorum ætatibus tribuenda.*

FINIS.

13.& a.1.b.7. Iac.1.a 5,6.&c. Mat.13.c.19.20.&c, Ioh.15.c.16. Pſal.1.a.3. 1.Cor.3.b.9.7. 1.Cor.9.c.10 d 14.& 3.d. 16,17,18. Mat.3.c.12.&.13 c.23. Ioa.4.c 36.&c. Gal.5.d.22 23.&c. 2.Cor.8.b.10, 11,&c. Phi.1.a.6.9.&c.& 2.b.a. 5. Rom.6.d.22.23. Mat,5.b 16. 2.Cor.9.c.10.11.d.12.&c. Phil,1.b.11. 1.Pet.2.c.12.

Matutina Precatio.

GRatiam tibi quantam maximam animi noſtri capere poſſunt, habemus, Deus Pater cœleſtis, qui nos ab omni præteritæ noctis periculo atque diſcrimine ſaluos atque incolumes vſque ad hodiernum diem conſeruaſti; precamúrq; vt hodiè etiam atque perpetuò in poſterum ſalutis noſtræ defenſionem, atque patrocinium ſuſcipere velis: & quemadmodum diſcuſſa noctis caligine, ſolis luce mundum omnem compleuiſti, & nos è ſomno excitaſti, ita & mentes noſtras è tenebris internis ignorantię in lucem vocatas, & è vitiorum ſopore ſuſcitatas diuinis radijs ſacroſancti ſpiritus tui, notitiaq; dilecti filij tui Ieſu Chriſti ſeruatoris noſtri, veri illius ſolis, illuſtrare digneris: vt ab operibus tenebrarum declinantes, omnemque viuendi curſum ad diuinam verbi tui veritatem dirigentes, nos, vt in clara luce, atque in conſpectu tuo honeſtè, iuſteque & ſanctè, vt diei filios geramus, tandemque ad beatiſsimam illam lucem, in qua tu habitas, duce eodem filio tuo Ieſu Chriſto perueniamus. Cui tecum & cum ſancto ſpiritu vni venerandæ maieſtatis Deo, laus atque honor omnis in perpetuum debetur. Amen.

Pſal.3.b.1.&c. & 4.b.8.

Pſal.9.1.a.1,2,3 &c.toto. Pſal.74.c.16. Pſa.4.b.6.&.36. b.9. Ioa.1.d.26.& 16 b.13. Act.26.c.18. 2 Cor.1.b 6. Ioa.1.a 5.9.& 8.b. 2.& 12. c.35. Rom.13.d.12. 13. Eph 5 b.8.c.11. Pſal.119 v.105. Luc 1.g.74.75. 1.Tim.6.d.16.

Precatio matutina ſtudioſis accommodata.

MAximas tibi ex animis gratias agimus, Deus Pater luminum, bonorum omnium largitor, quod parentibus patroniſque noſtris hanc mentem dediſti, vt nos ea ætate, quæ maximè flexibilis eſt, & ad

Iac.1.c.17. Ec.12.a.2.&c. Pro 6.a.6.&c. 9.& 24.c.26. Pſal.127.c.2. Ioa.15.a.4 5. Pſal.4.b.6.& 36.b.9. 2.Cor.4.b.6. Deut.4.b.9 10. & 32.b.12.13. Pſal.78.a.3.4. Mat.19.b.13,14 2.Tim.3.d.15.

optima quæque diſcendum opportuniſsima, in bonarum literarum diſciplinam traderent: ſuppliciter à te petentes, ne illorum bonam de nobis ſpem, noſtræque ætatis optimam partem, propter noſtram ingenij tarditatem, negligentiam & inertiam perire ſinas. Et quia noſtra vigilantia, induſtria, atque ſtudium nihil ſine diuino inſtinctu tuo proficere valent, dignare cœleſtibus tuis radijs mentibus ingenijſque noſtris ita illucere, noſque eo deſiderio & amore bonarum literarum, ſapientia atque virtute afficere, eaque docilitate ad percipiendum, memoriaque ad percepta retinendum donare, vt in pueritia atque adoleſcentia noſtra, bonis literis artibuſque & virtutis præceptis liberaliter inſtituti, viri docti & pij, reique publicæ, atque ſanctæ Eccleſiæ tuæ vtiles euadamus, ad

Ioh.15.c.15. ſanctiſſimi nominis tui gloriam amplificandam. Hæc à te Pater cœleſtis, nomine vnici tui Filij Ieſu Chriſti ſeruatoris noſtri efflagitamus, obſecrantes vt ea nobis ipſius cauſâ largiri velis: tibi vero, cum eodem filio tuo,

2.Tim.1.d.17. ſanctoque ſpiritu laus omnis & gloria perpetuò tribuatur, Amen.

Matutina Precatio alia ſcholis apta.

Luc.2.g.46. LArgire Domine Deus, Pater cœleſtis, vt diuino ſpiritu tuo afflati, & delectiſſimi filij beatiſſimique pueri tui Ieſu Chriſti clariſſimum

Eccl.12.a.2,&c. illuſtriſſimumque exemplum nobis ad imitandum ante oculos proponentes, hoc pueritiæ atque adoleſcentiæ noſtræ tempore, nos totos ad bonarum literarum ſtudium & virtutem applicemus, atque ad tuam vo-

Luc.2.g.39.53. luntatem conformemus: & ſicuti ætate progredimur, ita in dies magis magiſque ſcientia, ſapientia, & virtute proficiamus: tum hominum piorum, tum verò tuam maximè cœleſtem gratiam atque amorem (in quo ſumma ſita eſt fœlicitas) nobis conciliantes atque conſequentes: idque per eundem filium tuum Ieſum Chriſtum, ſeruatorem noſtrum, cui vnà tecum & cum ſancto ſpiritu honor eſt atque gloria ſempiterna tribuenda, Amen.

Precatio veſpertina.

Pſal.91.& 146. 147. Luc.8.g.52. Ioan.11.c.11. 12.&c. 1.Theſ.4.c.13.14. Ephe.6.b.12. 2.Cor.11.b.13. Eph.5.b.11,12. &c. 1.Theſ.5.a.5,6. b.10. DOmine Deus in cuius tutela eſt ſalus hominum, atque rerum omnium; quando nox mundum oppreſſerit, & corpora mox noſtra ſomno, quo nihil eſt morti ſimilius, reſoluta languida que iacebunt: nos totos tibi in tutelam tradimus, ſuppliciter orantes, vt à poteſtate malitioſorum ſpirituum, caliginis principum, qui ad nos fallendos in angelos ſe lucis transformare valent, & à peccatis, tenebrarum operibus, atque alijs omnibus tum corporis tum animæ periculis nos tueri, & conſeruare velis: atque totos nos ſopore opprimi, & quaſi ſepultos iacere, aut mentibus interim noſtris caligine ita offundi non patiaris, vt tui nos obliuio capiat; verùm vt corporibus ſopitis, animi vigiles aſſiduè noctes dieſque tibi intenti excubent. Et cùm requies corporea ſimul atque

animos

animos noſtros ſatis quantum natura quæret, refecerit, craſtina aurora aptiores nos atque propenſiores reddat ad tibi ſeruiendum in eo vitæ ſtatu, quem nos tenere voluiſti, ad animarum noſtrarum ſalutem, noſtrorum proximorum commodum, tuique ſanctiſſimi nominis gloriam, per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, qui, vnà tecum, & cum ſancto ſpiritu, omni laude, & gloria, omnibus ſeculorum ætatibus eſt ab omnibus afficiendus. Amen.

1.Cor.7.d.20. Eph.4.a.1.&c. 1.Theſ.1.d.12. 13.

Precatio veſpertina alia.

OMnipotens Deus, cuius beneficio, ſicuti dies hominibus ad negotia obeunda illuceſcit, ſic & nox ad corpora atque animos labore & contentione defeſſos, quiete relaxandos, atque recreandos conceditur; ſupplici à te precatione petimus, vt quemadmodum nox tenebris omnia obſcurat, ita & peccata etiam noſtra illi dilecto filio condonans, occultare, & ab oculis tuis remouere, atque illorum memoriam ſempiterna obliuione delere velis: vt veluti corpora ſomno & requiete reficientur, itidem animi noſtri miſericordiæ tuæ fiducia, à ſcelerum conſcientia ſoluti tranquillentur: atque ita toti recreati craſtino quum diluceſcet, reliquiſque vitæ noſtræ diebus experrecti ad tibi ſeruiendum excitemur. Et quando mors ipſa, à qua tam eſt tibi facile nos atque è ſomno corporis excitare, imminebit, in ſpe lætiſſimæ illius reſurrectionis (qua corpora noſtra ad ſempiternũ illum diem nullis vnquam tenebris interruptum expergefacies) requieſcamus: quando hæreditatis ſanctorum in lumine participes reddemur, in cœleſti Hieruſalem, beatiſſima illa ciuitate, quæ neque Lucernæ, neque Solis, neque Lunæ lumine, quo illuſtretur, indigebit: tua enim ô Deus gloria illi illuceſcet, tuuſque Filius agnus ille noſtrum erit decus ac lumen ſempiternum. Ad quam glorioſiſſimam lucem, & regnum dilecti Filij tui, vt nos velis perducere, te per eundem illlum Seruatorem noſtrum obteſtamur, atque obſecramus, qui vnà tecum, & cum ſancto Spiritu, maximis & immortalibus honoribus, ſummiſque & perpetuis laudibus efferendus eſt atque celebrandus. Amen.

Eſa.45.b.7.& 50.a.3. Eccl.3.b.11. Pſal.25.a.5.& 32.a.1.& 51. a.2.b.9. Eſay.43.d.25. Ezec.18.a.22. Act.3.d.19. Col.2.b.13.14. Pſal.127.a.2. Luc.8.g.52.54. &c. Ioan.11.b.11. c.25.f.43.44. Col.1.b.12. Gal.4.d.46. Apoc.21.g.23. & 22.b.5. Col.1.c.13.

FINIS.

ECCLESIÆ ANGLICANÆ DOCTRINA, AD CVIVS ANALOgiam, omnes Diaconi, & Presbyteri ab Episcopis ordinandi examinantur, diuisa in 39. *Articulos vnanimi consensu Archiepiscoporum*, Episcoporum, & vniuersi cleri Anglicani, Anno 1562. approbatos.

ET REGIA AVCTORITATE stabilitos, ad Sabelianorum, Manichæorum, Arianorum, Tritheitarum, Macedonianorum, *Ebionitarum, Nestorianorum, Eutychianorum*, Nouatianorum, Donatistarum, Pelagianorum, Semipelagianorum, Pontificiorum, Seruetianorum, Anabaptistarum.

Et reliquorum insignium hæreticorum, hæreses & errores condemnandos, tollendam opinionum *dissensionem, & consensum in vera* religione confirmandum.

1 De fide in sacrosanctam Trinitatem.
2 De verbo, siue filio Dei qui verus homo factus est.
3 De descensu Christi ad Inferos.
4 De resurrectione Christi.
5 De Spiritu sancto.
6 De diuinis Scripturis quod sufficiant ad salutem.
7 De Veteri Testamento.
8 De tribus Symbolis.
9 De peccato originali.
10 De libero arbitrio.
11 De hominis iustificatione.
12 De bonis operibus.
13 De operibus ante iustificationem.
14 De Operibus supererrogationis.
15 De Christo qui solus est sine peccato.
16 De peccato post Baptismum.
17 De Praedestinatione, & Electione.
18 De speranda aeterna salute tantùm in nomine Christi.
19 De Ecclesia.
20 De Ecclesiae auctoritate.
21 De auctoritate Conciliorum generalium.
22 De Purgatorio.
23 De vocatione Ministrorum.
24 De precibus publicis dicendis in lingua vulgari.
25 De Sacramentis.
26 De vi institutionum diuinarum, quod eam non tollat malitia hominum.
27 De Baptismo.
28 De Cœna Domini.
29 De manducatione corporis Christi, & impios illud non manducare.
30 De vtraque specie.
31 De vnica Christi oblatione in cruce perfecta.
32 De coniugio Sacerdotum.
33 De excommunicatis vitandis.
34 De traditionibus Ecclesiasticis.
35 De Homilijs.
36 De Episcoporum & Ministrorum consecratione.
37 De ciuilibus Magistratibus.
38 De illicita bonorum communicatione.
39 De Iureiurando.
40 Confirmatio Articulorum.

DOCTRINA

DOCTRINA ECCLESIÆ ANGLICANÆ.

De fide in ſacroſanctam Trinitatem.

VNus eſt viuus & verus Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, impaſſibilis, immenſæ potentiæ, ſapientiæ ac bonitatis: creator & conſeruator omnium tum viſibilium, tum inuiſibilium. Et in vnitate huius diuinæ naturæ tres ſunt perſonæ, eiuſdem eſſentiæ, potentiæ, ac æternitatis, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. 1.

De verbo, ſiue Filio Dei, qui verus homo factus eſt.

FIlius qui eſt Verbum Patris, ab æterno a patre genitus, verus & æternus Deus, ac patri conſubſtantialis in vtero beatæ Virginis, ex illius ſubſtantia naturam humanam aſſumpſit, ita vt duæ naturæ, diuina & humana integrè atque perfectè in vnitate perſonæ fuerint inſeparabiliter coniunctæ, ex quibus eſt vnus Chriſtus, verus Deus, & verus homo, qui verè paſſus eſt, crucifixus, mortuus, & ſepultus, vt Patrem nobis reconciliaret, eſſetque hoſtia non tantum pro culpâ originis, verum etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. 2.

De deſcenſu Chriſti ad inferos.

QVemadmodum Chriſtus pro nobis mortuus eſt & ſepultus, ita eſt etiam credendus ad inferos deſcendiſſe. 3.

De reſurrectione Chriſti.

CHriſtus verè à mortuis reſurrexit, ſuumque corpus cum carne, oſſibus, omnibúſque ad integritatem humanæ naturæ pertinentibus, recepit, cum quibus in cœlum aſcendit, ibique reſidet quoad extremo die ad iudicandos homines reuerſurus ſit. 4.

De Spiritu Sancto.

SPiritus ſanctus a patre & filio procedens, eiuſdem eſt cum patre & filio eſſentiæ maieſtatis & gloriæ, verus ac æternus Deus. 5.

De

De diuinis Scripturis quòd ſufficiant ad ſalutem.

6. SCriptura ſacra, cum ſit ordinarium inſtrumentum ſalutis, continet omnia, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ita vt quicquid in ea nec legitur, nec inde probari poteſt, non ſit a quoquam exigendum, vt tanquam articulus fidei credatur, aut ad ſalutis neceſsitatem requiri putetur.

Sacræ Scripturæ nomine eos Canonicos libros veteris & noui Teſtamenti intelligimus, de quorum auctoritate in Eccleſia nunquam dubitatum eſt.

De nominibus & numero librorum ſacræ Canonicæ Scripturæ veteris Teſtamenti.

Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteron. Prior liber Paralipomenon, Secundus liber Paralipomenon, Primus liber Eſdræ, Secundus liber Eſdræ, Liber Eſther, Ioſuæ, Iudicum, Ruth, Prior liber Samuëlis, Secundus liber Samuëlis, Prior liber Regum, Secundus liber Regũ liber Iob, Pſalmi, Prouerbia, Eccleſiaſtes vel Concionator, Cantica Salomonis, 4. Prophetæ maiores, 12. Prophetæ minores.

Alios autem libros (vt ait Hyeronimus) legit quidem Eccleſia, ad exempla vitæ, & formandos mores, illos tamen ad dogmata confirmanda non adhibet, vt ſunt,

Tertius liber Eſdræ, Quartus liber Eſdræ, Liber Tobiæ, Liber Iudith, Reliquum libri Eſther, Liber Sapientiæ, Liber Ieſu filij Sirach, Baruch Propheta, Canticum trium puerorum, Hiſtoria Suſannæ, De Bel & Dracone, Oratio Manaſſes, Prior lib. Machabæorum, Secundus liber Machabæorum.

De veteri Teſtamento.

7. TEſtamentum vetus nouo contrarium non eſt, quandoquidem tam in veteri quam in nouo per Chriſtum, qui vnicus eſt mediator Dei & hominum, Deus & homo, æterna vita humano generi eſt propoſita. Quare male ſentiunt, qui veteres tantùm in promiſſiones temporarias ſperaſſe confingunt. Quanquam lex a Deo data per Moſen (quoad ceremonias & ritus) Chriſtianos non aſtringat, neque ciuilia eius præcepta in aliqua republica neceſſariò recipi debeant, nihilominus tamen ab obedientia mandatorum (quæ moralia vocantur) nullus quantumuis Chriſtianus eſt ſolutus.

De tribus Symbolis.

SYmbola tria, Nicenum, Athanaſij, & quod vulgò Apoſtolorum appellatur, omnino recipienda ſunt, & credenda: nam firmiſſimis Scripturarum teſtimonijs probari poſſunt. 8.

De peccato originali.

PEccatum originis non eſt, (vt fabulantur Pelagiani) in imitatione Adami ſitum, ſed eſt vitium, & deprauatio naturæ cuiuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati, qua fit, vt ab originali iuſtitia quàm longiſſimè diſtet, ad malum ſuâ naturâ propendeat, & caro ſemper aduerſus ſpiritum concupiſcat, vnde in vnoquoque naſcentium iram Dei, atque damnationem meretur. Manet etiam in renatis hæc naturæ deprauatio: qua fit vt affectus carnis (Græci φρόνημα σαρκὸς, quod alij ſapientiam, alij ſenſum, alij affectum, alij ſtudium carnis interpretantur) Legi Dei non ſubijciatur. Et quanquam renatis & credentibus nulla propter Chriſtum eſt condemnatio, peccati tamen in ſeſe rationem habere concupiſcentiam, fatetur Apoſtolus. 9.

De libero Arbitrio.

EA eſt hominis poſt lapſum Adæ conditio, vt ſeſe naturalibus ſuis viribus, & bonis operibus, ad fidem & inuocationem Dei conuertere ac præparare non poſſit. Quare abſque gratia Dei, quæ per Chriſtum eſt, nos præueniente vt velimus, & cooperante, dum volumus, ad pietatis opera facienda, quæ Deo grata ſunt & accepta nihil valemus. 10.

De hominis iuſtificatione.

TAntùm propter meritum Domini ac Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti per fidem, non propter opera & merita noſtra, iuſti coram Deo reputamur. Quare ſolâ fide nos iuſtificari doctrina eſt ſaluberrima, ac conſolationis pleniſſima, vt in Homilia de Iuſtificatione hominis fuſiùs explicatur. 11.

De bonis operibus.

BOna opera quæ ſunt fructus fidei, & iuſtificatos ſequuntur, quanquam peccata noſtra expiare, & diuini iudicij ſeueritatem ferre non poſſunt, Deo tamen grata ſunt, & accepta in Chriſto, atque ex vera & viua fide neceſſariò profluunt, vt planè ex illis æquè fides viua cognoſci poſſit, atque arbor ex fructu iudicari. 12.

De ope-

De operibus ante iustificationem.

13. OPera quæ fiunt ante gratiam Christi, & Spiritus eius afflatum, cùm ex fide Iesu Christi non prodeant, minime Deo grata sunt, neque gratiam (vt multi vocant) de congruo merentur. Immo cùm non sint facta, vt Deus illa fieri voluit, & præcepit, peccati rationem habere non dubitamus.

De operibus Supererogationis.

14. OPera quæ Supererogationis appellant, non possunt sine arrogantia, & impietate prædicari. Nam illis declarant homines, non tantùm se Deo reddere quæ tenentur, sed plus in eius gratiam facere quàm deberent, cùm aperte Christus dicit, Cum feceritis omnia quæcunque præcepta sunt vobis, Dicite, Serui inutiles sumus.

De Christo qui solus est sine peccato.

15. CHristus in nostræ naturę veritate per omnia similis factus est nobis excepto peccato, a quo prorsus erat immunis, tum in carne, tum in spiritu. Venit vt agnus absque macula, qui mundi peccata per immolationem sui semel factam tolleret, & peccatum (vt inquit Ioannes) in eo non erat: sed nos reliqui etiam baptizati, & in Christo regenerati, in multis tamen offendimus omnes. Et si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.

De peccato post Baptismum.

16. NOn omne peccatum mortale post Baptismum voluntariè perpetratum, est peccatum in Spiritum sanctum, & irremissibile. Proinde lapsis a Baptismo in peccata, locus pœnitentiæ non est negandus: post acceptum Spiritum sanctum possumus à gratia data recedere, atq; peccare: denuoque per gratiam Dei resurgere ac resipiscere: ideoq; illi damnandi sunt, qui se quandiu hic viuant, amplius non posse peccare affirmant, aut verè resipiscentibus, veniæ locum denegant.

De Prædestinatione & Electione.

17. PRædestinatio ad vitam est æternum Dei propositum, quo ante iacta mundi fundamenta suo consilio, nobis quidem occulto, constanter decreuit, eos, quos in Christo elegit, ex hominum genere à male-

dicto

dicto & exitio liberare, atque (vt vaſa in honorem efficta) per Chriſtum ad æternam ſalutem adducere. Vnde qui tam præclaro Dei beneficio ſunt donati, illi Spiritu eius, opportuno tempore operantes, ſecundum propoſitum eius vocantur, vocationi per gratiam parent, iuſtificantur gratis, adoptantur in filios Dei, vnigeniti eius Ieſu Chriſti imagini efficiuntur conformes, in bonis operibus ſanctè ambulant, & demum ex Dei miſericordia pertingunt ad ſempiternam fœlicitatem. Quemadmodum prædeſtinationis & electionis noſtræ in Chriſto pia conſideratio, dulcis, ſuauis, & ineffabilis conſolationis plena eſt verè pijs, & ijs qui ſentiunt in ſe vim Spiritus Chriſti, facta carnis & membra quæ adhuc ſunt ſuper terram mortificantem, animúmque ad cœleſtia & ſuperna rapientem: tum quia fidem noſtram de æterna ſalute conſequenda per Chriſtum plurimùm ſtabilit, atque confirmat, tum quia amorem noſtrum in Deum vehementer accendit. Ita hominibus curioſis, carnalibus, & ſpiritu Chriſti deſtitutis, ob oculos perpetuò verſari prædeſtinationis Dei ſententiam, perniciosiſſimum eſt præcipitium, vnde illos Diabolus protrudit, vel in deſperationem, vel in æquè pernicioſam impuriſſimæ vitæ ſecuritatem. Deinde promiſſiones diuinas ſic amplecti oportet, vt nobis in ſacris literis generaliter propoſitæ ſunt, & Dei voluntas in noſtris actionibus ea ſequenda eſt, quam verbo Dei habemus diſertè reuelatam.

De ſperanda æterna ſalute tantùm in Nomine Chriſti.

SVnt & illi anathematizandi, qui dicere audent, vnumquémque in Lege aut ſecta quam profitetur eſſe ſeruandum, modò iuxta illam & lumen naturæ acuratè vixerit, cùm ſacræ literæ tantùm Ieſu Chriſti Nomen prædicent, in quo ſaluos fieri homines oporteat. 18.

De Eccleſia.

ECcleſia Chriſti viſibilis eſt cœtus fidelium, in quo verbum Dei purum prædicatur, & Sacramenta quoad ea quæ neceſſariò exiguntur, iuxta Chriſti inſtitutum rectè adminiſtrantur. Sicut errauit Eccleſia Hieroſolymitana, Alexandrina & Antiochena: ita & errauit Eccleſia Romana, non ſolùm quoad agenda, & cæremoniarum ritus, verùm in ijs etiam quæ credenda ſunt. 19.

De Eccleſiæ auctoritate.

EEcleſiæ non licet quicquam inſtituere, quod verbo Dei aduerſetur, neque vnum Scripturæ locum ſic exponere poteſt, vt alteri con- 20.

traditat. Quare licèt Ecclesia sit diuinorum librorum testis, & conseruatrix, attamen vt aduersus eos nihil decernere, ita præter illos, nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere.

De auctoritate Conciliorum generalium.

21. GEneralia Concilia sine iussu & voluntate Principum congregari non possunt, & vbi conuenerint, quia ex hominibus constant, qui non omnes Spiritu & verbo Dei reguntur, & errare possunt, & interdum errârunt etiam in his quæ ad normam pietatis pertinent: ideoq; quæ ab illis constituuntur, vt ad salutem necessaria, neque robur habent neque authoritatem, nisi ostendi possint è sacris literis esse desumpta.

De Purgatorio.

22. DOctrina Romanensium de Purgatorio, de Indulgentijs, de veneratione & adoratione tum imaginum, tum reliquiarum, nec non de inuocatione Sanctorum, res est futilis, inaniter conficta, & nullis Scripturarum testimonijs innititur, imò verbo Dei contradicit.

De vocatione Ministrorum.

23. NOn licet cuiquam sumere sibi munus publicè prædicandi, aut administrandi Sacramenta in Ecclesia, nisi prius fuerit ad hęc obeunda legitimè vocatus & missus. Atque illos legitimè vocatos & missos æstimare debemus, qui per homines, quibus potestas vocandi Ministros, atque mittendi in Vineam Domini publicè concessa est in Ecclesia, coaptati fuerint & asciti in hoc opus.

De precibus publicis dicendis in lingua vulgari.

24. LInguâ populo non intellectâ publicas in Ecclesia preces peragere, aut Sacramenta administrare, verbo Dei, & Primitiuæ Ecclesiæ consuetudini planè repugnat.

De Sacramentis.

25. SAcramenta à Christo instituta, non tantùm sunt notæ professionis Christianorum, sed certa quædam potiùs testimonia, & efficacia signa gratiæ atque bonæ in nos voluntatis Dei, per quæ inuisibiliter ipse in nos operatur, nostramq; fidem in se non solùm excitat, verùm etiam confirmat.

Duo

Duo à Christo Domino nostro in Euangelio instituta sunt Sacramenta, scilicet Baptismus & Cœna Domini.

Quinque illa vulgò nominata Sacramenta: scilicet, Confirmatio, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, & Extrema vnctio, pro Sacramentis Euangelicis habenda non sunt, vt quæ partim à praua Apostolorum imitatione profluxerunt, partim vitæ status sunt in Scripturis quidem probati: sed Sacramentorum eandem cum Baptismo & Cœna Domini rationem non habentes, vt quæ signum aliquod visibile, seu cęremoniam à Deo institutam non habeant. Sacramenta non in hoc instituta sunt à Christo vt spectarentur, aut circumferrentur, sed vt ritè illis vteremur, & in ijs duntaxat qui dignè percipiunt, salutarem habent effectum: qui verò indignè percipiunt, damnationem (vt inquit Paulus) sibi ipsis acquirunt.

De vi Institutionum diuinarum, quòd eam non tollat malitia hominum.

Quamuis in Ecclesia visibili, bonis mali semper sunt admixti, atque 26.
interdum ministerio verbi & Sacramentorũ administrationi præsint: tamen cùm non suo sed Christi nomine agant, eiúsque mandato & auctoritate ministrent, illorum ministerio vti licet, cùm in verbo Dei audiendo, tum in Sacramentis percipiendis. Neque per illorum malitiam effectus institutorũ Christi tollitur, aut gratiâ donorum Dei minuitur, quoad eos qui fide & ritè sibi oblata percipiunt, quæ propter institutionem Christi, & promissionem efficacia sunt, licet per malos administrentur.

Ad Ecclesiæ tamen disciplinam pertinet, vt in malos ministros inquiratur, accusenturq; ab his, qui eorum flagitia nouerint, atque tandem iusto conuicti iudicio deponantur.

De Baptismo.

Baptismus non est tantùm professionis signum, & discriminis nota, 27.
quâ Christiani à non Christianis discernantur: sed est signum regenerationis, per quod tanquam per instrumentum, rectè Baptismum suscipientes, Ecclesijs inseruntur, promissiones de remissione peccatorum atque adoptione nostra, in filios Dei per Spiritum sanctum visibiliter obsignantur, fides confirmatur, & vi diuinæ inuocationis gratia augetur. Baptismus paruulorum omninò in Ecclesia retinendus est, vt qui cum Christi institutione optimè congruat.

De Cœna Domini.

28 Cœna Domini non est tantum signum mutuæ beneuolentiæ Christianorum inter se, verùm potius est Sacramentum nostræ per mortem Christi redemptionis. Atq; adeò ritè dignè & cum fide sumentibus panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi: similiter poculum benedictionis est communicatio sanguinis Christi. Panis & vini transubstantiatio in Eucharistia ex sacris literis probari non potest, sed apertis Scripturæ verbis aduersatur, Sacramenti naturam euertit, & multarum superstitionum dedit occasionem.

Corpus Christi datur, accipitur, & manducatur in Cœna tantùm cœlesti & spirituali ratione. Medium autem quo Corpus Christi accipitur & manducatur in Cœna, fides est. Sacramentum Eucharistiæ ex institutione Christi non seruabatur, circumferebatur, eleuabatur, nec adorabatur.

De manducatione corporis Christi, & impios illud non manducare.

29 Impij & fide viua destituti licet carnaliter, & visibiliter (vt Augustinus loquitur) corporis & sanguinis Christi Sacramentum dentibus premant, nullo tamen modo Christi participes efficiuntur; sed potius tantæ rei sacramentum seu symbolum ad iudicium sibi manducent & bibunt.

De vtraque specie.

30 Calix Domini, laicis non est denegandus, vtráque enim pars dominici sacramenti, ex Christi institutione, & præcepto, omnibus Christianis ex æquo administrari debet.

De vnica Christi oblatione in cruce perfecta.

31 Oblatio Christi semel facta perfecta est redemptio, propitiatio & satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tam originalibus, quam actualibus. Neque præter illam vnicam est vlla alia pro peccatis expiatio: vnde Missarum sacrificia quibus vulgò dicebatur sacerdotem offerre Christum, in remissionem pœnæ aut culpæ pro viuis & defunctis, blasphema figmenta sunt, & pernicioſæ imposturæ.

De coniugio Sacerdotum.

32 Episcopis, Presbyteris, & Diaconis nullo mandato diuino præceptum est, vt aut cœlibatum voueant, aut à matrimonio abstineant.

Licet

Licet igitur etiam illis, vt cæteris omnibus Chriſtianis vbi hoc ad pietatem magis facere iudicauerint, pro ſuo arbitratu matrimonium contrahere.

De excommunicatis vitandis.

QVi per publicam Eccleſiæ denunciationem ritè ab vnitate Eccleſiæ præciſus eſt, & excommunicatus, is ab vniuerſa fidelium multitudine (donec per pœnitentiam publicè reconciliatus fuerit arbitrio Iudicis competentis) habendus eſt vt ethnicus & publicanus. 33.

De traditionibus Eccleſiaſticis.

TRaditiones atque Ceremonias eaſdem non omninò neceſſarium eſt eſſe vbique aut prorſus conſimiles, nam & variæ ſemper fuerunt, & mutari poſſunt pro regionum, temporum, & morum diuerſitate, modò nihil contra verbum Dei inſtituatur. 34.

Traditiones & ceremonias Eccleſiaſticas, quæ cum verbo Dei non pugnant, & ſunt auctoritate publica inſtitutę atque probatæ, quiſquis priuato conſilio volens, & datâ opera publicè violauerit, is, vt qui peccat in publicum ordinem Eccleſiæ, quiq; lædit auctoritatem magiſtratus, & qui infirmorum fratrum conſcientias vulnerat, publicè, vt teri timeant, arguendus eſt.

Quælibet Eccleſia particularis, ſiue nationalis, auctoritatem habet inſtituendi, mutandi, aut abrogandi Ceremonias, aut ritus Eccleſiaſticos, humana tantum auctoritate inſtitutos: modò omnia ad ædificationem fiant.

De Homilijs.

TOmus ſecundus Homiliarum continet piam & ſalutarem doctrinam, & his temporibus neceſſariam, non minus quam prior tomus Homiliarum, quæ editæ ſunt tempore Eduardi ſexti: itaq; eas in Eccleſijs per miniſtros diligenter & clarè vt a populo intelligi poſſint recitandas eſſe iudicauimus. 35.

Nomina Homiliarum vtriusq; Tomi, & enunciata didascalica ijs contenta.

Tomi primi, Homiliæ primæ. *De Sacra Scriptura.*

1. ENunciat: Sacra Scriptura perfectè tradit quid faciendum, quid vitandum, credendum quid, quid diligendum, quid a Deo sperandum, omnemq; veritatem, ac doctrinam, ad nostram iustificationem, & æternam salutem, necessariam.

2. Enunciat: Sacrę literæ prouectæ ætatis hominibus cibos, infantibus lac, & omni hominum generi, cuiuscunque ordinis aut ætatis sunt, consentanea, abundè & sufficienter suppeditant.

3. Enunciat: Sacra Scriptura diligenter audita, & animis nostris recondita, cor obduratum emollit minis pœnarum, miserum sustentat, misericordiæ promissis sanctificat, humilibus dat intellectum, conscientiam exhilarat, & consolatur.

4. Enunciat: Nemo sincerè profitetur Christianam religionem, qui in libris, quibus doctrina Christiana continetur, perlegendis, sedulò non nauat operam.

5. Enunciat: Scientia, & lectio sacrarum Scripturarum cum humilitate, zelo, Deum, non vero nosmetipsos, glorificandi, assidua ad Deum precatione, & cum sobrietate coniunctæ; non sunt causæ errorum; in quos potius Scripturarum ignoratione incidimus.

6. Enunciat: Sicut Sacrę Scripturæ quibusdam in locis sunt difficiles, & obscuræ, sic in alijs clarę, & perspicuæ: nempe, in ijs quæ ad salutem necessaria sunt; ita vt vnusquisque eos legere, perdiscere, memorię mandare, & ad illarum amussim vitam componere teneatur.

Homiliæ secundæ, de humani generis per peccatum miseria.

1. ENunciat: Omnes homines, etsi iusti, & sanctificati, quales fuerunt Iob, Dauid, Ioannes Baptista, Diuus Paulus, miseri, & æruminosi sunt peccatores.

2. Enunciat: In prestantissimis nostris bonis operibus, quidam sunt defectus, & imperfectiones, vt nequeant coram Dei iudicio consistere.

Homiliæ

Homiliæ tertiæ de ſalute generis humani tantum per Chriſtum.

1. ENunciat: Iuſtitia cuius ex Dei miſericordia, per merita Chriſti fide apprehenſa, ſumus participes, a Deo pro plena, & perfecta noſtra iuſtitia acceptatur.

2. Enunciat: Tria concurrunt in noſtra coram Deo iuſtificatione; ex parte Dei, eius miſericordia & gratia; ex parte Chriſti, diuinæ iræ per corporis ſui oblationem, & ſanguinis effuſionem ſatisfactio, vnà cum perfecta legis impletione; ex parte noſtri, vera, & viua fides in Ieſu Chriſti meritis.

3 Enunciat: Vera & viua fides, quæ Dei donum eſt, ſola ex parte noſtri iuſtificat, & non bona opera: fides interim, non eſt ſine reſipiſcentia, ſpe, charitate, & reliquis pietatis operibus: quia tametſi fides, & bona opera non concurrant ſimul in actione iuſtificandi, tamen ſunt neceſſariò ſimul in iuſtificato.

Homiliæ quartæ, de verâ & viuâ fide Chriſtianâ.

1. ENunciat: Duplex eſt fides, mortua, aut viua. Fides mortua, eſt otioſa & bonorum operum ſterilis, quæ Iacobo Dæmonum fides dicitur, et qua tantum Dei verbum verum eſſe creditur. Viua fides, ſemper eſt actuoſa, efficax per charitatem, & non ſolum generalis eſt aſſenſus fidei Chriſtianæ articulis; ſed eſt vera fiducia, ac firma confidentia in Dei miſericordia per Ieſum Chriſtum, & per huius merita & paſſionem, noſtra peccata eſſe remiſſa, noſque ab eorum inquinamentis eſſe purgatos.

2. Enunciat: Fides viua, & pia vita nequeunt ſeiungi, & ideo vnicuique incumbit, ſe diligenter explorare, vt per bonorum operum fructus ſibi conſtet, an veram habeat fidem.

Homiliæ quintæ, de bonis operibus.

1. ENunciat: Bona opera ſine fide viuifica, & iuſtificante ſunt tantum apparenter bona, & in hominum conſpectu, & non verè bona coram Deo, ideoque ei minimè placent.

2. Enunciat: Bona opera, à vera fide manantia, ſunt illa quæ Deus in verbo ſuo mandat, & non quę homines, ex ignara deuotione, cœco zelo, & ex ſuo cerebro, abſque verbi diuini directione, excogitârunt.

Homiliæ ſextæ, de Chriſtiana charitate enunciata didaſcalica.

1. ENunciat: Charitas omnia pietatis & iuſtitiæ opera in ſe complectitur, & eſt vel in Deum vel in hominem.

2 Enunciat: Ex Charitate in Deum ei confidimus, in eo delectamur, & illius, plus quam omnium rerum creatarum obſequio, ſumus addicti.

3 Enunciat: Ex Charitate in proximum, tum boni, & amici, tum mali & inimici diligendi ſunt: boni, & amici, quia boni, mali & inimici vt ipſi fiant boni, facietas ciuilis nihil detrimenti capiat, & ne Deus offendatur.

Homiliæ ſeptimæ, contra temeraria iuramenta & periurium.

1 ENunciat: eſt iuramentum aſſertorium, eſt iuramentum promiſſorium: Iuramentum promiſſorium, de publicis inter principes pactis, legibus ad ciuilium ſocietatum incolumitatem conditis, obſeruandis; de obedientia Magiſtratui præſtanda, de officio aliquo ſincerè exequendo, in Matrimonio contrahendo, honeſtas ob cauſas ſuſceptum, eſt licitum: ſed in priuatis noſtris emptionis & venditionis contractibus, & quotidianis, de rebus minutis, colloquijs, eſt temerarium & inaniter vſurpatum.

2 Enunciat: Si quis Magiſtratus Tribunali ſe ſiſtere mandatur, ad veritatem declarandam, & aſſerendam, ei licet vti iuramento his cum cautelis. Primò, in veritate: amore, odio, omnique affectu ſepoſitis. Secundò, in iudicio: nempe, maturâ cum deliberatione, & non temerè. Tertiò, in iuſtitia: id eſt, ex iuſtitiæ amore, & illius promouendæ zelo. Atque iuramento his conditionibus præſtito, Deus honoratur, & glorificatur.

Homiliæ octauæ, de defectione a Deo.

1 ENunciat: Homines impij præcipuè á Deo deficiunt per Idololatriam, infidelitatem, nimiam quam ex rebus humanis capiunt, voluptatem, & diuinorum mandatorum contemptum.

2 Enunciat: quando nos Deum, ille quoque nos deſerit, omnique pœnarum genere ſeueriſſimè affligit.

3 Enunciat: Quidam fide deſtituuntur ex deſperatione, alij ex præſumptione; hi ſolam Dei miſericordiam, illi ſolam iuſtitiam contemplantur. Quare vt rectam habeamus in Deum fidem, oportet nos ſæpius,

pius, & ſeriò meditari tum de Dei iuſtitia, ne præſumamus, tum de miſericordia, ne deſperemus.

Homiliæ nonæ, contra mortis metum.

1 ENunciat: Tres præcipuæ ſunt cauſæ, quare homines mortem pertimeſcunt, propter ſuorum in hoc mundo honorum, diuitiarum, poſſeſſionum amiſsionem: acerbiſſimos morborum cruciatus, quos in mortis articulo patiuntur: ſed præſertim ex æternę mortis, & damnationis ſenſu, & horrore.

2 Enunciat: Nullo tamen ex iſtis pij terrentur: quia viua fide, per Charitatem conſummatâ, & certâ cœleſtis glorię ſpe, ſe ſuſtentant, & conſolantur.

Homiliæ decimæ de Obedientia.

1 ENunciat: Reges, & Principes, à Deo ordinati, eius vice iudicant, & ab illo ſolo, & immediatè totam ſuam authoritatem accipiunt.

2 Enunciat: Omnes ſubditi tenentur Magiſtratibus etſi malis & impijs obedire, tanquam Dei miniſtris, & ab illo vnctis, non ſolùm ex metu, ſed propter conſcientiam.

3 Enunciat: Iuxta obſequium & reuerentiam Dauidis in Saulem, vel in noſtri tutelam, impio principi vis non eſt inferenda; quia eius perſona propter ſui muneris dignitatem ſolius Dei punitioni, & iudicio ſubdita eſt.

Homiliæ vndecimæ contra Adulterium.

1 ENunciat: Sacrę litterę, vt ſcortationes, Adulteria vitemus, vitæque puritatem amplectamur, acriter inſtant.

2 Enunciat: Deus fornicationem, adulterium, omnemque impuritatem pœnis tum corporalibus tum ſpiritualibus ſeueriſſimè caſtigat.

Homiliæ duodecimæ contra contentiones, & diſſidia.

1 ENunciat: Cum omnia contentionum genera ſint pernicioſa, & deteſtanda, tum vel maximè Religionis cauſâ ſuſcepta.

2 Enunciat: Præcipua contentionem cauſa circa Religionis dogmata, eſt ab illis ingenijs, quæ in quæſtionibus parùm aut nihil ad ædificationem facientibus agitandis delectantur. Sed omnibus verè Chriſtianis legendæ ſunt Scripturæ, vt inde diſcant potius piè viuere, quam ſubtiliter diſſerere, & diſſidia ſeminare.

3 Enunciat:

3 Enunciat: Diſſidiorum fomes ſunt conuitia, calumniæ, verba contentioſa, à quibus ad vnitatem in vinculo Charitatis conſeruandam, eſt abſtinendum; & Chriſti exemplo, pro maledictionibus benedictiones ſunt retribuendæ.

Tomi Secundi Homiliæ primæ de vero vſu Templorum, ſiue Eccleſiarum, enunciata didaſcalica.

1 ENunciat: Etiamſi immenſa, & æterna Dei Maieſtas, qui Thronum ſuum in cœlis habet, & ſcabellum pedum in terris, nullis Templis, aut ædificijs opera humana fabrefactis includi poterit; materialis tamen Eccleſia, ſiue Templum partim propter cultus Religioſos glorioſo ipſius Numini ibi loci exhibitos, quales ſunt verbi eius S. Sancti prædicatio, atque auditio, nominis eius inuocatio, gratiarum actio pro immenſis, atque innumeris eius beneficijs, & Sacramentorum legitima adminiſtratio: partim propter gratiæ cœleſtis efficacem præſentiam, qua per verbi ſui & Sacramentorum Miniſterium populum ibi congregatum imbuere ſolet, rectè in S. Vet. ac Noui Teſtamenti literis Domus Dei, ſiue Templum Domini indigitatur.

2 Enunciat: Ad iſtud Templum, ſiue Domum Dei ſingulis diebus auctoritate publica conſtitutis, omnes verè pij cum ſummo ſtudio tenentur ſeſe conferre, ibique modeſtè, ſobriè, ac religioſè ſeſe gerere, in ſanctorum cœtu debitum obſequium omnipotenti Deo præſtantes: Deus enim non modò temporalis, ſed etiam æternas pœnas in domo ſua negligenter, & irreuerenter ſe gerentibus minatur.

Homiliæ ſecundæ, contra ſuperſtitionis, & Idololatriæ pericula.

1 ENunciat: Rectus ac ſincerus Dei cultus eſt veriſſimum, ac genuinum Domus Dei ornamentum, non Imaginum multitudo, quæ auro, argento, gemmiſque, atque coloribus varijs ornantur. Talia vtique ornamenta nihil aliud ſunt, quam ſpiritualis fornicationis illecebræ.

2 Enunciat: Imagines Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti ſeparatim, ſicut etiam Imagines totius Trinitatis coniunctim, claris & expreſſis S. Scripturarum teſtimonijs prohibentur.

3 Enunciat: Non tantum Simulachra Idolorum Gentilium, ſed Imagines

Imagines etiam quorumcunque Sanctorum, & Martyrum (quamuis in priuatis Chriſtianorum ædibus hiſtoricum aut ciuilem vſum habere poſſint) in Templis & Eccleſijs, vbi Deus ſolus adorandus eſt, permitti non debent. Quoniam Imagines in Templis publicè collocatæ neceſſariò ſecum trahunt periculum Idololatricæ adorationis, propter propenſam hominis naturam ad ſpiritualem fornicationem.

Homiliæ tertiæ de reparandis & ornandis Eccleſijs.

1 ENunciat: Templum, ſiue Domus Dei omnibus in locis decenter ornari debet ſedilibus idoneis, ſuggeſtu prædicationis publicæ cauſâ, Menſâ ad celebrandam S. Cœnam, Baptiſterio ad lauacrum Sacrum: Ea demum mundities, nitor, ac pulchritudo ibi appareat, quæ illiciat plebis animos ad libenter illi conueniendum.

Homiliæ quartæ, de bonis operibus, & ſpeciatim de Ieiunio.

1. ENunciat: In bonis noſtris operibus nullam omnino fiduciam collocare debemus, quaſi illorum gratiâ & merito, aut nobiſmetipſis, aut quibuſuis alijs remiſſionem peccatorum, & conſequenter vitam æternam conſequi valeamus. Hoc enim effuſioni ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti inſignem contumeliam adferret.

2. Enunciat: Bona opera non præcedunt hominem iuſtificandum, ſed ſequuntur iuſtificatum, quæ quidem præſtare nos oportet ob varias cauſas. 1. vt obedientes filios noſmet præbeamus Patri cœleſti, qui nobis ea præparauit in eum finem, vt in eis ambularemus. 2. vt ſint teſtimonia & indicia iuſtificationis noſtræ. 3. vt alij homines noſtra bona opera cernentes, ipſi viciſſim excitentur ad Deum glorificandum.

3. Enunciat: Duplex Ieiunij genus in ſacris literis inuenitur: alterum externum, tantùm ad corpus, internum alterum, ad animum & cor ſpectans. Prius, vti conſtat per exempla, vtriuſque Teſtamenti, abſtinentia eſt ab vſu cibi, potus, & cuiuſcunque corporei alimenti; imò quoad fieri poterit, ab omnibus delicijs, mundaniſque voluptatibus tam priuatis, quàm publicis.

4. Enunciat: Huius autem Ieiunij exercitium ſi fiat cum hac perſuaſione, per eius virtutem nos iuſtificatos, ac cœlum adepturos eſſe, meritis Chriſti, mortique eius multùm detrahitur.

5. Enunciat: Externa Ieiunij actio res per ſe quidem eſt ἀδιάφορος, & res bona cenſeri debet tantùm propter fines, ad quos dirigitur. Hi autem tres præcipuè numerantur. 1. ad carnem caſtigandam, & perdomandam, vt ipſi ſpiritui ſubijciatur. 2. ad excitandum Spiritum ad Deum feruen-

feruentiori ſtudio inuocandum. 3 ad perhibendum teſtimonium coram Diuina Maieſtate indubitatæ humiliationis noſtræ, ac veræ pœnitentiæ pro peccatis noſtris.

6. Enunciat: Leges & conſtitutiones, ſiue Eccleſiaſticæ ſiue Ciuiles de ciborum, alimentorum, aliarúmque rerum vſu, quæ ſunt ἀδιάφορα & mediæ naturæ, non obligant conſcientias Chriſtianorum ad perpetuam earum obſeruantiam; Quin penes poteſtates ſuperiores ius ſit de eiſdem ſtatuendi pro arbitrio ſuo, & prout temporis ac loci ratio poſtulabit.

7. Enunciat: Poſitiuæ leges Principum cohibentium ſubditos ſuos, ſtatis quibuſdam temporibus ab vſu quorundam, ciborum, & potuum (non quòd plus religionis ponant in huius quam illius cibi vſu, ſed in Reipublicæ bonum) obligant conſcientiam: conſcientiam dicimus, non rei ipſius, quæ per ſe ἀδιάφορον exiſtit, ſed obedientiæ noſtræ, quàm lege Diuina Magiſtratui præſtare tenemur, tanquam Dei miniſtro boni publici cauſâ.

Homiliæ quintæ, contra gulam & ebrietatem.

1. ENunciat: Gula atque Ebrietas inter grauiſſima peccata ſunt recenſenda, quæ excludunt nos à regno cœlorum, quæ Dei maledictionem inducunt, obſequij noſtri erga Deum immemores reddunt, ignominia & opprobrio nos operiunt, abundantiam noſtram conuertunt in egeſtatem ac penuriam, & occaſionem præbent nobis in execranda prolabendi ſcelera; qualia ſunt homicidium, adulterium, inceſtus: morbis deniq; inficiunt contagioſis, fœdis, ac noxijs poſteritati, malo denique exemplo lædunt proximos, & vniuerſæ Dei Eccleſiæ ſcandalum præbent.

Homiliæ ſextæ, contra luxum in veſtitu.

1. ENunciat: Veſtimentorum vſum nobis conceſſit Deus Omnipotens non modo neceſſitatis, ſed etiam honeſti decoris atque ornatus cauſâ: quemadmodum videmus herbas atque plantas creatas non ſolum ob neceſſarios vſus, ſed ad oculos etiam paſcendos iucundo aſpectu, ad producendos odores naribus gratos, & ad alia id generis oblectamenta. Cauendum autem eſt in primis, vt veſtitu hoc atque ornatu ſine luxu, ſine vanitate, modeſtè, ac ſobriè vtamur, & cum gratiarum actione. Talis demùm ſit noſter habitus & veſtitus, qui vniuſcuiuſq; noſtrum vocationi, gradui, & conditioni probè conueniat.

Homiliæ

Homiliæ ſeptimæ de Oratione.

1. ENunciat: Ea eſt orationis piæ, ac deuotæ neceſſitas, vt abſque huius ſubſidio nihil boni obtineri liceat à bonitate Diuina. Tantas vires habet, vt in vniuerſo mundo nihil potentius, nihil fortius reperiatur homine pijs & ardentibus precibus dedito.

2. Enunciat: Quotieſcunq; earum rerum inopiâ premimur, quæ vel animi, vel corporis ſalutem ſpectant, recurrendum eſt ad fontem omnium bonorum ipſum Deum, non ad Sanctum vllum, aut Angelum, quia iſti neque cognoſcunt cordis arcana, neque preces noſtras exaudiunt.

3. Enunciat: Duo inprimis ſpectare quiſque pius debet in precibus ſuis, ſuam nempe neceſſitatem, & Dei gloriam. Ita tamen reſpiciat ſuam neceſſitatem, vt primo loco ſtatuat ſpiritualia bona, deinde temporalia à Deo petenda.

4. Enunciat: Pro omnibus hominibus, cuiuſcúnque ſtatus, gradus aut ordinis fuerint, preces nuncupandæ ſunt: Etſi ſciamus eos odio mortali nos proſequi: Præſertim verò nobis orandum eſt pro Magiſtratibus, & Euangelij Miniſtris.

5. Enunciat: Nullum extat verbi Diuini mandatum, quo iubemur pro ijs, qui ex hac vita deceſſerunt, preces effundere: Quia duo tantùm loca agnoſcunt ſacræ Scripturæ poſt hanc vitam, alterum electis, alterum reprobis deſtinatum.

Homiliæ octauæ de Orationis loco, ac tempore.

1. ENunciat: Quamuis præceptum de obſeruando Sabbatho apud Iudæos non tam præciſè obſtringat populum Chriſtianum, quod ad externas cęremonias ſpectat, quales ſunt, abſtinere ab omni labore, etiam tempore ſummæ neceſſitatis, & obſeruatio diei ſeptimi præciſe ſecundum morem Iudaicum. (Nos enim ab ipſis Apoſtolorũ temporibus eorũ praxin ſecuti, primum diem Septimanę Sabbathũ noſtrũ ſtatuimus in honorem Chriſti, qui illo die à mortuis reſurrexit) Quicquid tamen in eo præcepto ad Legem moralem ſpectat, tanquam pium ac ſalutare ad promouendam Dei gloriam ab omnibus Chriſtianis retineri debet, & obſeruari. Oportet igitur ex vi huius mandati de ſanctificatione Sabbathi, vnam Hebdomadis diem ſeligere, in qua à laboribus, atque operibus noſtris abſtinendum eſt, ſanctiſque ſtudijs, ac pijs exercitijs incumbendum.

2 Enunciat: Etiamſi tam corpora, quàm animæ Electorum præcipua ſunt Dei Templa: precéſque noſtras vbiuis locorum Deus exaudiat: exemplo tamen Chriſti, & Apoſtolorum templum materiale tanquam

tanquam domus Dei cum zelo, ac ardenti desiderio nobis frequentandum est; vbi se præsentem fore promisit, & exauditurum eorum preces, qui ipsum verè inuocant.

3. Enunciat: Grauiter ijs succenset Deus, qui eius domum intrant sine veste nuptiali, sine recto corde, & alacri mente, eósque seuerè castigat.

Homiliæ nonæ de precibus publicis, & Sacramentis administrandis.

1. ENunciat: Inter varia Christianæ pietatis exercitia, nullum censeri debet cuiuscúnque conditionis hominibus magis necessarium ac salutare, quàm precum publicarum vsus, & Sacramentorum perceptio. Per alterum enim ea petimus ab eius bonitate, quæ alioqui nullâ ratione impetrare possemus, per alterum vero ipse sese nobis fruendum, & amplectendum proponit.

2. Enunciat: Cùm varia sint precum genera, Publicæ, Priuatæ, Mentales, Vocales, publicæ preces maximam vim habent ad misericordiam à Patre cœlesti consequendam, & ad liberandum nos à malis quibuscúnque.

3. Enunciat: Sacramentum, est visibile signum inuisibilis gratiæ, exhibens aspectui nostro, alijsque sensibus, operationem internam gratuitæ Dei misericordiæ, & obsignans cordibus nostris gratiosas Dei promissiones.

4. Enunciat: Si vocabulum Sacramenti strictiori significatione accipiatur, hoc est, pro signo visibili in Nouo Test. institutionem habente, cui per expressum Dei verbum promissio gratuitæ remissionis peccatorum, sanctificatio naturæ corruptæ, & coniunctio nostri cum Christo adnexa est: Duo tantum sunt Sacramenta, i. Baptismus, & Cœna Domini. Idcirco licet absolutio promissionem habeat remissionis peccatorum, item impositio manuum in Ordinatione Ministrorum, & signum visibile, & promissionem: tamen neque Absolutio Sacramentum est, quia non habet visibile signum in Nouo Test. institutum; Neque Ministrorum ordinatio Sacramentum est, quia non habet promissionem de remissione peccatorum, visibili signo per expressum Dei verbum annexam, sicut nec reliqua, quæ falsò nominantur Sacramenta.

5. Enunciat: Docemur tam ex S. literis, quam exemplis Primæuæ Ecclesiæ, atque veterum Doctorum auctoritate, in administratione precum publicarum, & Sacramentorum nullam linguam peregrinam, vel auditoribus incognitam, vsurpari oportere.

Homiliæ decimæ, ad eorum institutionem, qui locis S. Scripturæ offenduntur.

1. ENunciat S. Scripturæ phrasis, siue locutio, etiamsi curiosis quorundam hominum ingenijs incompta interdum, ac rudis videatur, tales tamen locutiones non absque graui causa, & sensu commodo à Sp. Sancto traduntur. Quamobrem loquendi formulæ à S. Scriptoribus vsurpatæ cum sancta reuerentia sunt accipiendæ, non ioco aut lusu ad iustam nostram condemnationem tractandæ.

2. Enunciat: Polygamia, siue pluralitas vxorum peculiari quodam priuilegio Patribus vet. Testa. quondam fuit permissa: non ad explendam carnis libidinem, sed ad prolem augendam: quia spem concipiebant de benedicto semine ab eorum progenie nascituro, tum etiam precibus suis petebant, vt illud veniret in mundum ad caput Serpentis conculcandum.

3. Enunciat: Cum legimus in S. literis de Noæ ebrietate, Loti incestu &c. Hæc non traduntur in eum finem, vt nos illorum exemplo similia committamus: hoc potius documentum inde debemus sumere: Quod si tanti ac tales viri timore Dei alioqui imbuti, a tantis flagitijs perpetrandis semet proprijs viribus cohibere non potuerint: sed tam grauiter lapsi fuerint, vt sine misericordiæ Diuinæ interuentu in æternum perijssent: quanto magis nobis miseris peccatoribus, qui vix aliquo Dei sensu tangimur, metuendum est iugiter, ne non solum incidamus in peccata, quod ipsis contigit, sed ne peccatis planè subigamur, & obruamur, quod illis non contigit. Ita eorum lapsus contemplantibus dabitur nobis occasio Dei bonitatem assiduè inuocandi, vt gratiam suam salutarem nobis impertiri velit, qua corroborari possimus, & ab omni malo conseruari.

4. Enunciat: Etiamsi pij per ignorantiã, aut infirmitatem labuntur, non tamen ex animo in peccatis ambulant, non persistunt pertinaciter in peccatis, neque peccant sicut homines omni Dei timore exuti, quem sciunt iustissime omnia scelera punire: Sed per Dei gratiam & infinitam misericordiam resurgunt a peccatis, & rursum illis bellum animose indicunt.

5. Enunciat: Præcepta nobis a Christo tradita in Euangelio, Ordini Politico in republica administranda non aduersantur? Quicquid enim Deus tradidit in verbo suo sapientissime atq; commodissime præcipitur, vtcunque homines vani, ac vacui Dei cognitione, & rerum diuinarum ignari aliter sentiant.

6. Enunciat: Qua ratione Iesus Christus reprobis scandalum dicitur, siue lapis offensionis, cum tamen propria sua culpa pereant: eadem ratione

ratione S. literæ eiſdem exitij ipſorum præbent occaſionem propter ſuam incredulitatem. Porrò, ſicut Chriſtus dicitur Reſurrectio, at illis ſolum, qui per adoptionem adſciſcuntur in filios Dei. Ita S. Scriptura eſt potentia Dei ad ſalutem, ſed credentibus tantùm.

7. Enunciat: Nihil traditum inuenitur in vniuerſo S. Codice tam parui momenti (ex prauo ſcilicet humani iudicij ſenſu) quod non conducat ad ſpiritualem intelligentiam, illis nimirum qui in talium locorum ſenſibus enucleandis, diligentem operam & ſtudium adhibebunt.

8. Enunciat: Quoties Dauid in Pſalmis, Dei hoſtibus precatur ignominiam, opprobrium, confuſionem, atque interdum exoptat vt eorum poſteritas intereat inopinato aliquo exitio: Huiuſmodi imprecationibus nemo offendi debet. Is enim Propheta cùm eſſet, inflatus diuino Spiritu, & incenſus zelo ardentiſſimo gloriæ Dei, talia effatus eſt, non ex priuato ſuo erga perſonas odio, ſed errorum, ſcelerum, & corruptelarum (quæ non ſine maximo Eccleſiæ periculo graſſari indies cernebat & augeſcere) internecionem in aduerſarijs Dei cupiebat: Vt etiamſi corporali exitio perirent, tamen eorum animæ ſaluarentur. Quo modo etiam Paulus Apoſtolus inſignem illum fornicatorem Satanæ tradidit. Sed quoniam eiuſmodi precandi formæ eâdem animi rectitudine, ac ſinceritate à nobis concipi nequeunt, propter illam affectuum noſtrorum corruptionem, quâ laboramus, ab illis abſtinendum eſſe cenſemus, præſertim cùm noſtra res priuata agitur.

Homiliæ vndecimæ de Eleemoſynis.

1. ENunciat: Beneficentiam erga pauperes, & opera miſericordiæ exigit à nobis Deus in verbo ſuo. Sunt autem etiam nobiſmet ipſis vtilia atque frugifera: Quæ ſi ſtudioſè ac diligenter exerceamus paupertatis mala nunquam formidabimus. His quodam modo (nempe declaratiuè) remittuntur peccata noſtra, & via nobis ad cœlum munitur. Hæc etiam Deo tam grata & accepta ſunt, ac ſi ſibi ipſi ea præſtarentur, quę indigentibus elargimur.

Homiliæ duodecimæ, de Chriſti Natiuitate & Incarnatione.

1. ENunciat: Cùm homines vniuerſi peccatores euaſerant ex primo Adami peccato, atque hæredes facti eſſent æternæ damnationis, placuit Deo ex infinita ſua miſericordia, promiſſum ſuum edere de Meſſia vel Mediatore in hunc mundum mittendo, qui & iram Dei aduerſus peccatum placaret, hominémque ex miſeriæ abyſſo, in quam fuerat lapſus, liberaret.

2 Enun-

2. Enunciat: Iſte autem Meſſias, ſiue Mediator Ieſus Chriſtus fuit natus ex Maria Virgine. Neceſſitas enim noſtræ ſatutis talem nobis requirebat Mediatorem exhiberi, qui vtriúſque naturæ, humanæ ac diuinæ particeps, ſub vna & eadem perſona, verè θεάνθρωπος eſſet, hoc eſt, Deus & Homo. Hominem oportuit eſſe, quoniam ſicut per hominem tranſgreſſio orta eſt, ita æquum erat, vt per hominem ſatisfactio fieret. Porrò Chriſtus indutus carne in cœlum aſcendens exhibet nobis certiſsimum teſtimonium, omnes fideles in eum credentes, in eandem manſionem tandem peruenturos. Ingens quoque ſolatium percipitur ex illius Incarnatione, dum vel preces noſtras offerimus, vel rerum anguſtijs premimur, quando conſideramus eum fuiſſe hominem, eiſdem quibus nos, infirmitatibus obnoxium.

3. Enunciat: Quinetiam Deum eſſe æquè neceſſarium fuit, quia nulla creatura pura poteſtatem habet, vel habere potuit Mortem abſorbendi, vitámque reſtituendi, Infernum vincendi, & Cœlum aſſequendi. Eius autem ἐνανθρώπησις vel aſſumptionis carnis noſtræ finis erat, vt Legem noſtri cauſâ impleret, & oppreſſos peccati onere liberaret, Principem huius ſeculi foras eijceret, nos Deo reconciliaret, ac opera Diaboli deſtrueret, vt ſeſe denique propitiationem præberet pro peccatis noſtris, neque verò noſtris tantùm, ſed pro totius mundi peccatis.

Homiliæ decimæ tertiæ De Paſsione Chriſti.

1. ENunciat: Chriſti paſſio non modò λύτρον exiſtit, & compenſatio pleniſſima pro peccatis noſtris: ſed & inſuper præbet nobis perfectiſsimum omnis charitatis, & patientiæ exemplum.

2. Enunciat: Paſſionis Chriſti tum demum memores ſumus, & fructum ex eo percipimus, quando firmâ fide ipſius meritis adhæremus, quando operam noſtram, facultates ac vires noſtras impendimus ad vtilitatem proximi procurandam. Sic enim Chriſtus ſeipſum exhauſit, & exinaniuit, vt nos diuites redderet.

3. Enunciat: Quantum peccati odium in nobis excitare debuit hæc mortis Chriſti contemplatio: dum cogitamus ad expianda delicta noſtra oportuiſſe vnigenitum Dei Filium indumento carnis noſtræ veſtiri, mortem acerbiſsimam obire, imò mortem crucis viliſsimam & maximè ignominioſam.

4 Enunciat: Mors Chriſti, eiuſque Paſſio tanquam ſalutare remedium vulneribus noſtris applicatur per firmam, & viuificam fidem. Hæc autem eſt fiducia in Dei miſericordia, qua ſumus perſuaſi Deum nobis propitium eſſe, peccatis noſtris ignoſcere, noſque in gratiam accipere, idque ſolum pro mortis ac Paſſionis Chriſti meritis.

Homiliæ decimæ-quartæ, de Christi Resurrectione.

1 ENunciat: Constat tanti ponderis esse hunc Articulum de Christi Resurrectione, vt maioris eius confirmationis causâ non recusauerit Seruator noster post glorioſam ſuam Resurrectionem à morte ad vitam, per ſpacium quadraginta dierum in terris commorari: quo ſcilicet altiores radices ageret in cordibus diſcipulorum ſuorum, atque adeo fidelium omnium, iſtius Articuli veritas.

2 Enunciat: Non erat nobis ſatis ad plenam beatitudinem, vt per mortem Christi liberaremur à peccatis, niſi virtute illius Reſurrectionis, iuſtitiâ quoque Christi indueremur. Neque prodeſſet, nos è mortis faucibus ereptos eſſe, niſi ipſe reſurgens aperuiſſet cœli portas, vt nos etiam ad vitam æternam ingrediremur.

3 Enunciat: Ea eſt vis & efficacia Reſurrectionis Chriſti, vt ſi vera, & viua fide nobis applicetur, poſſit nos conformes ipſi Chriſto facere vitæ nouitate, hoc eſt, ac Sanctimonia.

Homiliæ decimæ-quintæ, de digna S. Cœnæ perceptione.

1 ENunciat: Memoria mortis Chriſti ad Menſam Domini à fidelibus ritè celebrata, non modo illorum gratitudinem excitat, verum etiam internum quoque hominem afficit Spirituali quodam gaudio, animique tranquillitate, cogitque quodammodo fideles Dei ſeruos Redemptori tam benifico ſe gratos oſtendere per vitæ Sanctitatem, & pietatis ſtudium.

2 Enunciat: Tria cenſentur ei neceſſaria, qui cùm fructu cupit ad Menſam Dominicam accedere. Primò, vt rectè iſtud Myſterium intelligat, hoc eſt, non eſſe nudum ſignum rei abſentis, ſed corporis, & ſanguinis Domini participationem, per fidem & Spiritus Sancti operationem. Ex quo fit, vt non ſolum animæ ad vitam æternam enutriantur, ſed etiam ſpe certa ſuo tempore corpora reſurgant ad immortalitatem. Deinde ei cauendum, ne Sacrificium commemorationis conuertat in Sacrificium proprium, ſiue materiale, vel communem Cœnam mutet in conuiuium priuatum, vel alteram partem cœnæ ſumat, alteram omittat, vel illud præpoſterè applicet defunctis, quod in beneficium viuorum inſtitutum eſt. Tertiò requiritur, vt ad S. Menſam accedat firma fide munitus, qua Chriſtum ſibi proprium efficit, dum ipſius merita ſibi ipſi applicat. Poſtremò, dignum huius cœnæ conuiuam adferre ſecum oportet vitæ nouitatem, probitatis, & ſanctimoniæ ſtudium.

Homiliæ

Homiliæ decimæ-ſextæ, de deſcenſu Spiritus Sancti, & eius donis in Feſto Pentecoſtes.

1 ENunciat: Spiritus Sancti eſt eſſentia Diuina & ſpiritualis, Tertia deitatis in Trinitate perſona, à Patre atque Filio diſtincta, ab vtroque tamen promanans.

2 Enunciat: Inter opera mirabilia Spiritus Sancti, quibus palam orbi patefecit diuinam ſuam potentiam, primum occurrit Patriarcharum & Prophetarum priſci temporis inſpiratio & illuminatio, qui Prophetiæ dono præditi, atque futuri Meſſiæ quadam cognitione imbuti de rebus, multis poſt ſeculis, euenturis veriſſimè prædixerunt. Secundò, Spiritus Sancti admirabilis virtus apparuit in Seruatoris noſtri conceptione ac incarnatione. Tertio in humani generis interna ἀναγέννησιν ſiue regeneratione atque ſanctificatione. Eius enim ſolius inſtinctu piorum corda excitantur ad bona opera facienda, quæ Deo habentur grata, vtpote voluntati eius conformia. Quare ſi quis perſpiciat opera ſua ad normam verbi Diuini congruere, poteſt certò ſibi perſuadere, ſe Spiritu Sancto imbutum eſſe.

3 Enunciat: Cum Chriſtus Seruator pollicitus eſſet diſcipulis ſuis, ſe miſſurum illis alium Paracletum, qui in omnem veritatem eos perduceret, non ſolis Apoſtolis ſuis alligauit hanc promiſſionem, ſed eam pertinere voluit ad vniuerſam Eccleſiam, quam per omnes mundi ætates præſentia ſua conſeruat, & gubernat.

4. Enunciat: Vtcunque vero Spiritus Sancti præſentia Eccleſiæ promiſſa eſt, Romana nihilominus Eccleſia eum ſibi nullo iure poteſt vendicare. Quoniam Eccleſia vera, cui facta eſt iſta promiſſio, fidelium eſt congregatio, & Electus Dei populus: Domus eſt ſuperſtructa fundamento Prophetarum & Apoſtolorum, cuius præcipuus & angularis lapis eſt ipſe Chriſtus: & huius Eccleſiæ ſunt duæ notæ, quibus præcipuè dignoſcitur, Sana nimirum, & incorrupta doctrina, & Sacramentorum iuxta inſtitutionem Chriſti recta adminiſtratio. At ab iſtiuſmodi Eccleſia plurimùm abhorret Eccleſia Romana, qualis iam exiſtit, quia neque retinet Chriſti doctrinam ab humano fermento puram, neque Sacramenta eius adminiſtrat eo modo, quo ipſe præſcripſit Verbo ſuo.

Homiliæ 17. pro Rogationis Septimana.

1. ENunciat: Omnes ſpirituales gratiæ, & dona, & quodcunque bonum ſiue ad animam ſpectans, ſiue ad corpus, ſiue extra corpus a ſolo Deo tanquam omnis bonitatis fonte & authore dimanant.

Homiliæ decimæ-octauæ, de Matrimonii ſtatu.

1. ENunciat: Matrimonium a Deo inſtitutum eſt, vt vir & fœmina in legitima & amica ſocietate vitarent fornicationem, liberos procrearent ad Chriſti regnum & Eccleſiam propagandam.

2. Enunciat: Concordia inter coniuges eſt res adeo cœleſtis, & diuina, vt diligenti & deuota ad Deum oratione præcipuè ſit fouenda.

Homiliæ contra otium decimæ-nonæ.

1. ENunciat: Homo ad otium, & quietem minimè naſcitur, ſed vt iuxta ſuam vocationem, aut mente, aut corpore, aut vtroque ad huius vitæ compendia honeſtè paranda, & bonum proximi promouendum, ſudet & laboret.

Homiliæ vicesimæ, de pœnitentia.

1. ENunciat: Medium pacandi Deum iratum, quando pœnas nobis infligere decreuerit, eſt toto corde à peccatis noſtris ad Deum, per pœnitentiam & fidem in Chriſtum, noſmet conuertere.

2. Enunciat: Qui veritatem agnitam penitus deſerendo, Chriſtum eiuſque verbum odio proſequendo peccant in Spiritum Sanctum, deſperationis barathro immerguntur, & nequeunt reſipiſcere.

3. Enunciat: Quatuor ſunt pœnitentiæ partes. 1. Cordis contritio propter peccata. 2. Syncera & ſeria peccatorum agnitio, & confeſſio coram Deo. 3. Viua fides in promiſſionibus Euangelij. 4. Noua vita, & in edendis fructibus pœnitentia dignis, actuoſa.

4. Enunciat: Vtcunque fideles iuxta Dei verbum, ſibi inuicem confiteri peccata teneantur, ad fraternam reconciliationem ineundam; tamen auricularis confeſſio Sacerdoti enunciata nullum habet fundamentum in ſacris literis.

5. Enunciat: Quatuor præcipua ſunt reſipiſcentiæ motiua. 1. Dei mandatum. 2. gratioſæ promiſſiones factæ peccatoribus reſipiſcentibus. 3. Peccati fœditas & ſpurcities. 4. Vitæ noſtræ breuitas & fragilitas.

De

De Epiſcoporum & Miniſtrorum conſecratione.

LIbellus de conſecratione Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & ordinatione Presbyterorum, & Diaconorum, editus nuper temporibus Eduardi ſexti, & auctoritate Parliamenti illis ipſis temporibus confirmatus, omnia ad eiuſmodi conſecrationem & ordinationem neceſſaria continet: & nihil habet quod ex ſe ſit aut ſuperſtitioſum aut impium: itaque quicunque iuxta ritus illius libri conſecrati aut ordinati ſunt, ab anno ſecundo prædicti Regis Eduardi vſque ad hoc tempus, aut in poſterum iuxta eoſdem ritus conſecrabuntur aut ordinabuntur, ritè atque ordine atque legitimè ſtatuimus eſſe & fore conſeruatos & ordinatos. 36.

De ciuilibus Magiſtratibus.

REgia maieſtas in hoc Angliæ regno, ac cæteris eius dominijs ſummam habet poteſtatem, ad quam omnium ſtatuum huius regni, ſiue illi Eccleſiaſtici ſunt, ſiue Ciuiles in omnibus cauſis ſuprema gubernatio pertinet, & nulli externæ iuriſdictioni eſt ſubiecta, nec eſſe debet. 37.

Cùm Regiæ Maieſtati ſummam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus animos quorundam calumniatorum offendi, non damus Regibus noſtris, aut verbi Dei, aut Sacramentorum adminiſtrationem, quod etiam iniunctiones ab Elizabetha Regina noſtra nuper editæ, apertiſſimè teſtantur. Sed eam tantùm prærogatiuam quam in ſacris Scripturis à Deo ipſo, omnibus pijs Principibus videmus ſemper fuiſſe attributam: hoc eſt, vt omnes ſtatus atque ordines fidei ſuæ à Deo commiſſos, ſiue illi Eccleſiaſtici ſint, ſiue Ciuiles in officio contineant, & contumaces ac delinquentes gladio ciuili coerceant. Romanus Pontifex nullam habet iuriſdictionem in hoc regnum Angliæ. Leges regni poſſunt Chriſtianos propter capitalia & grauia crimina morte punire. Chriſtianis licet ex mandato magiſtratus arma portare & iuſta bella adminiſtrare.

De illicita bonorum communicatione.

FAcultates & bona Chriſtianorum non ſunt communia quoad ius & poſſeſſionem, (vt quidam Anabaptiſtæ falſo iactant) debet tamen quiſq; de his quæ poſſidet, pro facultatum ratione pauperibus eleemoſynas benignè diſtribuere. 38.

De Iureiurando.

39. QVemadmodum iuramentum vanum & temerarium à Domino nostro Iesu Christo & Apostolo eius Iacobo, Christianis hominibus interdictum esse fatemur: ita Christianorum Religionem minimè prohibere censemus, quin iubente magistratu in causa fidei, & charitatis iurare liceat, modò id fiat iuxta Prophetæ doctrinam, in iustitia, in iudicio, & veritate.

Confirmatio Articulorum.

HIc liber antedictorum articulorum iam denuò approbatus est per assensum & consensum serenissimæ Reginæ Elizabethæ Dominæ nostræ, Dei gratia Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginæ, defensoris fidei, &c. retinendus, & per totum regnum Angliæ exequendus. Qui articuli & lecti sunt, & denuò confirmati subscriptione D. Archiepiscopi, & Episcoporum superioris domus, & totius cleri inferioris domus in conuocatione, Anno Domini 1571.

LIBER

LIBER PRECVM PVBLICARVM, ADMINISTRATIONIS SACRAMENTORVM:

Aliorumq; Rituum,

ET CEREMONIARVM

IN ECCLESIA

ANGLICANA.

NIHIL vnquam fuit humanâ ſapientiâ tam bene conſtitutum, aut conſtabilitum firmiùer, quod p roceſſu temporis non vergit in deterius, & à prima integritate multùm diſcedit. Et vt alia exempla taceamus, hoc manifeſtum eſt in publica diuini cultus forma, quam veteres Liturgiam vocare conſueuerunt. De huius origine ſiquis conſulat authenticos Scriptores, inueniet non alia ratione inſtitutam eſſe, quàm vt fides, pietas, ac Religio creſcerent, & doctrina Chriſtiana latiùs propagaretur. Nam ſancti Patres ita illam ordinârunt, vt tota Sancta Biblia, aut maior horum pars in eâ ſemel in anno perlegeretur, hoc conſilio, vt clerici, & præſertim Eccl'ſiæ Miniſtri frequenti ſacræ Scripturæ lectione, & meditatione, ſeipſos excitarent ad pietatem, inſtructiores redderentur ad Eccleſiam verbo vitæ paſcendam, & ad ſanæ doctrinæ aduerſarios coarguendos. Deinde, vt populus ex quotidiana Sacrorum librorum lectione in Templis adoleſceret ſubinde magis ac magis in veræ cognitione Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, & veræ Religionis ſtudio ac amore accenderetur. Sed multis retrò abhinc annis, hæc pia & ſalutaris Patrum conſtitutio ita neglecta, & immutata fuit additione inanium repetitionum incertarum hiſtoriarum, Reſponſoriorum, lectionem ex Patribus, vt Synodalibus conſtitutionibus, vt ſemper ferè cum inciperetur liber aliquis ſacer legi, priuſquam trium aut quatuor capitum lectiones abſoluerentur, pro reliqua libri parte legendâ nihil temporis ſupereſſet. Exempli gratia; Viſio Eſaiæ Prophetæ incipiebatur prima Dominica Aduentus, ſimiliter liber Geneſios, Dominica Septuageſimæ: ſed incipiebatur tantùm, quia nunquam finiebatur, & ad hunc modum reliqui ſacræ Scripturæ libri mutilatè legebantur. Præterea etiamſi Paulus inbeat ſacram lectionem fieri linguâ vulgari & notâ, vt indè Eccleſia ædificetur, tamen aliquot ſeculis ſacri Libri prelegebantur Anglis Latinè, vt is qui legeret plerunque daret ſine mente ſonum, & vox tantum aërem & auris feriret, cor verò & Spiritus fructu vacarent. Adhæc, etſi Sancti Patres diuiſerunt Pſalmos in ſeptem partes, quas nocturnas preces vocant, vt Pſalterium integrum ſingulis ſeptimanis abſolueretur, rarò tamen his poſterioribus ſeculis huic ordinationi fuit ſatisfactum, ſed ſingulis diebus iidem Pſalmi repetebantur, aliis interim omninò omiſſis. Poſtremò, tantus fuit numerus, tanta varietas regularum, vt loquebantur Pice, tot mutationes in officio Eccleſiaſtico, vt reuolutio libri ad inueniendum quid legeretur, plus negotij & difficultatis faceſſeret, quàm lectio eius quod fuerat inuentum. Horum & ſimilium incommodorum conſideratione, officium Eccleſiaſticum iuxta ſanctorum Patrum conſilium ad primam inſtitutionem reuocauimus. Et vt omnia ſint in promptu, præfixum eſt Calendarium facile intellectu, & in quo quantum fieri potuit, totius Scripturæ continua lectio ordine proponitur, ita vt nulla ſit interruptio aut ſeparatio locorum in ſacris,

cris Bibliis coniunctorum. Hoc vt commodè fieret, necesse fuit omittere Antiphonas, Responsoria, Imitatoria, & alia quædam similia, quibus perpetuus contextus, & continua Scripturæ lectio fuit interrupta. Et quia conducit ad huius ordinis & perpetui contextus sacrorum librorum intellectum, præmittere quosdam Canones, ideò aliquos huic operi præfigimus, qui vt numero pauci, ita intellectu sunt facillimi: quamobrem hic sacrarum lectionum ordo, ita dispositus, proprius ad sanctorum Patrum institutа accedit, & multò commodior & vtilior est, quàm fuerit ille quo anteà vsi sumus. Quod autem maiorem habet vtilitatem, vel ex eo facilè intelligi potest, quòd in eo multa incerta, quædam conficta, nonnulla superstitiosa expunguntur, & nihil iam contineat præter purum Dei verbum, & sacras literas, vel quòd euidenti & necessariâ consecutione ex istis deducitur, idque tam perspicuâ methodo, & eo idiomate, vt à lectoribus & auditoribus haud difficilè percipi & retineri possit. Est præterea hæc ordinatio commodior propter breuitatem, regularum paucitatem & perspicuitatem. Et quia Ecclesiæ Ministri hoc tantum libro, & diuinis codicibus vtuntur in peragendis sacris, plebs in libris ad publicum Dei cultum necessarijs coemendis minori quàm anteà sumptu onerabitur. Est & illud in hac ordinatione laudabile & decorum, quòd in omnibus huius regni Ecclesiis, eædem sunt lectiones & cautiones, cùm anteà singulæ Diœceses suam habuerint ordinationem, dum alij Salisburiensem, alij Herfordiensem, alij Eboracensem, aut Lincolniensem vsum &c. sequerentur.

Si autem quispiam queratur difficilem esse hanc ordinationem, propterea quòd oportet illic iam omnia ex libro recitari, cùm anteà ex solo auditu propter crebram repetitionem multa addisci potuissent: is si vtilitatem & scientiam, quam ex quotidiana sacrorum librorum lectione consequeretur, cum labore conferet, facile hanc molestiam deuorabit. Quia verò nulla ordinatio tam perspicuè institui potest, de qua in quotidiano vsu non oriantur interdum dubitationes, constitutum est, vt quoties inter Ministros huiusmodi dubia occurrunt, deferantur ad Diœcesis Episcopum, aut illo ambigente, ad Archiepiscopum, quorum iudicio in hac re acquiescent, modò nihil constituant, quod palam huic ordinationi aduersetur.

Et quamuis hâc Præfatione constitutum est, vt in Ecclesia omnia linguâ Anglicanâ psallantur & legantur, eum scilicet in finem, vt tota Congregatio ex eo ædificetur, neutiquã tamen prohibetur, quin qui preces Matutinas & Vespertinas priuatim recitant, easdẽ in lingua quacunq; sibimet intellecta recitare possint. Omnes item Ministri & Diaconi preces Matutinas & Vesperitnas singulis diebus publicè vel priuatim perlegere obstringentur, nisi aut prædicando, aut studio Theologiæ incumbendo, aut aliâ aliquâ graui causâ impediantur. Parochi similiter qui in Ecclesijs Parochialibus aut Sacellis ministrant, domi existentes, & nullâ legitimâ causâ impediti, in Ecclesia Parochiali, vel Sacello vbi ministrant, easdem preces perlegent, & aliquantisper antequam incipiunt, campanam pulsabunt, ab alijs necessarijs occupationibus liberi, ad verbũ Dei audiendum, & comprecandum conuocentur.

Index

Index & Calendarium quo exprimitur ordo Pſalmorum & Lectionum, ad preces Matutinas & Veſpertinas

per totum annum, exceptis quibuſdam feſtis proprijs, quemadmodum regulæ ſubſequentes planiùs explicabunt.

TOtum Pſalterium prælegitur ſingulis menſibus : & quia non eſt idem numerus dierum in omnibus, ſed aliqui plures, aliqui pauciores dies habent, placuit eos pares facere, quantum ad numerum dierum, hac ratione.

Cuilibet Menſi, quantum ad noſtrum inſtitutum attinet, deputantur triginta dies.

Et quia Ianuarius & Martius vnum & triginta habent dies in Calendarijs, & horum medio Februarius viginti octo tantùm, ideò is ab vnoquoque illorum vnum mutuabitur diem. Ita vt Pſalterium quod legi debet menſe Februario, incipiatur vltimo Ianuarij, & finiatur primo Martij.

Cum autem Maius, Iulius, Auguſtus, October & December, ſinguli triginta & vnum dies habeant, conſtitutum eſt, vt Pſalmi qui penultimo die leguntur, ſequente etiam die, id eſt, vltimo, repetantur, vt Pſalterium primo die ſequentium menſium poſſit incipi.

Iam ad intelligendum qui Pſalmi ſingulis diebus debeant prælegi, inſpice numerum in Calendario, qui adſcriptus eſt Pſalmis, & tunc quære eundem numerum in hac tabula, quo inuento, videbis, qui Pſalmi ad preces Matutinas & Veſpertinas debeant recitari.

Quia vero Pſalmus 119. diuiſus eſt in 22. periodos, & prolixior eſt, quàm vt vno tempore legatur, conſtitutum eſt, vt vna vice quatuor aut quinque periodi tantum legantur, vt in tabula ſignatum deprehendes.

Hoc autem conſiderandum eſt, quod in hac tabula, & in tota ordinatione, vbi mentio fit de numero Pſalmorum, ſequuti ſimus ſupputationem Hebræorum.

Sequitur tabula monſtrans ordinem Pſalmorum, ad Matutinas & Veſpertinas preces.

PSALMI.

Dies.	Matutinæ.	Vespertinæ.
1	1.2.3.4.5.	6.7.8.
2	9.10.11.	12.13.14.
3	15.16.17.	18.
4	19.20.21.	22.23.
5	24.25.26.	27.28.29.
6	30.31.	32.33.34.
7	35.36.	37.
8	38.39.40.	41.42.43.
9	44.45.46.	47.48.49
10	50.51.52.	53.54.55.
11	56.57.58.	59.60.61.
12	62.63.64.	65.66.67.
13	68.	69.70.
14	71.72.	73.74.
15	75.76.77.	78.
16	79.80.81.	82.83.84.85.
17	86.87.88.	89.
18	90.91.92.	93.94.
19	95.96.97.	98.99.100.101.
20	102.103.	104.
21	105.	106.
22	107.	108.109.
23	110.111.112.113.	114. 115.
24	116.117.118.	119. Inde.4.periodi.
25	Inde 5.periodi eiusdem.	Inde 4.periodi eiusdem.
26	Inde 5. periodi eiusdem.	Inde 4.vltimi eiusdem.
27	120.121.122.123.124.125.	126.127.128.129.130.131.
28	132 133.134.135.	136.137.138.
29	139.140.141.	142.143.
30	144.145.146.	147.148.149.150.

Ordo

Ordo quo reliqua Scriptura præter Pſalterium perlegatur.

VETVS Teſtamentum, tam in Matutinis quàm in Veſperis primis lectionibus deſtinatur, & ſingulis annis totum abſolui debet, quibuſdam tantùm libris & capitibus exceptis, quæ omittuntur, propterea quod ad ædificationem minùs ac reliqua conferre videantur.

Nouum Teſtamentum, alteri lectioni inſeruit in Matutinis & Veſperis: & ſingulis annis ter perlegetur, vnà cum Epiſtolis & Euangelijs, excepta Apocalypſi, ex qua lectiones aliquot depromptæ Feſtis quibuſdam proprijs deſignantur.

Vt autem ſcias quæ lectiones quolibet die legi debeant, quære diem Menſis in ſequenti Calendario. Iſthic enim libros & capita inuenies lectionum, quæ ad Matutinas & Veſperas recitabuntur.

In Feſtis mobilibus, immobilibus, & Dominicis quæ proprios habent Pſalmos & Lectiones, omittentur Pſalmi & Lectiones nominatæ in Calendario.

Sciendum eſt etiam, Collectam, Epiſtolam, & Euangelium Dominicæ diei, repeti per totam ſeptimanam, niſi inciderit Feſtum quod proprium habet officium.

In Boliſmo vel Biſſextili, quo viceſimus tertius dies Februarij in duos diuiditur, vtriuſque diei idem eſt officium.

Vbicunque principium Lectionis, Epiſtolæ vel Euangelij non exprimitur, incipiendum eſt a principio capitis.

Et vbicunque non exprimitur finis Lectionis, legendum eſt ad finem capitis.

Quoties primum caput diui Matthæi legitur, vel pro Lectione, vel pro Euangelio, incipies ab his verbis: *Ieſu verò Chriſti Natiuitas ſic habet, &c.* Et tertium caput Euangelij ſecundum diuum Lucam: legetur ad hæc verba: *Vt putabatur filius Ioſeph.*

Lectiones

Lectiones propriæ quæ pro primis Lectionibus recitabuntur, per totum annum, diebus Dominicis, ad Preces Matutinas, & Veſpertinas. Et pro quibuſdam etiam diebus ſolennioribus *Lectiones Secundæ.*

℣ *Dominica de Aduent.*	¶ *Matutinæ.*	*Veſpertinæ.*
1	Eſa. 1.	Eſa. 2.
2	5	24
3	25	26
4	30	32
℣ *Dominica poſt Natalē Domini.*		
1	37	38
2	41	43
℣ *Dominica poſt Epiphaniam.*		
1	44	46
2	51	53
3	55	56
4	57	58
5	59	64
℣ *Septuageſima.*	Gen. 1.	Gen. 2.
℣ *Sexageſima.*	3	6
℣ *Quinquageſima.*	9	12
℣ *Quadrageſimæ.*		
1	19	22
2	27	34
3	39	42
4	43	45
5	Exo. 3.	Exo. 5.
6	9	10
℣ *Paſchæ.*		
1. Lectio.	Exo. 12.	Exo. 14
2. Lectio.	Rom. 6.	Act. 2.

℣ *Dominicæ poſt Paſcha.*	℣ *Matutinæ.*	℣ *Veſpertinæ.*
1	Num. 16.	Num. 22.
2	23	25
3	Deut. 4.	Deut. 5.
4	6	7
5	8	9
℣ *Dominca poſt Aſcenſionem.*	Deu. 12	Deu. 13.
℣ *Die Pentecoſtes.*		
1. Lectio.	Deut. 16	Sap. 1.
2. Lectio.	Act. 10. Aperiēs autem Petrus os, &c.	Act. 19. Factū eſt autē cū Apollo eſſet cor &c. vſq; ad his autē expletis
℣ *Dominica Trinitatis.*		
1. Lectio.	Gen. 18.	Ioſue. 1.
2. Lectio.	Matt. 3.	
℣ *Dominica poſt Trinitatem.*		
1	Ioſu. 10.	Ioſu. 13.
2	Iudic. 4.	Iudic. 5.
3	1. Reg. 2.	1. Reg. 3
4	12	13
5	15	16
6	2. Reg. 22	2. Reg. 21
7	22	24
8	3. Reg. 13.	3. Reg. 17
9	18	19

Dominica post Trinitatem.	*Matutinæ.*	*Vespertinæ.*
10	3.Reg.21.	3.Reg.22.
11	4.Reg.5	4.Reg.9.
12	10	18
13	19	23
14	Iere.5.	Iere. 22.
15	35	36
16	Ezec. 2.	Ezec. 14
17	16	18
18	20	24
19	Dan.3.	Dan.6.
20	Ioel 2.	Mich.6.
21	Abac.2.	Pro. 1.
22	Pro. 2.	3
23	11	12
24	13	14
25	15	16
26	17	19

Propriæ Lectiones Festorum dierum.

Dies.	*Matutinæ.*	*Vespertinæ*
Andr. Apost.	Pro.20.	Pro. 21.
Tho. Apost.	23	24
℣ *Natalis Domini.*		
1.Lectio.	Esa.9.	Esa. 7. ver. 10,ad finem.
2.Lectio.	Luc.2. vsq; ad hominibusbonæ voluntatis.	Tit.3. v.4.ad fin.
Stephani protho-martyris.		
1.Lectio.	Pro. 28.	Eccle. 4
2.Lectio.	Act.6.&7 Stepha.plenus vsq; ad Et post. 40.	Act. 7. vers.30.ad vers.55.
Iohannis Euangelist.		
1.Lectio.	Eccles.5	Eccles.6
2.Lectio.	Apo.1.	Apo.22

Dies.	*Matutinæ.*	*Vespertinæ*
Innocentum.	Iere. 31. ad vers.18	Sap. 1.
Circumcisio.		
1.Lectio.	Gen.17.	Deu.10. v.12.ad fin.
2.Lectio.	Rom.2.	Col. 2.
℣ *Epiphaniæ.*		
1.Lectio.	Esa. 40.	Esa. 49.
2.Lectio.	Luc.3. ad v.23.	Ioan.2. ad ver.12.
Conuers. Pauli.		
1.Lectio.	Sap.5.	Sap. 6.
2.Lectio.	Act.22. ad ver. 22	Act. 26.
℣ *Purificationis Mariæ Virg.*	Sap.9.	Sap. 12.
Matthiæ Apost.	Sap.19.	Eccles.1
Annun. Mar.	Eccles. 2.	Eccles 3
Fer.4. ante Pa.	Osee 13.	Osee. 14
Cœna Dom.	Dan.9.	Iere.31.
Parascenes.	Gen.22.	Esa. 53.
Vigilia Pasch.	Zach.9.	Exo. 13.
Feria 2.post Pascha.		
1.Lectio.	Exo.16.	Exo.17.
2.Lectio.	Matt.28	Act.3.
Feria 3. post Pascha.		
1.Lectio.	Exo.20.	Exo.32.
2.Lectio.	Luc.24 vsq; ad Et ecce duo.	1.Cor.15.
Marci Euang.	Eccle.3.	Eccles.5
Phil. & Iacob.	7	9
Ascensionis Domini.	Deu. 10	4.Reg.2

Dies.	Matutina.	Vespertina
Feria 2. post Pentecostes.		
1.Lectio.	Gen.11. ad ver.10.	Nom. 11 vers.16.ac vers.30.
2.Lectio.	1.Cor.12.	
Feria tertia.	1. Reg. 19. vers. 18.ad fin.	Deu.30.
Barnabæ Apostoli.		
1.Lectio.	Eccle. 10.	Eccles.12
2. Lectio.	Act. 14.	Act. 15. ad ver. 36.
Iohannis Baptistæ.		
1. Lectio.	Mal.3.	Mal.4.
2.Lectio.	Mat.13.	Mat.14. ad ver.13.

Dies.		
Petri Apostoli.		
1.Lectio.	Eccles.15	Ecclus.19
2.Lectio.	Act.3.	Act.4.
Iacobi Apostoli.	Eccles.21	Ecclus.23
Bartholom.	25	29
Matthæi Apost.	35	38
Michaelis Archangeli.	Ecclus.39	Ecclus.44
Lucæ Euang.	51	Iob.1.
Sim. & Iudæ.	Iob 14.21	Iob.42.
Omnium Sanctorum. 1.Lectio.	Sap.3. ad ver.13	Sap.5. ad ver.17
2.Lectio.	Heb.11. vers.34 cha.12 vers.7.	Apo.19 ad vers. 7.

Psalmi proprij Festorum.

	Matutina.	*Vespertina.*
Die Natalis Domini.	Psal.19.45.85.	88.110.132.
Die Paschæ.	Psal.2.57.111.	113.114.118.
Die Ascensionis Domini.	Psal.8.15.21.	24.68.108.
Die Pentecostes.	Psal.46.67.	104.145.

DE

De Anno & partibus eius.

ANnus propriè est illud spatium temporis, quo Sol totum suum Zodiacum siue signiferum peragrat: quod tempus comprehendit dies 365. & sex horas fermè: Qui dies efficiunt hebdomadas 52. & diem præterea vnum.

Sex illæ horæ quater collectæ, integrum diem, quarto quoque anno efficiunt intercalandum. Qui dies ita inserendus videbatur, vt temporum ratio Solis itineri perpetuò congrueret, vtque Solstitia & Æquinoctia, cæteraque anni tempora, eosdem menses tanquam sedes obtinerent: quòdque dies reliqui omnes, adeoque festa Immobilia, quæ vocant, easdem literas retineant, nec suis sedibus pellantur.

Quare in anno quarto, legendum est in fine mensis Februarij, videlicet 25. die, in sede litera F, bis Mat. Mat. vt sextus dies Kalendarum (inde anno nomen Bissexto vel Bissextili) bis nominetur, propter diem illum quarto quoque anno ibidem inserendum. Vnde prima ex duabus illius anni literis Dominicalibus seruit vsque ad diem 24. Februarij, secunda verò inde vsque ad anni finem.

Hebdomadæ siue Septimanæ.

Annus Solaris siue Communis habet Hebdomadas 52. & vnum diem. Præterea Hebdomada habet dies septem. Horum appellationes partim à recepto vsu Ecclesiæ, partim à Iudæis & Astrologis ad nos transmissæ sunt, quorum diuersitatem hæc tabella ostendit:

Iudæi			*Astrologi*	*Christiani*	
Prima vel vna Sabbatorum			Solis	Dominicus dies.	
Secunda	Sabbat.	Dies	Lunæ	Secunda	Feriæ.
Tertia			Martis	Tertia	
Quarta			Mercurij	Quarta	
Quinta			Iouis	Quinta	
Sexta			Veneris	Sexta	
Sabbatum			Saturni	Septima	

Cyclus Solaris.

Mutatio literæ Dominicalis partim contingit ob reliquum diem super integras hebdomadas, partim ob ἐμβόλισμον quaternis annis recurrentem, non potest ipsa in sua principia reuolui citiùs, quam viginti octo annorum perpetuo interuallo. Quater enim 7. efficiunt 28. Proinde hic Cyclus literarum Dominicalium complectitur 28. annos, & vocatur Solaris, quia ab ipsius ambitu per signiferum pendet. Cuius initium a Bissextili anno, in quo prior litera Dominicalis G esset, posterior F, non inconcinnè factum est, nempe vt anticipatio illa à postrema litera in primam recurreret.

Ipſum Cyclum hic in tabella ſubijcimus.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	*Cyc. Sola.*
G	E	D	C	B	G	F	E	D	B	A	G	F	D	*Lit. Dom.*
F				A				C				E		*Biſſextil.*
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24					*Cyc. Sola.*
C	B	A	F	E	D	C	A	G	F					*Lit. Dom.*
		G				B								*Biſſextil.*
25	26	27	28											*Cyc. Sola.*
E	C	B	A											*Lit. Dom.*
D														*Biſſext.*

Iam vt huius tabellæ vſus ſit, tribue anno Domini 1560. vnitatem, proximo binarium, tertio inde ternarium, donec ad finem perueniat. Itaque annus hic præſens 1560. currentis Cycli Solaris eſt, 1, qui pariter cum 1587. anno terminabitur, ita vt anno 88. ſupra 1500. ordo iterum redeat ad vnitatem, atq; ita deinceps, quam diu hic mundus duraverit.

Litera Dominicalis ea eſt, quæ ſub ipſo aureo numero poſita, inuenitur. Si duæ occurrerint, eſt annus Biſſextilis. Et litera quæ ſuperiorem locum occupat, eſt Dominicalis, vſque ad feriam Matthiæ, quæ inferiorem, vſque ad finem anni.

Eadem ratione indagatur Aureus numerus & Epactæ, de quibus vide ſubiectam tabellam.

Aureus nu.	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
Epactæ.	3	14	25	6	17	28	9	20	1	12	23

Aureus nu.	14	15	16	17	18	19	1	2
Epactæ	4	15	26	7	18	29	11	22

De inuentione Paſchatis, in perpetuum.

Litera Dominicalis.

Aureus numer.	A	B	C	D	E	F	G
1	April. 9.	10	11	12	6	7	8
2	Mar. 26.	27	28	29	30	31	April. 1.
3	April. 16.	17	18	19	20	14	15
4	April. 9.	3	4	5	6	7	8
5	Mar. 26.	27	28	29	23	24	25
6	April. 16.	17	11	12	13	14	15
7	April. 2	3	4	5	6	M. 31	April. 1.
8	April. 23.	24	25	19	20	21	22
9	April. 9.	10	11	12	13	14	8
10	April. 2.	3	M. 28	29	30	31	April. 1.
11	April. 16.	17	18	19	20	21	22
12	April. 9.	10	11	5	6	7	8
13	Mar. 26	27	28	29	30	31	25
14	Apr. 16.	17	18	19	13	14	15
15	Apr. 2	3	4	5	6	7	8
16	Mar. 26	27	28	22	23	24	25
17	Apr. 16.	10	11	12	13	14	15
18	Apr. 2.	3	4	5	M. 30	31	April. 1.
19	Apr. 23.	24	28	19	20	21	22

In loco correſpondente numero aureo & litera Dominicali, inuenies quota die Martij vel Aprilis erit Paſchatis dies, Martius notatur hoc modo Mar. vel M. Aprilis vero hac nota, Apr. vel Ap.

De festis Mobilibus.

Inuento tempore Paschatis, reliquorum Festorum, quæ mobilia nuncupantur, tempora, sine vllo negotio præfiniri possunt, quoniam eodem semper interuallo aut præcedunt Pascha, aut sequuntur, vt ex hac tabella patet:

Septuagesima	antecedit festum Paschatis	9	Hebdomadibus.
Sexagesima		8	
Quinquagesima		7	
Quadragesima		6	
Rogationes	sequuntur Pascha	5	Hebdomadis.
Pentecoste		7	
Trinitatis		8	

Festum Ascensionis Domini sequitur Dominicam Rogationum proximo die Iouis, seu feria quinta.

Interuallum vocant vulgo spatium inter festum Natiuitat. Domini & Dominicam Quinquagesimæ comprehensum, quod plerumque præter integras hebdomadas dies aliquot continet, quos appellant concurrentes.

Dominica prima Aduentus, semper ea est, quæ Barbaræ festum proximè antecedit.

Immobilia Festa.

Reliqua festa dicuntur Immobilia, quia singula eisdem tum diebus mensium, tum literis septenariis, velut perpetuis sedibus adfixa sunt. De quibus in genere hi versus, quamuis inconditi, non tamen inutiles vulgo circumferuntur.

Sex sunt ad Puri. bis sex sunt vsque Philippi,
Ad Iacobum totidem, nouem sunt ad Michaelem,
Sex ad Martini, sex ad Natalia Christi,
Adde dies octo, totus complebitur annus.

Ianuarius habet 31. dies.

					¶ Matutinæ.		¶ Vespertinæ.	
				Ps.	Lect. 1.	2.	Lect. 1.	2.
3	A	*Kalend.*	*Circ. Dom.*	1	Gen. 17.	Rom. 2.	Deut. 10.	Col. 1.
	b	4 No.		2	Gen. 1.	Mat. 1.	Gen. 2.	Rom. 1.
11	c	3 No.		3	3	2	4	2
	d	Prid. No.		4	5	3	6	3
19	e	*Nonas.*		5	7	4	8	4
8	f	8 Id.	*Epiph. Dom.*	6	Esa. 60.	Luc. 3.	Esai. 49.	Ioan. 2.
	g	7 Id.		7	Gen. 9.	Mat. 5.	Gen. 12.	Rom. 5.
16	A	6 Id.		8	13	6	14	6
5	b	5 Id.		9	15	7	16	7
	c	4 Id.		10	17	8	18	8
13	d	3 Id		11	19	9	20	9
2	e	Prid. Id.	*Sol in Aqua.*	12	21	10	22	10
	f	*Idus.*		13	23	11	24	11
10	g	19 kl.	Februarij.	14	25	12	26	12
	A	18 kl.		15	27	13	28	13
18	b	17 kl.		16	29	14	30	14
7	c	16 kl.		17	31	15	32	15
	d	15 kl.		18	33	16	34	16
15	e	14 kl.		19	35	17	37	1. Cor. 1.
4	f	13 kl.		20	38	18	39	2
	g	12 kl.		21	40	19	41	3
12	A	11 kl.		22	42	20	43	4
1	b	10 kl.		23	44	21	45	5
	c	9 kl.		24	46	22	47	6
9	d	8 kl.	Con. Pauli	25	Sap. 5.	Act. 22.	Sap. 6.	Act. 26.
	e	7 kl.		26	Gen. 48.	Mat. 23.	Gen. 49.	1. Cor. 7.
17	f	6 kl.		27	50	24	Exo. 1.	8
6	g	5 kl.		28	Exod. 2.	25	3	9
	A	4 kl.		29	4	26	5	10
14	b	3 kl.		30	7	27	8	11
3	c	Prid. kl.		31	9	28	10	12

Februarius habet 28. dies.

						¶ Matutinæ.		¶ Vespertinæ.	
					Ps.	Lect. 1	2.	Lect. 1.	2.
	d	*Kalend.*		Hic ieiunan.	2	Exod. 11.	Marc. 1.	Exo. 12.	1. Cor. 13
11	e	4.	No.	*Puri. Mar.*	3	Sap. 9.	2	Sap. 12.	14
19	f	3.	No.		4	Exo. 13.	3	Exo. 14.	15
8	g	Prid.	No.		5	15	4	16	16
	A	*Nonas.*			6	17	5	18	2. Cor. 1.
16	b	8.	Id.		7	19	6	20	2
5	c	7.	Id.		8	21	7	22	3
	d	6.	Id.		9	23	8	24	4
13	e	5.	Id.		10	32	9	33	5
2	f	4.	Id.		11	34	10	Leui. 18.	6
	g	3.	Id.	*Sol. in Piscib.*	12	Leuit. 19.	11	20	7
10	A	Prid.	Id.		13	26	12	Num. 11.	8
	b	*Idus.*			14	Nu. 12.	13	13	9
18	c	16.	kl.	Martij.	15	14	14	16	10
7	d	15.	kl.		16	17	15	20	11
	e	14.	kl.		17	21	16	22	12
15	f	13.	kl.		18	23	Luc. di. 1.	24	13
4	g	12.	kl.		19	25	di. 1.	27	Galat. 1.
	A	11.	kl.		20	30	2	31	2
12	b	10.	kl.		21	32	3	35	3
	c	9.	kl.		22	36	4	Deut. 1.	4
	d	8.	kl.		23	Deut. 2.	5	3	5
9	e	7.	kl.	Hic ieiunan.	24	4	6	5	6
	f	6.	kl.	*Matthiæ Ap.*	25	Sap. 12.	7	Eccle 1.	Ephes. 1.
17	g	5.	kl.		26	Deut. 6.	8	Deut. 7	2
6	A	4.	kl.		27	8	9	9	3
	b	3.	kl.		28	10	10	11	4
14	c	Prid.	kl.		29	12	11	15	5

¶ Martius habet 31. dies.

					¶ Matutinæ.		¶ Vespertinæ.	
				Ps.	Lect. 1.	2.	Lect. 1.	2.
3	d	Kalend.		30	Deu. 16.	Luc. 12	Deu. 17	Ephes. 6.
	e	6 No.		1	18	13	19	Phil. 1.
11	f	5 No.		2	20	14	21	2
	g	4 No.		3	22	15	24	3
19	A	3 No.		4	25	16	26	4
8	b	Prid. No.		5	27	17	28	Col. 1.
	c	Nonas.		6	29	18	30	2
16	d	8 Id.		7	31	19	32	3
5	e	7 Id.		8	33	20	34	4
	f	6 Id.	Æqui. vern.	9	Iosue 1.	21	Iosue. 2.	1. The. 1.
13	g	5 Id.	Sol. in Ariet.	10	3	22	4	2
2	A	4 Id		11	5	23	6	3
	b	3 Id.		12	7	24	8	4
10	c	Prid. Id.		13	9	Ioan. 1.	10	5
	d	Idus.		14	23	2	24	2. The. 1.
18	e	17 kl.		15	Iudic. 1.	3	Iudic. 2.	2
7	f	16 kl.	Aprilis.	16	3	4	4	3
	g	15 kl.		17	5	5	6	1. Tim. 1
15	A	14 kl.		18	7	6	8	2. 3
4	b	13 kl.		19	9	7	10	4
	c	12 kl.		20	11	8	12	5
12	d	11 kl.		21	13	9	14	6
1	e	10 kl.		22	15	10	16	2. Tim. 1
	f	9 kl.	Hic ieiunan.	23	17	11	18	2
9	g	8 kl.	An. Mar. Vi.	24	Eccle. 2.	12	Eccle. 3.	3
	A	7 kl	Init. reg. Iac.	25	Iud. 19.	13	Iudi. 20.	4
17	b	6 kl.		26	21	14	Ruth. 1.	Titus 1.
6	c	5 kl.		27	Ruth 2.	15	3	2. 3
	d	4 kl.		28	4	16	1. Reg. 1.	Phil. 1.
14	e	3 kl.		29	1. Reg. 2.	17	3	Heb. 1
3	f	Prid. kl.		30	4	18	5	2

Aprilis habet 30. dies.

					¶ Matutinæ.		¶ Vesperti-næ.	
				Pſ.	Lect. 1	2.	Lect. 1.	2.
	g	*Kalend.*		1	1. Reg. 6.	Ioan. 19.	1. Reg. 7.	Heb. 3.
11	A	4. No.		2	8	20	9	4
	b	3. No.		3	10	21	11	5
19	c	Prid. No.		4	12	Act. 1.	13	6
8	d	*Nonas.*		5	14	2	15	7
16	e	8. Id.		6	16	3	17	8
5	f	7. Id.		7	18	4	19	9
	g	6. Id.		8	20	5	21	10
13	A	5. Id.		9	22	6	23	11
2	b	4. Id.		10	24	7	25	12
	c	3. Id.		11	26	8	27	13
10	d	Prid. Id.	*Sol, in Tauro.*	12	28	9	29	Iacob. 1.
	e	*Idus.*		13	30	10	31	2
18	f	18 kl.		14	2. Reg. 1	11	2 Reg. 2.	3
7	g	17 kl.		15	3	12	4	4
	A	16. kl.		16	5	13	6	5
15	b	15. kl.		17	7	14	8	1. Pet. 1.
4	c	14. kl.	Maius.	18	9	15	10	2
	d	13. kl.		19	11	16	12	3
12	e	12. kl.		20	13	17	14	4
1	f	11. kl.		21	15	18	16	5
	g	10. kl.		22	17	19	18	2. Pet. 1.
9	A	9. kl.		23	19	20	20	2
	b	8. kl.		24	21	21	22	3
17	c	7. kl.	*Marci Euã.*	25	Eccle. 4.	22	Eccle. 5.	1. Ioa. 1.
6	d	6. kl.		16	2. Re. 23.	23	2. Re. 24.	2
	e	5. kl.		27	3. Reg. 1.	24	3. Reg 2.	3
14	f	4. kl.		28	3	25	4	4
3	g	3. kl.		29	5	26	6	5
	A	Prid. kl.		30	7	27	8	2. 3. Ioa.

¶ Maius habet 31. dies.

					¶ Matutinæ.		¶ Vespertinæ.	
				Ps.	Lect. 1.	2.	Lect. 1.	2.
11	b	*Kalend.*	*Phil, & Iac.*	1	Eccle. 7.	Act. 8.	Eccle. 8.	Iudas. 1.
	c	6 No.		2	3. Reg. 9.	28	3. Re. 10.	Rom. 1.
19	d	5 No.		3	11	Mat. 1.	12	2
8	e	4 No.		4	13	2	14	3
	f	3 No.		5	15	3	16	4
16	g	Prid. No.		6	17	4	18	5
	A	*Nonas.*		7	19	5	20	6
	b	8 Id.		8	21	6	22	7
13	c	7 Id.		9	4. Reg. 1.	7	4. Reg. 2.	8
2	d	6 Id.		10	3	8	4	9
	e	5 Id.		11	5	9	6	10
10	f	4 Id.	*Sol in Gemi.*	12	7	10	8	11
	g	3 Id.		13	9	11	10	12
18	A	Prid Id.		14	11	12	12	13
7	b	*Idus.*		15	13	13	14	14
	c	17 kl.		16	15	14	16	15
5	d	16 kl.	Iunius.	17	17	15	18	16
4	e	15 kl.		18	19	16	20	1. Cor. 1
	f	14 kl.		19	21	17	22	2
12	g	13 kl.		20	23	18	24	3
1	A	12 kl.		21	25	19	1. Esdr. 1	4
	b	11 kl		22	1. Esdr. 3.	20	4	5
9	c	10 kl.		23	5	21	6	6
	d	9 kl.		24	7	22	9	7
17	e	8 kl.		25	2. Esdr. 1.	23	2. Esdr. 2.	8
6	f	7 kl.		26	4	24	5	9
	g	6 kl.		27	6	25	8	10
4	A	5 kl.		28	9	26	10	11
3	b	4 kl.		29	13	27	Hest. 1.	12
	c	3 kl.		30	Hest. 2.	28	3	13
11	d	Prid. kl.		30	4	Mar. 1.	5	14

☙ *Iunius habet 30. dies.*

						¶ Matutinæ.		¶ Vespertinæ.	
					Pſ.	*Lect.* 1.	2.	*Lect.* 1.	2.
	e	*Kalend.*			1	Heſt.6.	Mar.2.	Heſt.7.	1.Cor.15
19	f	4	No.		2	8	3	9	16
8	g	3	No.		3	Iob. 1.	4	Iob.2.	2. Cor. 1.
16	A	Prid.	No.		4	3	5	4	2
5	b	*Nonas.*			5	5	6	6	3
	c	8	Id.		6	7	7	8	4
13	d	7	Id.		7	9	8	10	5
2	e	6	Id.		8	11	9	12	6
	f	5	Id.		9	13	10	14	7
10	g	4	Id.		10	15	11	16	8
	A	3	Id.	Barna. Apo.	11	Eccle.10.	Act.14.	Eccle.12.	Act.15.
18	b	Prid.	Id.	*Sol. in Canc.*	12	Iob17.18	Mar.12.	Iob.19.	2.Cor.9.
7	c	*Idus.*		Solſti. æſtiu.	13	20	13	21	10
	d	18	kl.	Iulius.	14	22	14	23	11
15	e	17	kl.		15	24.25.	15	26.27.	12
4	f	16	kl.		16	28	16	29	13
	g	15	kl.		17	30	Luke 1.	31	Galat. 1.
12	A	14	kl.		18	32	2	33	2
1	b	13	kl.		19	34	3	35	3
	c	12	kl.		20	36	4	37	4
9	d	11	kl		21	38	5	39	5
	e	10	kl.		22	40	6	41	6
18	f	9	kl.	Hic ieiunan.	23	42	7	Prou.1.	Epheſ. 1.
6	g	8	kl.	*Nat. Io. Bap.*	24	Mala.3.	Mar.3.	Mala.4.	Mat.14.
	A	7	kl.		25	Prou.2.	Luke.8.	Prou.3.	Epheſ.2.
14	b	6	kl.		26	4	9	5	3
3	c	5	kl.		27	6	10	7	4
	d	4	kl.	Hic ieiunan.	28	8	11	9	5
11	e	3	kl.	*Petri Apoſt.*	29	Eccle.15.	Act. 3.	Eccle.19.	Act.4
	f	Prid.	kl.		30	Prou.10.	Luke 12.	Prou.11.	Epheſ.6.

Julius habet 31. dies.

					¶ Matutinæ.		¶ Vespertinæ.	
				Ps.	Lect. 1.	2.	Lect. 1.	2.
19	g	*Kalend.*		1	Prou. 12.	Luc. 13.	Prou. 13.	Philip. 1.
8	A	6 No.	Visi. Ma. Vi.	2	14	14	15	2
	b	5 No.		3	16	15	17	3
6	c	4 No.		4	18	16	19	4
15	d	3 No.		5	20	17	21	Col. 1.
	e	Prid. No.	Di. Can. inc.	6	22	8	23	2
13	f	*Nonas.*		7	24	19	25	3
2	g	8 Id.		8	26	20	27	4
	A	7 Id.		9	28	21	29	1. The. 1.
10	b	6 Id.		10	31	22	Eccle. 1.	2
	c	5 Id.		11	Eccle. 2.	23	3	3
18	d	4 Id.		12	4	24	5	4
7	e	3 Id.		13	6	Ioan. 1.	7	5
	f	Prid. Id.	*Sol in Leone.*	14	8	2	9	2. The. 1.
15	g	*Idus.*		15	10	3	11	2
4	A	17 kl.		16	12	4	Ierem. 1.	3
	b	16 kl.		17	Ierem. 2.	5	3	1. Tim. 1.
12	c	15 kl.		18	4	6	5	2. 3
1	d	14 kl.		19	6	7	7	4
	e	13 kl.		20	8	8	9	5
9	f	12 kl.		21	10	9	11	6
	g	11 kl.	Mar. Magd.	22	12	10	13	2. Tim. 1.
17	A	10 kl.		23	14	11	15	2
6	b	9 kl.	Hic ieiunan.	24	16	12	17	3
	c	8 kl.	*Iacob. Apo.*	25	Eccl. 21.	13	Eccle. 23.	4
14	d	7 kl.	An. ma. Mar.	26	Ierem. 18	14	Ierem. 19	Titus 1.
3	e	6 kl.		27	20	15	21	2. 3
	f	5 kl.		28	22	16	23	Philip. 1.
11	g	4 kl.		29	24	17	25	Hebr. 1.
	A	3 kl.		30	26	18	27	2
19	b	Prid. kl.		31	28	19	29	3.

Augustus habet 31. dies.

					¶ Matutinæ.		¶ Vespertinæ.	
				Ps.	Lect. 1.	2.	Lect. 1.	2.
	c	*Kalend.*	Petri ad vin.	1	Iere. 30.	Ioan. 20.	Ierem. 31	Hebr. 4.
8	d	4 No.		2	32	21	33	5
16	e	3 No.		3	34	Act. 1.	35	6
5	f	Prid. No.		4	36	2	37	7
	g	*Nonæ.*		5	38	3	39	8
13	A	8	Transf. Dó.	6	40	4	41	9
2	b	7	Feil. no. Ies.	7	42	5	43	10
	c	6		8	44	6	45. 46.	11
10	d	5		9	47	7	48	12
	e	4		10	49	8	50	13
18	f	3		11	51	9	52	Iacob. 1.
7	g	Prid. Id.		12	Lam. 1.	10	Lame. 2.	2
	A	*Idus.*		13	3	11	4	3
15	b	19 kl.	*Sol in Vir. Se.*	14	5	2	Ezec. 2.	4
4	c	18 kl.		15	Ezec. 3.	13	6	5
	d	17 kl.		16	7	14	13	1. Pet. 1.
12	e	16 kl.		17	14	15	18	2
1	f	15 kl.		18	33	16	34	3
	g	14 kl.		19	Dan. 1.	17	Dan. 2.	4
9	A	13 kl		20	3	18	4	5
	b	12 kl.		21	5	19	6	1. Pet. 1.
17	c	11 kl.		22	7	20	8	2
6	d	10 kl	Hic ieiunan.	23	9	21	10	3
	e	9 kl.	*Barthol. Apo.*	24	Eccle. 25.	22	Eccle. 29.	1. Ioan. 1.
14	f	8 kl		25	Dan. 11.	23	Dan. 12.	2
3	g	7 kl		26	13	24	Prou. 30.	3
	A	6 kl.		27	Ose. 1.	25	Ose 2. 3.	4
11	b	5 kl.		28	4	26	5. 6.	5
	c	4 kl.	Decolat. Io.	29	7	27	8	2. 3. Ioan.
19	d	3 kl.		30	9	28	10	Iudæ. 1.
8	e	Prid. kl.		31	11	Mat. 1.	12	Rom. 1.

Animaducrtendum est caput decimum tertium Daniel. s, vbi historia habetur de Susanna, legendum esse vsque ad hæc verba: *Et rex Astyages*

September habet 30. dies.

					¶ Matutinæ.		¶ Vespertinæ.	
				Pj.	Lect. 1	2.	Lect 1.	2.
16	f	*Kalend.*		1	Ose. 13.	Matth. 2.	Ose. 14.	Rom. 2.
5	g	4. No.		2	Ioel. 1.	3	Ioel 2.	3
	A	3. No.		3	3	4	Amos. 1.	4
13	b	Prid. No.		4	Amos. 2.	5	3	5
2	c	*Nonas.*	Di. Can. fin.	5	4	6	5	6
	d	8. Id.		6	6	7	7	7
10	e	7. Id.	Nat. reg. Eli.	7	8	8	8	8
	f	6. Id.	Nat. Mar. V.	8	Abdi. 1	9	Ionas. 1	9
18	g	5. Id.		9	Ion 2. 3.	10	4	10
7	A	4. Id.		10	Mich. 1.	11	Mich. 2.	11
	b	3. Id.		11	3	12	4	12
15	c	Prid. Id.		12	5	13	6	13
4	d	*Idus*	*Sol in Libra.*	13	7	14	Naum. 1	14
	e	18 kl.	Exal cru. oc.	4	Naum. 2.	15	3	15
12	f	17 kl.	Æq. autum.	15	Abac. 1.	16	Abac. 2	16
1	g	16. kl.		16	3	17	Sopn. 1.	1. Cor. 1.
	A	15. kl.		1	Soph. 2.	18	3	2
9	b	4 kl.		18	Agge. 1.	19	Agge. 2.	3
	c	13. kl.		19	Zach 1.	20	Zach. 2.	4
17	d	12. kl.	Hic ieiunat.	20	4 5.	21	6	5
6	e	11. kl.	*Matt. Apost.*	21	Eccl. 35.	22	Eccl. 38.	6
	f	10. kl.		22	Zach. 7.	23	Zach 8.	7
14	g	9. kl.		23	9	24	10	8
3	A	8. kl.		24	11	25	12	9
	b	7. kl.		25	13	26	14	10
11	c	6. kl.		26	Mala. 1.	27	Mala. 2.	11
	d	5. kl		27	3	28	4	12
19	e	4. kl.		28	Tob. 1.	Marc. 1.	Tob. 2	13
8	f	3. kl.	*Mich. Arch*	29	Eccl. 39.	2	Eccl. 44.	14
	g	Prid. kl.		30	Tob. 3.	3	Tob. 4.	15

October habet 31. dies.

					¶ Matutinæ.		¶ Vespertinæ.	
				Ps.	Lect. 1.	2.	Lect. 1.	2.
16	A	*Kalend.*		1	*	Mar. 4.	Iosu. 20.	1. Co. 16
5	b	6 No.		2	Tob. 7.	5	22	2. Cor. 1.
13	c	5 No.		3	9	6		2
2	d	4 No.		4	11	7		3
	e	3 No.		5	13	8		4
10	f	Prid. No.		6	Iudi. 1.	9	Iudic. 2.	5
	g	*Nonas.*		7	3	10	4	6
18	A	8 Id.		8	5	11	6	7
7	b	7 Id.		9	7	12	8	8
	c	6 Id.		10	9	13	10	9
15	d	5 Id.		11	11	14	12	10
4	e	4 Id		12	13	15	14	11
	f	3 Id.		13	15	16	16	12
12	g	Prid. Id.	*Sol in Scorp.*	14	Sap. 1.	Lu. di. 1.	Sap. 2.	13
1	A	*Idus.*		15	3	di. 1.	4	Gala. 1.
	b	17 kl.	Nouember.	16	5	2	6	2
9	c	16 kl.		17	7	3	8	3
	d	15 kl.	*Luce Euang.*	18	Eccle. 5.	4	Iob. 1.	4
17	e	14 kl.		19	Sap. 9.	5	Sap. 10.	5
6	f	13 kl.		20	11	6	12	6
	g	12 kl.		21	13	7	14	Ephes. 1.
14	A	11 kl.		22	15	8	16	2
3	b	10 kl		23	17	9	18	3
	c	9 kl.		24	19	10	Eccl. 1.	4
11	d	8 kl.		25	Eccle. 2.	11	3	5
	e	7 kl		26	4	12	5	6
19	f	6 kl.	Hic ieiunan.	27	6	13	7	Phil. 1.
8	g	5 kl.	*Sim. & Iudæ.*	28	Io. 24. 25	14	Iob. 42.	2
	A	4 kl.		29	Eccle. 8.	15	Eccl. 9.	3
16	b	3 kl.		30	10	16	11	4
5	c	Prid. kl.	Hic ieiunan.	30	12	17	13	Colos. 1.

Sextum Exodi caput primo die Octobris sit prima lectio in precibus matutinis ad ea verba vers. 14 *Ista sunt capita.*

Nouember habet 30. dies.

					¶ Matutinæ.		¶ Vespertinæ.	
				Pſ.	Lect. 1.	2.	Lect. 1.	2.
	d	*Kalend.*	*Feſt.om.San.*	1	Sap. 3.	He. 11.12	Sap. 5.	Apo. 19.
13	e	4 No.		2	Eccle. 14	Luc. 18.	Eccle. 15	Col. 2.
2	f	3 No.		3	16	19	17	3
	g	Prid. No.		4	18	20	19	4
10	A	*Nonas.*		5	20	21	21	1. Theſ. 1
	b	8 Id.		6	22	22	23	2
18	c	7 Id.		7	24	23	*25	3
7	d	6 Id.	*Sol in Sagit.*	8	27	24	28	4
	e	5 Id.		9	29	Ioan. 1.	30	5
15	f	4 Id.		10	31	2	32	2. Theſ. 1
4	g	3 Id.		11	33	3	34	2
	A	Prid. Id.		12	35	4	36	3
12	b	*Idus.*		13	37	5	38	1. Tim. 1
1	c	18 kl.	December.	14	39	6	40	2. 3.
	d	17 kl.		15	41	7	42	4
9	e	16 kl.		16	43	8	44	5
	f	15 kl.	Init. reg. Eli.	17	45	9	*46	6
17	g	14 kl.		18	47	10	48	2. Tim. 1
6	A	13 kl.		19	49	11	50	2
	b	12 kl.		20	51	12	Baruc. 1.	3
14	c	11 kl.		21	Baruc. 2.	13	3	4
3	d	10 kl.		22	4	14	5	Titus. 1.
	e	9 kl.		23	6	15	Eſai. 1.	2. 3.
11	f	8 kl.		24	Eſai. 2.	16	3	Phil. 1.
	g	7 kl.		25	4	17	5	Heb. 1.
19	A	6 kl.		26	6	18	7	2
8	b	5 kl.		27	8	19	9	3
	c	4 kl.		28	10	20	11	4
16	d	3 kl.	Hic ieiunan.	29	12	21	13	5
5	e	Prid. kl.	*Andr. Apoſt.*	30	Prou. 20.	Act. 1.	Prou. 21.	6

* Septimo die Nouembris precibus veſpertinis, principium capitis viceſimi ſexti Eccleſiaſtici legatur cum cap. viceſimo quinto. * Decimo ſeptimo die Nouembris precibus veſpertinis quadrageſimum ſextũ Eccleſiaſtici legatur ad vltimum verſum excluſiuè.

December habet 31. dies.

					¶ Matutinæ.		¶ Vespertinæ.	
				Ps.	Lect. 1.	2.	Lect. 1.	2.
	f	*Kalend.*		1	Esai. 14.	Act. 2.	Esai. 15.	Heb. 7.
13	g	4 No.		2	15	3	17	8
	A	3 No.		3	18	4	19	9
10	b	Prid. No.		4	20. 21.	5	22	10
	c	*Nonas.*		5	23	6	24	11
	d	8 Id.		6	25	di. 7.	26	12
7	e	7 Id.	*Sol in Capri.*	7	27	di. 7.	28	13
	f	6 Id.	Con. Ma. Vi.	8	29	8	30	Iacob. 1.
15	g	5 Id.	Solit. hyber.	9	31	9	32	2
4	A	4 Id.		10	33	10	34	3
	b	3 Id.		11	35	11	36	4
12	c	Prid. Id.		12	37	12	38	5
1	d	*Idus.*		13	39	13	40	1. Pet. 1.
	e	19 kl.	Ianuarius.	14	41	14	42	2
9	f	18 kl.		15	43	15	44	3
	g	17 kl.		16	45	16	46	4
17	A	16 kl.		17	47	17	48	5
6	b	15 kl.		18	49	18	50	2. Pet. 1.
	c	14 kl.		19	51	19	52	2
14	d	13 kl.	Hic ieiunan.	20	53	20	54	3
3	e	12 kl.	*Thom. Apost.*	21	Pro. 22.	21	Prou. 24	1. Ioan. 1
	f	11 kl		22	Esai. 55.	22	Esai. 56.	2
11	g	10 kl.		23	57	23	58	3
	A	9 kl.	Hic ieiunan.	24	59	24	60	4
16	b	8 kl.	*Natiu. Dom.*	25	Esai 9.	Luc. 2.	Esai. 7.	Tit. 3.
8	c	7 kl.	*Stepk. Prath.*	26	Prou. 28	Act. 6. 7.	Eccle. 4.	Act. 7.
	d	6 kl.	*Ioan. Euang.*	27	Eccle. 5.	Apoc. 1.	Eccle. 6.	Apo. 22.
16	e	5 kl	*S. Innocent.*	28	Iere. 31.	Act. 25.	Sap. 1.	1 Ioan. 5
5	f	4 kl.		29	Esai. 61.	20	Esai. 62.	2. Ioan 1
	g	3 kl.		30	63	27	64	3. Ioan. 1
1	A	Prid. kl.		31	65	28	66	Iudæ 1

LIBER PRECVM PVBLICARVM IN ECCLESIA ANGLICANA.

Ordo in Matutinis & veſpertinis precibus ſeruandus.

MAtutinæ preces & Veſpertinæ, celebrabuntur in locis Eccleſiarum, Capellarum, & Chororum, conſuetis, niſi aliter loci iſtius Ordinario viſum fuerit. Chorus etiam manebit eadem forma, qua ſuperiorum temporum fuit.

In principio Matutinarum & Veſpertinarum precum, Adminiſtrator Sacrorum, clara & aperta voce pronunciabit vnam aliquam ex ſacræ Scripturæ ſententijs, quæ conſequuntur. Poſt quam ſubijciet orationem, quæ ſententijs eſt appoſita.

SENTENTIÆ.

SI impius egerit pœnitentiam pro omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatem eius quas operatus eſt, non recordabor: dicit Dominus. Ezech. 18.

Iniquitatem meam agnoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Pſal. 51.

Auerte faciem tuam à peccatis noſtris: & omnes iniquitates noſtras dele. Pſal. 51.

Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum, ô Deus, ne contemnas. Pſal. 51.

Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ clementiæ, & pœnitens ſuper malum. Ioel. 2.

Tui Domini Dei noſtri eſt miſericordia & propitiatio, quia receſſimus à te, & non audiuimus vocem Domini Dei noſtri, vt ambularemus in legibus eius, quas poſuit coram nobis, Daniel. 9.

Iere. 2. Corripe nos Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne
Psal. 6. fortè ad nihilum redigas nos.

Matt. 3. Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum.
Luc. 15. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœ-
lum, & coram te. Iam non sum dignus vocari filius tuus.

Psal. 42. Non intres in iudicium cum seruis tuis Domine, quia non iustificabi-
tur in conspectu tuo omnis viuens.

1. Ioan. 1. Si nos peccati expertes esse dicimus, fallimus nos ipsos, nec est in
nobis veritas.

CHarissimi fratres: sacra Scriptura multis in locis nos commonefacit, vt multiplices nostras offensiones, & infinita peccata confiteamur & agnoscamus, nec vllam in conspectu Dei dissimulationem adhibeamus, sed errata, quocunque ex genere sint, vniuersa coram Deo denudemus, animo demisso syncerocq; contestemur, vt culpæ tam salutaris agnitio, veniam ex summa Dei clementia consequatur. Et quanquàm promptos & paratos nos esse semper oportet, ad peccata nostra Deo confitenda, hoc tamen muneris nobis tunc temporis potissimùm incumbit, cùm conuenimus ad agendas Deo gratias pro suis in nos maximis collatis beneficijs, ad debitas ipsius laudes deprædicandas, ad auscultandum verbo suo sacratissimo, & ea efflagitanda, quæ tum ad corporis statum, tum ad salutem animæ censentur necessaria. Quapropter quotquot adestis vos obnixè rogo, vt puro ac sincero corde ad cœlestis clementiæ thronum mecum conuoletis, post me dicentes.

Generalis confessio, ab vniuersa congregatione dicenda genibus flexis.

OMnipotens & clementissime Pater, tanquàm oues perditæ peregrinati sumus, & à vijs tuis aberrauimus. Inuentis & concupiscentijs cordis nostri nimium indulsimus: Sacrosanctas leges tuas violauimus. Quæ à nobis facienda fuerant omissimus, & quæ facienda non fuerant, admisimus. In nobis nulla est salus: quapropter, ô Domine, propitius esto nobis miserrimis peccatoribus. Parce, ô Deus, peccata sua confitentibus: misericordiam concede resipiscentibus, iuxta promissiones tuas humano generi in Christo Iesu Domino nostro benignissimè reuelatas. Amplius etiam concede nobis, ô clementissime Pater, propter filium tuum & seruatorem nostrum Iesum Christum, vt posthac piè, iustè, sobriècq; vitam nostram instituamus, ad sanctissimi tui nominis gloriam. Amen.

Absolutio per Ministrum solum pronuncianda.

OMnipotens Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, qui non vult mortem peccatoris, sed potius vt recedat à malis suis moribus & viuat:

viuat: deditque poteſtatem ſuis Miniſtris, imò præcipit, vt populo ſuo pœnitenti, abſolutionem, remiſſionemque peccatorum ſuorum planè annunciarent; ipſe ſingulis verè pœnitentibus, & ſacroſancto Euangelio haud fictè credentibus, condonat, eoſque certiſſimè abſoluit. Rogamus ergo, vt ille nobis veram pœnitentiam largiatur, ſanctumque ſuum ſpiritum impartiat, vt quod hoc tempore agimus, id illi totum placeat: & reliqua etiam noſtra vita adeò pura ſit in hoc mundo, & ſancta, vt in futuro gaudium conſequamur æternum, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Populus reſpondebit. Amen.

Tum Miniſter ordietur alta voce Orationem Dominicam.

PAter noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Amen. Matt. 6. Luc. 11.

Deinde Miniſter dicit.

Domine, labia noſtra aperies.

Reſponſio.

Et os noſtrum annunciabit laudem tuam.

Miniſter.

Deus in adiutorium noſtrum intende.

Reſponſio.

Domine ad adiuuandum nos feſtina.
Gloria Patri, & filio, & Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Alleluia.

Tunc canatur Pſalmus ſequens.

VEnite, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro.

Præoccupemus faciem eius in confeſſione: & in Pſalmis iubilemus ei. Pſal. 95.

Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes deos.

Quia in manu eius ſunt fines terræ: & altitudines montium ipſius ſunt.

Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud: & ſiccam manus eius formauerunt.

Venite, adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum qui fecit nos: quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, & nos populus paſcuæ eius, & oues manus eius.

Hodiè ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in irritatione ſecundum diem tentationis in deſerto.

Vbi tentauerũt me patres veſtri: probauerunt, & viderunt opera mea.

Quadraginta annis offenſus fui generationi illi: & dixi, ſemper hi errant corde.

Et iſti non cognouerunt vias meas: vt iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto:

Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Tunc ſequentur Pſalmi, ordine præmonſtrato in tabula, niſi diei aſſignentur proprij Pſalmi. Et ad finem vniuſcuiuſque Pſalmi, per totum annum, nec non in fine hymnorum, Benedictus, Benedicite, Magnificat, & Nunc dimittis, ſubſequetur, Gloria Patri & Filio.

Poſt Pſalmos, duæ Lectiones diſtinctè & clarà voce pronuncientur, vt à populo audiantur, prior ex veteri, poſterior ex nouo Teſtamento, vt in Calendario proponuntur, niſi diei aſſignatæ fuerint propriæ Lectiones.

Miniſter Lectionem pronuncians, eo modo verſa facie ſtabit, quo commodiùs audiri poſſit.

Et initio cuiuſlibet Lectionis, librum & Caput noui & veteris Teſtamenti, vnde Lectio ſumitur, indicabit hoc modo: Primum, ſecundum, tertium vel quartum, &c. Caput Geneſeos, Exodi, &c. Mathæi, Marci, &c. *vt in Calendario præmonetur.*

Et ad finem cuiuſlibet Capitis, ſic: Finitur hoc vel illud Caput talis Libri vel Euangelij, &c.

Et vt faciliùs intelligatur, in his locis vbi Muſica figuralis cani ſolet, Lectiones, Epiſtola & Euangelia, ſimpliciter & naturali tono, in modum perpetuæ dictionis diſtinctè legantur.

Poſt primam Lectionem ſequetur, per totum annum.

Canticum D. Ambroſij & Auguſtini.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem: omnis terra veneratur:

Tibi omnes Angeli, tibi cœli & vniuerſæ poteſtates:

Tibi Cherubin & Seraphin, inceſſabili voce proclamant,

Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabbaoth.

Pleni ſunt cœli & terra Maieſtatis gloriæ tuæ.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum, ſancta confitetur Eccleſia,

Patrem immenſæ maieſtatis.

Venerandum tuum verum, & vnicum Filium.

Sanctum

Sanctum quoque paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriæ Chriſte.
Tu Patris ſempiternus es Filius.
Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis vterum.
Tu diuicto mortis aculeo, aperuiſti credentibus regna cœlorum.
Tu ad dextram Dei ſedes, in gloria Patris.
Iudex crederis eſſe venturus.
Te ergo quæſumus, tuis famulis ſubueni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.
Æterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.
Saluum fac populum tuum Domine: & benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos, & extolle illos vſq; in æternum.
Per ſingulos dies benedicimus te.
Et laudamus Nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.
Dignare Domine, die iſto ſine peccato nos cuſtodire.
Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri.
Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum nos ſperauimus in te.
In te Domine ſperaui, non confundar in æternum.

Aut Hymnus.

BEnedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula. Dan. 3.
Benedicite Angeli Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.
Benedicite cœli Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.
Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.
Benedicite omnes virtutes Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.
Benedicite Sol & Luna Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.
Benedicite ſtellæ cœli Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.
Benedicite omnis imber & ros Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.
Benedicite omnes ſpiritus Dei Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.
Benedicite ignis & æſtus Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.
Benedicite Frigus & Æſtas Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite rores & pruina Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite gelu & frigus Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite glacies & niues Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite noctes & dies Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite lux & tenebræ Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite fulgura & nubes Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicat terra Dominum, laudet & ſuperexaltet eum in ſecula.

Benedicite montes & colles Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite vniuerſa germinantia in terra Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite fontes Domino, laudate, & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite maria & flumina Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite cete & omnia quæ mouentur in aquis Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite omnes volucres cœli Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite filij hominum Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicat Iſrael Dominum, laudet & ſuperexaltet eum in ſecula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite ſerui Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite ſpiritus & animæ iuſtorum Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite ſancti & humiles corde Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Benedicite Anania, Azaria, Miſael Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſecula.

Gloria Patri & Filio: & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc & ſemper: & in ſecula ſeculorum. Amen.

Deinde

Deinde ſequatur Lectio ſecunda, quâ finitâ, canatur Hymnus Zachariæ.

BEnedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitauit & fecit redemptionem plebi ſuæ. Luc. 1.

Et erexit cornu ſalutis nobis: in domo Dauid pueri ſui.

Sicut loquutus eſt per os Sanctorum: qui à ſeculo ſunt Prophetarum eius.

Salutem ex inimicis noſtris: & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum: daturum ſe nobis.

Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati: ſeruiamus illi,

In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo: omnibus diebus noſtris.

Et tu puer Propheta Altiſsimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius: in remiſſionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitauit nos Oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Gloria Patri & Filio: & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc & ſemper: & in ſecula ſeculorum. Amen.

Aut Pſalmus.

IVbilate Deo omnis terra: ſeruite Domino in lætitia. Pſal. 100.

Introite in conſpectu eius: in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Populus eius & oues paſcuæ eius, introite portas eius in confeſſione, atria eius in hymnis: confitemini illi.

Laudate nomen eius quoniam ſuauis eſt Dominus, in æternum miſericordia eius: & vſque in generatione & generationem veritas eius.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

Deinde dicatur, Miniſtro & populo ſtantibus

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum. Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine. Paſſus ſub Pontio Pilato: crucifixus, mortuus & ſepultus, deſcendit ad inferna. Tertia die reſurrexit a mortuis, aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram

Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum. Sanctam Ecclesiam Catholicam. Sanctorum communionem. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem. Et vitam æternam. Amen.

Post hæc sequuntur per totum annum, ad Matutinas & Vespertinas, hæ preces, omnium genibus religiosè flexis.

Minister.

Dominus vobiscum.

Responsio.

Et cum spiritu tuo.

Minister.

Oremus. Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.

Deinde à Ministro & tota Ecclesia dicatur alta voce.

Pater noster qui es in cœlis, &c.

Minister erigens se dicet.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

Responsio.

Et salutare tuum da nobis.

Minister.

Domine saluum fac Regem.

Responsio.

Et exaudi nos cum inuocamus te.

Minister.

Sacerdotes tui induantur iustitia.

Responsio.

Et sancti tui exultent.

Minister.

Saluum fac populum tuum Domine.

Responsio.

Et benedic Hæreditati tuæ.

Minister.

Da pacem Domine in diebus nostris.

Responsio.

Quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

Minister.

Cor mundum crea in nobis ô Deus.

Responsio.

Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à nobis.

Has preces sequuntur quotidiè tres Collectæ. Primæ die, ea scilicet, quæ assignatur

ſignatur dicenda ad Communionem, eo die. Altera pro Pace. Tertia pro gratia Dei, perſeuerantia in fide, & vera doctrina. Poſteriores autem, duæ nunquam mutantur, ſed per integrum annum dicuntur ad Matutinas & Veſperas.

Collecta pro pace.

Miniſter.

¶ Oremus.

DEus author pacis & amator, quem nosſe, viuere: cui ſeruire regnare eſt: protege ab omni oppugnatione ſupplices tuos, vt qui in tua protectione confidimus, nullius hoſtilitatis arma timeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Collecta pro gratia.

DOmine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui nos ad principium huius diei peruenire feciſti, tua nos hodiè ſerua virtute, vt in hac die ad nullum declinemus peccatum, nec vllum incurramus periculum, ſed ſemper ad tuam Iuſtitiam faciendam, omnis noſtra actio, tuo moderamine dirigatur. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

In feſtis Natalis Domini, Epiphaniæ, Matthiæ, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, Ioannis Baptiſtæ, S. Iacobi, S. Bartholomæi, S. Matthei, Simonis & Iudæ, & S. Andreæ, ad Matutinas ſtatim poſt Benedictus, canetur Symbolum Athanaſij.

QVicunque vult ſaluus eſſe: ante omnia opus eſt vt teneat Catholicam fidem.

Quam niſi quiſq; integram inuiolatámq; ſeruauerit: abſque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.

Neque confundentes perſonas: neque ſubſtantiam ſeparantes.

Alia eſt enim perſona patris: alia filij, alia Spiritus ſancti.

Sed patris & filij & Spiritus ſancti vna eſt Diuinitas: æqualis gloria, coæterna Maieſtas.

Qualis Pater, talis Filius: talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius: increatus Spiritus ſanctus.

Immenſus Pater, immenſus Filius: immenſus Spiritus ſanctus.

Æternus Pater, æternus Filius: æternus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres æterni: ſed vnus Æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immenſi: ſed vnus increatus, & vnus immenſus.

Similiter

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius: omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: ſed vnus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius: Deus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Dij: ſed vnus eſt Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius: Dominus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Domini: ſed vnus eſt Dominus.

Quia ſicut ſingulatim vnamquamq; perſonam Deum ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere, catholica religione prohibemur.

Pater à nullo eſt factus: nec creatus nec genitus.

Filius à patre ſolo eſt: non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritus ſanctus a patre & filio eſt: non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Vnus ergo pater, non tres patres, vnus filius, non tres filij: vnus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius: nihil maius, aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternę ſibi ſunt & coæquales.

Ita vt per omnia, ſicut iam ſupradictum eſt: & vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate veneranda ſit.

Qui vult ergo ſaluus eſſe: ita de Trinitate ſentiat.

Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem: vt incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, vt credamus & confiteamur: quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtantia patris ante ſecula genitus: & homo ex ſubſtantia matris in ſeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.

Aequalis patri ſecundum diuinitatem: minor patre ſecundum humanitatem.

Qui licet Deus ſit & homo: non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus.

Vnus autem non conuerſione diuinitatis in carnem: ſed aſſumptione humanitatis in Deum.

Vnus omninò non confuſione ſubſtantiæ: ſed vnitate perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra: deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines reſurgere habent cum corporibus

bus ſuis: & reddituri ſunt de factis proprijs rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum.

Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit: ſaluus eſſe non poterit.

Gloria Patri & filio: & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper: & in ſecula ſeculorum. Amen.

Ordo Veſperarum, per totum annum.

Sacerdos ſiue Miniſter dicet.

PAter noſter qui es in cœlis, &c.

Deinde.

Domine labia noſtra aperies.

Reſponſio,

Et os noſtrum annunciabit laudem tuam.

Miniſter.

Deus in adiutorium noſtrum intende.

Reſponſio.

Domine ad adiuuandum nos feſtina.

Gloria, &c. Sicut, &c.

Alleluia.

Poſtea canuntur Pſalmi præmonſtrati in tabula, niſi feſtum fuerit quod proprios habeat Pſalmos. Hos ſequitur prima Lectio ex veteri Teſtamento, niſi fuerint propriæ Lectiones feſti.

Deinde canitur.

MAgnificat anima mea Dominum. Luc. 1.

Et exultauit Spiritus meus: in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt: Et ſanctum nomen eius.

Et Miſericordia eius à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede: Et exaltauit humiles.

Eſurientes impleuit bonis: Et diuites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum: recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad Patres noſtros: Abraham & ſemini eius in ſecula.

Gloria Patri & Filio, &c. Sicut erat, &c.

Vel Pſalmus.

Pſal. 93. CAntate Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit.
Saluauit ſibi dextera eius: Et brachium ſanctum eius.
Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: in conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam.
Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ: Et veritatis ſuæ domui Iſrael.
Viderunt omnes termini terræ: ſalutare Dei noſtri.
Iubilate Domino omnis terra: cantate, & exultate & pſallite.
Pſallite Domino in cithara, in cithera, & voce Pſalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.
Iubilate in conſpectu regis Domini: moueatur mare & plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo.
Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini: quoniam venit iudicare terram.
Iudicabit orbem terrarum in iuſtitia: Et populos in æquitate.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

Lectio Secunda ex nouo Teſtamento: poſt quam finitam, canatur Canticum Simeonis.

Luc. 2. NVnc dimittis ſeruum tuum Domine: ſecundum verbum tuum in pace.
Quia viderunt oculi mei: ſalutare tuum.
Quod parâſti: ante faciem omnium populorum.
Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Iſrael.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

Vel.

Pſal. 67. DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.
Vt cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.
Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.
Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate: & gentes in terra dirigis.
Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.
Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

His finitis, adduntur Symbolum, cum aliis ſuffragis ſupra ad Matutinas preſcripta, cum tribus Collectis, quarum Prima ſit de die: Secunda pro pace: Tertia pro Dei adiutorio aduerſus omnia pericula.

Collecta

Collecta ſecunda ad veſperas, pro pace.

DEus à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera, da ſeruis tuis pacem illam quam mundus dare non poteſt, vt corda noſtra ad præceptorum tuorum obſeruantiam applicemus, & nos ab inimicorum noſtrorũ metu liberati, vitam tranquillam, & quietam tranſigamus, per merita Ieſu Chriſti ſaluatoris noſtri. Amen.

Collecta tertia pro Dei adiutorio aduerſus omnia pericula.

ILlumina quæſimus Domine Deus, tenebras noſtras, & per immenſam tuam miſericordiam, ab omnibus huius noctis periculis, & inſidijs nos protege, propter amorem vnigeniti tui Filij, Saluatoris noſtri, Ieſu Chriſti. Amen.

Hæ duæ ſupraſcriptæ Collectæ, dicuntur ad Veſperas per totum annum, abſque variatione.

Finis Veſpertinarum precum.

Sequitur Letania & Supplicationes, cantandæ diebus Dominicis, ferijs quartis & ſextis, atque alijs temporibus, cum per Ordinarios ordinatum fuerit.

PAter de cœlis Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Pater de cœlis Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Spiritus Sancte Deus, à Patre & Filio procedens, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Spiritus Sancte Deus, à Patre & Filio procedens, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Sancta, beata, & glorioſa Trinitas, tres perſonæ, & vnus Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Sancta, beata, & glorioſa Trinitas, tres perſonæ, & vnus Deus, miſerere nobis miſeris peccatoribus.

Ne memineris Domine iniquitatum noſtrarum vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris, parce Domine, parce populo tuo, quem redemiſti pretioſo ſanguine tuo, & ne in perpetuum iraſcaris nobis.

Parce nobis Domine.

Ab omni peccato malo & infortunio, ab inſidijs diaboli, ab ira tua & æterna damnatione.

Libera

Libera nos Domine.

A cæcitate cordis, Superbia, Ambitione, Hypocriſi, Ira, Odio, Malitia & Diſcordia.

Libera nos Domine.

A fornicatione & alijs omnibus peccatis mortalibus, & à tentationibus carnis, mundi, & diaboli.

Libera nos Domine.

A fulgure & tempeſtate, à plaga & peſtilentia, fama, bello, latrocinio, & morte ſubitanea.

Libera nos Domine.

Ab omni ſeditione & conſpiratione, à falſis & hæreticis dogmatibus, à duritia cordis & contemptu verbi & mandati tui:

Libera nos Domine.

Per myſterium ſanctæ incarnationis, natiuitatis, circumciſionis, baptiſmi, ieiunij, & tentationis tuæ:

Libera nos Domine.

Per agônem & ſanguineum ſudorem, per crucem & paſſionem, per pretioſam mortem & ſepulturam, per glorioſam reſurrectionem, & aſcenſionem tuam in cœlos, & aduentum Spiritus ſancti:

Libera nos Domine.

In tempore tribulationis & proſperitatis noſtræ, in hora mortis, & in die iudicij:

Libera nos Domine.

Te rogamus, ô Deus, nos peccatores exaudias, vt Eccleſiam tuam ſanctam Catholicam regere & gubernare digneris:

Te rogamus audi nos.

Vt famulum tuum *Iacobum* Regem & gubernatorem noſtrum clementiſſimum, in vera tui adoratione, in iuſtitia & ſanctitate vitæ confirmare & cuſtodire digneris:

Te rogamus audi nos.

Vt eius mentem in tua fide, tui amore & timore, vt ſemper in te confidat, & vt in omnibus honorem & gloriam tuam quærat & promoueat, dirigere digneris:

Te rogamus audi nos.

Vt eum ſeruare & defendere, & ei victoriam contra omnes hoſtes ſuos largiri digneris:

Te rogamus audi nos.

Vt benedicas & conſerues ſereniſſimam noſtram Reginam *Annam*, *Carolum* Principem, *Fredericum* Principem Palatinum, & *Elizabetham* eius coniugem:

Te rogamus audi nos.

Vt Epiſcopos, paſtores & miniſtros Eccleſiæ, vera cognitione & recto

recto intellectu verbi tui illuminare, & vt tam doctrina quam vita illud promoueant:

Te rogamus audi nos.

Vt conſiliarios regios, & totam nobilitatem Regni, gratia, ſapientia & intellectu imbuere digneris:

Te rogamus audi nos.

Vt Magiſtratui noſtro benedicere, & in eum gratiam conferre vt exequatur iuſtitiam & cuſtodiat veritatem:

Te rogamus audi nos.

Vt populo tuo vniuerſo benedicere, eumque ſeruare digneris:

Te rogamus audi nos.

Vt omnibus gentibus vnitatē, pacem, & concordiam donare digneris:

Te rogamus audi nos.

Vt mentes noſtras ad verum amorem & timorem tui inflammare, & ad mandatorum tuorum obſeruantiam inclinare velis:

Te rogamus audi nos.

Vt populo incrementum gratiæ, vt verbum tuum humiliter audiat, & puro corde amplectatur, & fructus ſpiritus proferat, donare digneris:

Te rogamus audi nos.

Vt errantes & deceptos in viam veritatis reuocare digneris:

Te rogamus audi nos.

Vt ſtantes confirmare, imbecilles ſuſtentare, & cadentes erigere, ac Sathanam ſub pedibus noſtris conculcare velis:

Te rogamus audi nos.

Vt defendas, iuues, conſoleris omnes in periculis, neceſſitatibus & moleſtijs conſtitutos:

Te rogamus audi nos.

Vt peregrinantibus terra mariq; parturientibus, ægrotantibus, & infantibus, captiuis & incarceratis ſuccurrere velis:

Te rogamus audi nos.

Vt pupillis & orphanis, viduis, deſolatis & oppreſſis, proſpicere digneris:

Te rogamus audi nos.

Vt omnibus hominibus miſerearis:

Te rogamus audi nos.

Vt inimicis & perſecutoribus noſtris ignoſcas, & eorum corda ad pœnitentiam conuertere velis:

Te rogamus audi nos.

Vt fructus terræ dare & conſeruare digneris, vt ſuo tempore eis fruamur:

Te rogamus audi nos.

Vt veram pœnitentiam & remiſſionem peccatorum nobis largiri, negligentias

negligentias & ignorantias nobis condonare, gratiam ſancti ſpiritus, & emendationem vitæ nobis donare digneris:

Te rogamus audi nos.

Fili Dei te rogamus audi nos.

Fili Dei te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi.

Da nobis pacem.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi:

Miſerere nobis.

Chriſte audi nos.

Chriſte audi nos.

Kyrie eleyſon.

Kyrie eleyſon.

Chriſte eleyſon.

Chriſte eleyſon.

Kyrie eleyſon.

Kyrie eleyſon.

Pater noſter qui es in Cœlis, ſanctificetur &c.

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos à malo.

Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis.

Neq; ſecundum iniquitates noſtras retribue nobis.

Oremus.

DEus miſericors Pater, qui contritorum non deſpicis gemitum, & mœrentium non ſpernis affectum, adeſto precibus noſtris, quas tibi in angoribus noſtris effundimus, eaſque clementer ſuſcipere dignare, vt quicquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliuntur aduerſationes, ad nihilum redigatur, & conſilio tuæ pietatis elidatur, vt nos tui ſerui nullis infeſtationibus læſi, in Eccleſia tua ſancta tibi gratias referamus, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Exurge Domine, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum.

Deus, auribus noſtris audiuimus, & patres noſtri annuntiauerunt nobis opera admiranda, quæ operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

Exurge Deus, adiuua nos, & libera nos propter honorem tuum.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c. Amen.

Ab inimicis noſtris libera nos Chriſte.

Reſpice clementer afflictiones noſtras.

Aſpice dolorem cordis noſtri.

Propitius eſto peccatis populi tui.

Benignè audi orationes noſtras.

O Fili Dauid, miſerere nobis.

Et

Et nunc & ſemper dignare exaudire nos ô Chriſte.

Chriſte exaudi nos: Exaudi nos clementer Domine Ieſu Chriſte.

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

Sicut ſperamus in te.

Oremus.

INfirmitates noſtras quæſumus Domine, benigne reſpice, & propter gloriam Nominis tui, mala omnia quæ iuſte pro peccatis noſtris meremur, à nobis clementer auerte: & præſta, vt in cunctis aduerſitatibus, omnem noſtram fiduciam collocemus in miſericordia tua, & tibi ſemper in puritate vitæ ſeruiamus, ad gloriam tui Nominis: per vnicum Mediatorem noſtrum, & Aduocatum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Pro Rege.

O Domine Pater noſter cœleſtis, qui maximus potẽtiſſimúſq; es Rex regum, & Dominus dominantium, omnium principum ſolus & vnicus moderator & gubernator, qui ab excelſo & ſummo throno tuo, omnes mundi incolas intuĕris, ſuppliciter te rogamus, vt Regem noſtrum Iacobum, clementer & benigno vultu reſpicere digneris, & eum tui Spiritus ſancti gratiâ ita adimplere, vt ſemper ad tuam voluntatem perficiendam deditus, in vijs tuis ambulet. Accumula in eum cœleſtia tua dona: vitam illi fœlicem & diuturnam largire, vt diu fœliciterque regnet, hoſtes omnes ſuperet ſuos, & poſt hanc vitam gloria perfruatur æterna, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Pro Regina & Regia prole.

OMnipotens Deus, qui pollicitus es Patrem te fore tuis electis, adeoque ſemini illorum, humillimis precibus imploramus bonitatem tuam, vt benedictionem tuam ſupernam largiri digneris ſereniſsimæ Annæ Reginæ noſtræ, Carolo Principi, Elizabethæ, eiúſque coniugi Frederico Principi Palatino. Imbue illos ſancto tuo Spiritu, adorna cœleſti gratiâ, omnia illis proſpera concedas, tandemq; ad æternum tuum regnum perducas eos, propter meritum Ieſu Chriſti Domini noſtri. Amen.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, effunde in Epiſcopos & Miniſtros, & in cunctas Congregationes illorum fidei commiſſas, Spiritum gratiæ ſalutaris, & vt in veritate tibi complaceant, perpetuo eos rore tuæ benedictionis aſperge, per Aduocatum & Mediatorem noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

Precatio Dini Chryſoſtomi.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui nobis gratiam dediſti, vt hoc tempore vnanimiter congregati, preces noſtras ad te offerremus, quique polliceris, vt vbi duo vel tres congregati fuerint in tuo Nomine, te eorum ſupplicationes clementer exauditurum, petimus vt vota &

preces tuorum famulorum, prout tibi videbitur eorum ſaluti maximè expedire, perficias, & præſta nobis in hac vita tuæ veritatis cognitionem, & in futura vitam æternam. Amen.

ij. Corinth xiij.

GRatia Domini noſtri Ieſu Chriſti, charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus ſit ſemper cum omnibus nobis. Amen.

Pro pluuia petenda tempore neceſsitatis.

DEus Pater cœleſtis, qui per Filium tuum vnigenitum promiſiſti vniuerſis tuum regnum & eius iuſtitiam quærentibus, omnia huic vitæ neceſſaria, da nobis quæſumus in hac noſtra neceſſitate, pluuiam & imbres temperatiuos, vt terræ fructus ad corporis noſtri conſolationem & tui Nominis honorem, recipere poſſimus: per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Pro Aeru ſerenitate.

DOmine Deus, qui propter peccata hominis ſemel ſubmerſiſti mundum vniuerſum, octo hominibus ſolùm exceptis, & poſtea ſingulari ductus miſericordiâ, promiſiſti te nunquam denuò illum penitus ſubmerſurum, ſupplices te rogamus, etſi ob iniquitates noſtras has pluuiæ & aquarum inundationes ſumus commeriti, digneris tamen nos ad veram pœnitentiam conuertere, & talem nobis tribuere cœli ſerenitatem, vt terræ fructus tempore opportuno recipiamus, tuóque hoc ſupplicio admoniti, vitam noſtram emendare diſcamus, atque ob tuam in nos clementiam, tuas laudes & honores perpetuò celebrare valeamus, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Tempore caritatis & famis.

DEus Pater cœleſtis, cuius beneficio pluuia decidit, terra fit frugifera, animantia creſcunt, & piſces multiplicantur: intuere quæſumus afflictiones populi tui, & largire, vt hæc penuria caritáſque annonæ, quam nunc iuſtiſſimè propter peccata noſtra patimur, bonitate miſericordiæ tuæ vertatur in copiam & abundantiam. Hæc nobis clementiſſime Pater concede, propter amorem Ieſu Chriſti Domini noſtri, cui tecum & ſancto Spiritui, laus, honor, & gloria in omnem æternitatem. Amen.

Tempore belli.

OMnipotens Deus, Rex regum, & omnium gubernator, cuius potentiæ nulla creatura reſiſtere poteſt, cui proprium eſt peccatores punire, & eorum miſereri, qui vere agunt pœnitentiam, ſerua & libera nos, ſuppliciter te petimus, a manu inimicorum: reprime eorum ſuperbiam, minue malitiam, diſſipa illorum machinationes & aſtutias, vt nos tuis armis muniti, ſemper ſeruemur ab omnibus periculis, ad glo-

glorificandum te, qui es vnicus victoriæ largitor: propter merita vnigeniti Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

Tempore peſtis, mortalitatis, ſine morbi.

OMnipotens Deus, qui in tempore Regis Dauid, in ira tua, ſeptuaginta millia hominum peſte interfeciſti, & [illegible]en tuæ miſericordiæ memor, conſeruâſti reliquos, miſerere noſtri miſerorum, qui nunc varijs morbis & graui mortalitate affligimur, vt quemadmodum Angelum tuum à ſupplicio infer[illegible]do ceſſare iuſſiſti, ita quoque nunc & hanc peſtem à nobis amouere digneris: per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

DEus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe has precationes noſtras, vt quos delictorum catena miſerè conſtringit, clementia tuæ miſericordiæ liberè abſoluat, propter merita Ieſu Chriſti noſtri Mediatoris vnici. Amen.

Gratiarum actio pro pluuia.

DEus omnipotens, Pater cœleſtis, qui per gratioſam tuam prouidentiam efficis, vt pluuia temporanea atque ſerotina ſuper tellurem deſcendens frugiferam illam reddat, & humanis vſibus accommodam; agimus tibi gratias quàm poſſumus maximas, quod in hac noſtra indigentia ſumma, dignatus tandem fueris tam exoptata pluuia hæreditatem tuam exhilarare, eamq; iam areſcentem reficere, ad inſigne ſolatium noſtrum, qui indigni planè ſumus tanto beneficio, & ad maximam gloriam ſanctiſſimi nominis tui per miſericordias tuas in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Amen.

Pro ſerenitate gratiarum actio.

DOmine Deus, qui nuper iuſtiſſimo tuo iudicio per immoderatam pluuiarum & aquarum copiam nos humiliare voluiſti, nunc vero è contrà miſericordia commotus lætitiam animis noſtris infundere per hanc tam ſalubrem & iucundam ſerenitatem, nos propter hanc tuam inſignem bonitatem ſanctum tuum Nomen glorificamus, atque celebramus, neque vnquam ceſſabimus tuam clementiam & benignitatem prædicare à generatione in generationem, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Pro annonæ copia gratiarum actio.

CLementiſſime Pater, qui ex gratioſa tua bonitate ſupplices eccleſiæ tuæ preces exaudiuiſti, noſtramq; penuriam in copiam & abundantiam conuertiſti, humillimè tibi gratias agimus pro iſta ſingulari erga nos beneficentia tua, precantes Maieſtatem tuam, vt eandem nobis ſtabilem & continuam eſſe velis, terráq; noſtra copioſè reddat

fructum ſuum, ad nominis tui gloriam, noſtrámq; ſuſtentationem, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

Pro pace ac victoria gratiarum actio.

DEus omnipotens qui ſeruis tuis contra faciem hoſtium ſuorum, & inimicorum omnium teipſum præbere ſoles munimentum & propugnaculum fortiſsimum: ampliſsimas tibi gratias, ſummáſque laudes referendas agnoſcimus, quod non ita pridem liberare nos non ſis dedignatus a periculis tam manifeſtis, tam propinquis, quibus modò tenebamur circumſepti. Tuæ ſolius bonitati acceptum ferimus, quod non fuerimus traditi tanquam præda dentibus illorum, quam tuam inſignem erga nos clementiam, atque miſericordiam, precamur perpetuam eſſe velis, vt vniuerſus cognoſcat mundus, te noſtrum eſſe vindicem & liberatorem: per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum. Amen.

Pro peſte ceſſante gratiarum actio.

DOmine Deus, qui propter peccata noſtra vulnus nobis inflixiſti, & propter iniquitates noſtras, emiſsis contra nos iræ tuæ ſagittis, per peſtilentiam nuper graſſantem conſumpſiſti, nunc autem in medio iudiciorum tuorum haud oblitus miſericordiæ tuæ animas noſtras periclitantes è faucibus mortis redemiſti: offerimus nos totos paternæ tuæ bonitati tanquam hoſtiam viuam, vt & animi & corpora noſtra tua ſolius dextra à periculo liberata nunquam ceſſent celebrare tuas laudes, tuáſque miſericordias prædicare in medio piorum cœtu, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Alia precatio eiuſdem argumenti.

AGnoſcimus humiliter coram Maieſtate tua, Pater clementiſsime, dum immenſa noſtra peccata, atque duritiem cordium noſtrorum reſpicimus, meritò infligi nobis potuiſſe omnia ſupplicia, omnéſque diras in lege tua comprehenſas: Sed quandoquidem tibi placuerit ad hanc noſtram humiliationem indignam licèt & imperfectam, furorem peſtis tam ſæuæ, quâ fuimus grauiter afflicti, pro ſolita tua miſericordia mitigare, vocemque gaudij atque ſolatij in tabernaculis noſtris renouare, offerimus diuinæ tuæ Maieſtati ſacrificiũ laudis & gratiarum actiones, neque vnquam deſinemus nomen tuum glorioſum ob hanc tam propitiam bonitatem, & prouidentiam tuam prædicare: per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

COL-

COLLECTÆ, EPISTOLÆ, AC EVANGELIA, AD SACRAM Communionem, ſiue in Cœna Domini dicenda per totum Annum.

Dominica j. Aduentus.

Collecta.

DA nobis quæſumus omnipotens Deus, vt abiectis operibus tenebrarum, induamur armatura lucis in hac mortali vita, in qua Ieſus Chriſtus Filius tuus cum magna humilitate ad nos viſitandos aduenit, vt in extremo die quo rediturus eſt cum gloria Maieſtatis ſuæ ad iudicandos viuos & mortuos, reſurgamus ad vitam immortalem, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui tecum viuit & regnat in vnitate ſancti Spiritus, per ſecula ſeculorum. Amen.

Epiſtola ad Rom. cap. xiij. a ver. 8. incluſiuè ad finem capitis.

Euangelium Matthæi xxj. a principio cap. vſq; ad ver. 14. excluſiuè.

Dominica ij. Aduentus.

Collecta.

BEnedicte Deus, qui effeciſti, vt quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcriberentur, concede nobis vt ita Scripturam attentè audiamus, legamus, diſcamus, & intelligamus, ſincerèque obſeruemus, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum amplectamur, & retineamus ſpem æternæ vitæ, quam dediſti nobis in Seruatore noſtro Ieſu Chriſto, cui tecum & Sancto Spiritui, ſit honor & gloria, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Epiſtola ad Rom. cap. xv. a ver. 4 incluſiuè ad ver. 13. incluſiuè.

Euangelium Lucæ xxj. a ver. 23. incluſiuè ad ver. 13. incluſiuè.

Dominica iij. Aduentus.

Collecta.

AVrem tuam quæſumus Domine, precibus noſtris accommoda, & mentis noſtræ tenebras, gratia tuæ viſitationis illuſtra. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

Epistola 1. Cor. 4. a vers. 1. inclusiuè, ad vers. 6. exclusiuè.

Euangelium Matthæi cap. 11. a verse 1. exclusiuè ad v. 10. inclusiuè.

Dominica iiij. Aduentus.

Collecta.

EXcita quæsumus Domine potentiam tuam & veni, & magna nobis virtute succurre, vt per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ miserationis acceleret. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Epistola Philip. iiij. a ver. 4. inclusiuè, ad ver. 7. exclusiuè.

Euangelium Ioannis 1. a ver. 19. inclusiuè, ad ver. 29. exclusiuè.

In die Natalis Domini.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui vnigenitum filium tuum nobis dedisti, vt nostram naturam assumeret, hodiernaque die de pura virgine nasceretur, præsta quæsumus, vt nos regenerati, filijque tui per adoptionem & gratiam facti, tuo Sancto Spiritu quotidiè renouemur, per eundem Dominum nostrum, &c.

Epistola ad Hebræos, cap. 1. a ver. 1. inclusiuè, ad ver. 11. inclusiuè.

Euangelium Ioan. 1. a ver. 1. inclusiuè ad ver. 14. inclusiuè.

Die Sancti Stephani.

Collecta.

DA nobis Domine quæsumus, vt exemplo Sancti Stephani discamus inimicos diligere, qui pro persecutoribus suis precatus est Dominum nostrum filium tuum, qui tecum viuit & regnat, &c. Amen.

Tunc sequetur Collecta de Natiuitate Domini quæ quotidie dicetur vsque ad Circumcisionem.

Epistola Act. vij. a ver. 54. exclusiuè ad finem capitis.

Euangelium Matth. xxiij. a ver. 34. inclusiuè ad finem capitis.

Die

Die Ioannis Euangeliſtæ.

Collecta.

ECcleſiam tuam quæſumus Domine benigne illuſtra, vt beati Ioannis Apoſtoli tui & Euangeliſtæ illuminata doctrinis, ad dona perueniat ſempiterna. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

Epiſtola 1. Ioan. 1. a ver. 1. incluſiuè ad finem capitis.

Euangelium Ioan. xxj. a parte ver. 19. incluſiuè ad finem capitis.

Die Innocentium.

Collecta.

DEus, cuius hodierna die præconium Innocentes Martyres non loquendo ſed moriendo confeſsi ſunt, omnia in nobis vitiorum mala morti dede, vt fidem tuam quam lingua noſtra loquitur, etiam vita moribus fateatur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c. Amen.

Epiſtola Apocal. xiiij. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 6. excluſiuè.

Euangelium Mat. ij. a ver. 13. incluſiuè ad ver. 19. excluſiuè.

Domin. poſt Feſtum Natiuitatis.

Collecta.

OMnipotens Deus qui vnigenitum filium tuum nobis dediſti, &c
Vt ſupra in feſto Natiuitatis.

Epiſtola Galat. iiij. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 8. excluſiuè.

Euangelium Matthæi 1. ab initio capitis ad finem.

Die Circumciſionis.

Collecta.

OMnipotens Deus qui vnigenitum filium tuum carnis circumciſionem pati, & legi ſubditum eſſe voluiſti, propter hominem, da corda noſtra, vera & ſpirituali circumciſione ita diſcindi, vt mactatis mundanis & carnalibus concupiſcentijs, obediamus per omnia diuinæ voluntati tuæ. Per eundem Dominum noſtrum. Amen.

Epiſtola Roman. iiij. a ver. 7. incluſiuè, ad ver. 15. excluſiuè.

Euangelium Lucæ ij. a ver. 15. incluſiuè, ad ver. 22. excluſiuè.

Si fuerit Dominica inter festum Epiphaniæ & Circumcisionis, tum recitabitur ipsa Collecta, Epistola & Euangelium quæ dicebantur in die Circumcisionis.

Die Epiphaniæ.

Collecta.

DEus, qui vnigenitum tuum gentibus stella duce reuelasti, concede propitius, vt qui te iam ex fide cognouimus, tua glorioſa deitate poſtmodum vitam perfruamur. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Epistola Ephes. iij. a ver. 1. inclusiuè, ad ver. 13. exclusiuè.

Euangelium Mat. ij. a ver. 1. inclusiuè, ad ver. 13. exclusiuè.

Dominica 1. post Epiphaniam.

Collecta.

VOta quæsumus, Domine supplicantis populi, cœlesti pietate prosequere, vt ea quæ agenda sunt, videant & ad implenda quæ viderint, tuâ gratiâ ac virtute commoueantur. Per Iesum Christum, &c.

Epistola Rom. xij. a ver. 1. inclusiuè, ad ver. 6. exclusiuè.

Euangelium Lucæ ij. a ver. 41. inclusiuè, ad finem capitis.

Dominica ij. post Epiphan.

Collecta.

OMnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia simul & terrestria moderaris, supplicationes nostras clementer exaudi, & pacem tuam nostris concede temporibus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Epistola ad Rom. 12. a ver. 6. inclusiuè, ad ver. 17. exclusiuè.

Euangelium Ioan. ij. a principio capitis ad ver. 11. exclusiuè.

Dominica iij. post Epiphan.

Collecta.

OMnipotens æterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice, atque in omni necessitate ad protegendum nos, dexteram tuæ maiestatis extende. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

Epistola.

Epiſtola Rom. xij. a ver. 17. incluſiuè ad finem capitis.

Euangelium Mat. viij. a ver. 2. incluſiuè, ad ver. 14. excluſiuè.

Dominica iiij. poſt Epiphan.

Collecta.

DEus, qui nos in tantis periculis conſtitutos propter humanam fragilitatem ſcis non poſſe ſubſiſtere. Da nobis ſalutem mentis & corporis, vt ea quæ pro peccatis noſtris patimur, te adiuuante, vincamus. Per Dominum noſtrum Ieſum. &c.

Epiſtola Rom. xiij. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 8. excluſiuè.

Euangelium Mat. viij. a. ver. 23. incluſiuè, ad ver. vltimum incluſiuè.

Dominica v. poſt Epiphan.

Collecta.

FAmiliam tuam quæſumus Domine continua pietate cuſtodi, vt quę ſola fiducia gratiæ cœleſtis innititur, tua ſemper protectione muniatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Epiſtola Coloſſ. iij a ver. 11. incluſiuè, ad ver. 18. excluſiuè.

Euangelium Mat. xiij. a ver. 24. incluſiuè, ad ver. 30. incluſiuè.

Dominica ſexta poſt Epiphaniam quando ſit, legentur Collecta, Epiſtola & Euangelium quæ in Dominica præcedenti.

Dominica Septuageſimæ.

Collecta.

PReces populi tui quæſumus Domine, clementèr exaudi, vt qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria, per miſericordiã tuã liberemur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amẽ.

Epiſtola 1. Cor. ix. a ver. 24. incluſiuè ad finem capitis.

Euangelium Matt. xx. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 17. excluſiuè.

Do-

Dominica Sexagesimæ.

Collecta.

DEus, qui conspicis quod in nostris operibus minimè confidimus, concede propitius vt contra aduersa omnia, protectionis tuæ benignitate muniamur. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Epistola ii. Cor. xj a ver. 19. inclusiuè, ad ver. 31. inclusiuè.

Euangelium Luc. viij. a ver. 4. inclusiuè, ad ver. 16. exclusiuè.

Dominica Quinquagesimæ.

Collecta.

DEus, qui nos per Apostolum tuum docuisti, quod omnia opera nostra sine charitate nihil sint, da nobis Spiritum tuum sanctum, qui diffundat in cordibus nostris excellens donum charitatis, verum vinculum pacis & omnium virtutum, & sine qua omnis viuens coram te est mortuus, hoc largire: per Dominũ nostrum Iesum Christũ. Amen.

Epistola 1. Cor. xiij. a principio capitis ad finem.

Euangelium Luc. xviij. a. ver. 31. inclusiuè, ad finem capitis.

Feria quarta post Quinqua.

Collecta.

OMnipotens æterne Deus, qui nihil odisti eorum quæ fecisti, & remittis peccata omnibus pœnitentibus: crea in nobis cor contritum, vt dignè peccata nostra defleamus, & agnoscamus iniquitates nostras, & à te Deo omnis misericordiæ, perfectam peccatorum remissionem consequamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

Lectio Ioel 2, ji. a ver. 11. inclusiuè ad ver. 18. exclusiuè.

Euangelium Matt. vj. a ver. 16. inclusiuè, ad ver. 22. exclusiuè.

Dominica j. Quadragesimæ.

Collecta.

DOmine Iesu Christe, qui nostrâ causâ quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunasti, Da nobis huiusmodi vti abstinentia, vt caro nostra spiritui sit subiecta, & mandatis tuis semper obsequamur

in

in vera iuſtitia & ſanctitate, ad gloriam & honorem nominis tui, qui viuis & regnas in ſecula, &c.

Epiſtola 2. Cor. 6. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 11. excluſiuè

Euangelium Mat. iiij. a ver. 1. incluſiuè ad ver. 12. excluſiuè.

Dominica ij. Quadrageſimæ.

Collecta.

DEus, qui conſpicis omni nos virtute deſtitui, interius exteriuſque cuſtodi, vt ab omnibus aduerſitatibus muniamur in corpore, & a prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominũ noſtrum. &c.

Epiſtola j. Theſſ iiij. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 9. excluſiuè.

Euang. Mat. xv. a ver. 21. incluſiuè, ad ver. 29. excluſiuè.

Dominica iij. Quadrageſimæ.

Collecta.

QVæſumus omnipotens Deus, vota humilium reſpice, atque ad defenſionem noſtram aduerſus omnes inimicos noſtros dexteram tuæ Maieſtatis extende. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Epiſt. Epheſ. v. a ver. 1. incluſiuè ad ver. 15. excluſiuè.

Euangelium Luc. xj. a ver. 14. incluſiuè ad ver. 29. excluſiuè.

Dominica iiij. Quadrageſimæ.

Collecta.

CONcede quæſumus omnipotens Deus, vt qui ex merito noſtræ prauitatis affligimur, tuæ gratiæ conſolatione reſpiremus. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Epiſt. Galat. iiij. a ver. 21. incluſiuè, ad finem capitis.

Euangelium Ioan. vi. a ver. 1. incluſiuè ad ver. 15. excluſiuè.

Dominica v. Quadrageſimæ.

Collecta.

POpulum tuum quæſumus Domine benigne reſpice, vt tua magna bonitate dirigatur, & corpore ac animo conſeruetur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

Epiſt.

Epistola Heb. ix. ver. 11. inclusiuè, ad ver. 16. exclusiuè.

Euangelium Ioan. viij. a ver. 46. inclusiuè ad finem capitis.

Dominica proxima Paschæ.

Collecta.

OMnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem nostrum carnem assumere, & crucem subire fecisti, concede propitius, vt & patientiæ ipsius habere documenta, & resurrectionis consortia mereamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Epistola Philip. ij. a ver. 5. inclusiuè, ad ver. 12. exclusiuè.

Euang. Mat. xxvi. a ver. 1. inclusiuè, ad ver. 57. cap. 27. exclusiuè.

Feria ij. ante Paschæ.

Lectio Esaiæ Prophetæ, cap. lxiij. a ver. 1. inclusiuè ad finem capitis.

Euangelium Mat. xiiij. a ver. 1. inclusiuè ad finem capitis.

Feria tertia ante Paschæ.

Lectio Esaiæ Prophetæ, cap. 1. a ver. 5. inclusiuè, ad finem capitis.

Euangelium Mar. xv. a ver. 1. inclusiuè ad finem capitis.

Feria quarta ante Paschæ.

Epistola Heb. ix. a ver. 16. inclusiuè ad finem capitis.

Euangelium Luc. xxij. a ver. 1. inclusiuè ad finem capitis.

Feria quinta ante Paschæ.

Epist. 1. Cor. xi. a ver. 17. inclusiuè ad finem capitis.

Euan. Luc. xxiij. a ver. 1. inclusiuè ad finem capitis.

Die Parasceues.

Collecta.

OMnipotens Deus, familiam tuam quæsumus benignè respice, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit tradi manibus nocentum,

nocentum, & crucis ſubire tormentum. Qui tecum viuit & regnat cum Sancto Spiritu, in ſecula ſeculorum. Amen.

Alia Collecta.

OMnipotens æterne Deus, cuius ſpiritu vniuerſum corpus Eccleſiæ ſanctificatur & regitur, exaudi nos pro vniuerſis ordinibus ſupplicantes, & præſta, vt ab omnibus tibi dignè & laudabiliter ſeruiatur. Per Dominum noſtrum Ieſum, &c.

MIſericors Deus, creator omnium hominum, qui nihil odiſti eorum quæ condidiſti, neque vis mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur & viuat, miſerere Iudæorum, Turcarum, Infidelium & Hæreticorum: auſer ab eis ignorantiam & duritiem cordis, & contemptum verbi tui, & reduc eos, miſericors Domine, ad gregem tuum, vt ſeruentur inter reliquias veri Iſraelis, vt fiat vnum ouile & vnus paſtor Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui viuit & regnat, &c.

Epiſtola Heb. 10. a ver. 1. incluſiuè ad ver. 16. excluſiuè.

Euan. Ioan. xviij. a ver. 1. incluſiuè ad finem capitis proximi.

Vigilia Paſchæ.

Epiſtola 1. Pet. iij. a ver. 17. incluſiuè ad finem capitis.

Euangelium Mat. xxvij. a ver. 57 incluſiuè ad finem capitis.

Die Paſchæ.

Ad Matutinas, loco Pſal. Venite exultemus Domino, *Antiphonæ ſequentes cantabuntur, aut dicentur.*

CHriſtus reſurgens à morte iam non amplius moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quod enim mortuus eſt, ſemel mortuus propter abolitionem peccati, quod autem viuit, viuit Deo. Ita exiſtimate vos ipſos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

NVnc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ eorum qui dormierunt. Poſtquam enim per hominem mors, etiam per hominem reſurrectio mortuorum. Quemadmodum enim omnes per Adam moriuntur, ita per Chriſtum omnes viuificabuntur.

Collecta.

Collecta.

DEus, qui per vnigenitum æternitatis nobis aditum, deuicta morte, reseraſti: vota noſtra quæ præueniendo aſpiras, etiam adiuuando proſequere. Per eundem Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui, &c.

Epiſt. Coloſſ. iij. a ver. 1. incluſiuè ad ver. octauum excluſiuè.

Euang. Ioan. xx. a ver. 1. incluſiuè ad ver. 11. excluſiuè.

Feria ij. poſt Paſcha.

Collecta.

Deus qui per vnigenitum, &c. *Vt ſupra in die Paſchæ.*

Epiſt. Act. x. a ver. 34. incluſiuè ad ver. 44. excluſiuè.

Euang. Luc. xxiiij. a ver. 13. incluſiuè ad ver. 36. excluſiuè.

Feria tertia poſt Paſcha.

Collecta.

OMnipotens pater qui dediſti filium tuum, vt pro peccatis noſtris moreretur, & pro iuſtitia noſtra reſurgeret, præſta, vt abiecto fermento malitiæ & nequitiæ, in puritate fidei & vitæ, tibi perpetuò ſeruiamus. Per Dominum noſtrum, &c.

Epiſtola Act. xiij. a ver. 26. incluſiuè ad ver. 41. excluſiuè.

Euang. Luc. xxiiij. a ver. 26. incluſiuè ad ver. 49. excluſiuè.

Dominica prima poſt Paſcha.

Collecta.

Deus qui per vnigenitum, &c. *Vt ſupra in die Paſchæ.*

Epiſtola 1. Ioan. v. a ver. 4. incluſiuè ad ver. 13. excluſiuè.

Euang. Ioan. xx. a ver. 19. incluſiuè ad ver. 24. excluſiuè.

Dominica ij. poſt Paſcha.

Collecta.

OMnipotens Deus qui dediſti nobis filium tuum vt eſſet ſacrificium pro peccato, & exemplum nouæ & æternæ vitæ, da vt gratis mentibus hoc ineſtimabile beneficium agnoſcamus, & exempla vitæ ipſius ſanctiſſimæ, perpetuò imitari ſtudeamus. Per eundem Chriſtum, &c.

Epiſt.

Epiſt. 1. Pet. ij. a ver. 19. incluſiuè ad finem capitis.

Euang. Ioan. x. a ver. 11. incluſiuè ad ver. 17. excluſiuè.

Dominica iij poſt Paſcha.

Collecta.

DEus, qui errantibus vt in viam poſsint redire, iuſtitiæ veritatis tuæ lumen oſtendis, da cunctis qui Chriſtiana profeſsione cenſentur, & illa reſpuere quæ huic inimica ſunt nomini, & ea quæ ſunt apta ſectari. Per Ieſum Chriſtum Dominum &c.

Epiſt. 1. Pet ij. a ver. 11. incluſiuè ad ver. 18. excluſiuè.

Euang. Ioan. xvi. a ver. 16. incluſiuè ad ver. 23. excluſiuè.

Dominica iiij. poſt Paſcha.

Collecta.

DEus, qui fidelium mentes vnius efficis voluntatis, da populo tuo id amare quod præcipis, id deſiderare quod promittis, vt inter mundanas varietates, ibi noſtra fixa ſint corda, vbi vera ſunt gaudia. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſtola Iacobi j. a ver. 17. incluſiuè ad ver. 22. excluſiuè.

Euan. Ioan. xvi. a ver. 1 incluſiuè ad ver. 16. excluſiuè.

Dominica v. poſt Paſcha.

Collecta.

DEus, à quo bona cuncta procedunt, largire ſupplicibus tuis, vt cogitemus te inſpirante, quæ vera ſunt, & te gubernante faciamus. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Epiſtola Iacobi j. a ver. 22 incluſiuè ad finem capitis.

Euang. Ioan. xvi. a ver. 23. partim incluſiuè ad finem capitis.

Die Aſcenſionis Domini.

Collecta.

COncede quæſumus omnipotens Deus, vt qui vnigenitum tuum, redemptorem noſtrum, ad cœlos aſcendiſſe credimus, ipſi quoque mente illuc aſcendamus, & cum illo in cœleſtibus perpetuò habitemus. Per eundem Dominum noſtrum, &c.

Epiſt.

Epistola Act. j. a ver. 1. inclusiuè, ad ver. 12. exclusiuè.

Euangelium Mar. xvj. a ver. 14. inclusiuè, ad finem capitis.

Dominica post Ascensionem.

Collecta.

DEus Rex gloriæ, qui filium tuum vnigenitum Iesum Christum cum ingenti triumpho in cœleste tuum regnum exaltâsti: petimus ne relinquas nos orphanos, sed mitte nobis Spiritum Sanctum paracletum, qui nos consoletur, & vt nos euehat ad illam gloriam, ad quam Dominus & Seruator noster Iesus Christus prior ascendit. Qui tecum viuit, &c.

Epistola 1. Pet. iiij. a ver. 7. inclusiuè, ad ver. 12. exclusiuè.

Euang. Ioan. xv. xvj. a ver. 26. inclusiuè ad ver. 5. exclusiuè. ca. proximi.

Die Pentecostes.

Collecta.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis eodem spiritu recta sapere, & de eius semper sancta consolatione gaudere. Per merita Seruatoris nostri Iesu Christi, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Epistola Act. ij. a ver. 1. inclusiuè, ad ver. 12. exclusiuè.

Euang. Ioan. xiiij. a ver. 15. inclusiuè, ad ver. vlt. inclusiuè partim.

Feria ij. post Pentecost.

Collecta.

Deus qui corda fidelium, &c. *Vt supra in die Pentecostes.*

Epistola Act. x. a ver. 34. inclusiuè ad finem capitis.

Euangelium Ioan. iij. a ver. 16. inclusiuè ad ver. 22. exclusiuè.

Feria iij. post Pentecost.

Collecta.

Deus qui corda fidelium, &c. *Vt supra in die Pent.*

Epistola Act. viij. a ver. 14. inclusiuè ad ver. 18. exclusiuè.

Euang

Euangelium Ioan. x. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 11. excluſiuè.

Dominica Trinitatis.

Collecta.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti nobis famulis tuis gratiam in confeſsione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia Maieſtatis vnitatem adorare, quæſumus, vt eiuſdem fidei firmitate, ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Qui viuis & regnas Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Epiſtola Apoc. iiii. ab initio cap. ad finem.

Euang. Ioan. iii. a ver. 1. incluſiuè ad ver. 16. excluſiuè.

Dominica j. poſt Trinit.

Collecta.

DEus, in te ſperantium fortitudo, adeſto propitius inuocationibus noſtris, & quia nihil ſine te poteſt mortalis infirmitas, præſta auxilium gratiæ tuæ, vt in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione placeamus. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Epiſtola 1. Ioan. iiij. a ver. 7. incluſiuè ad finem cap.

Euang. Luc. xvj. a ver. 19. incluſiuè ad finem cap.

Dominica ij. poſt Trinit.

Collecta.

SAncti nominis tui Domine, timorem pariter & amorem, fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione deſtituis, quos ſemel in ſoliditate tuæ dilectionis inſtituis. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Epiſt. 1. Ioan. iii. a ver. 13. incluſiuè ad ver. 24. incluſiuè.

Euang. Luc. xiiij. a ver. 16. incluſiuè ad ver. 25. excluſiuè.

Dominica iij. poſt Trinit.

Collecta.

QVæſumus nos Domine, clementer exaudi, & quibus ſupplicandi præſtas affectum, tribue defenſionis auxilium. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Epiſt. 1. Pet. v. a ver. 5. partim incluſiuè ad finem cap.

Euang. Luc. xv. a ver. 1. incluſiuè ad ver. 10. excluſiuè.

Dominica iiij. poſt Trinit.

Collecta.

PRotector omnium in te ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt ſanctum nihil validum, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, vt te rectore, te duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna. Per Ieſum Chriſtum Dominum. &c.

Epiſtola Rom. viij. a ver. 18. incluſiuè ad ver. 24. excluſiuè.

Euang. Luc. vi. a ver. 36. incluſiuè ad ver. 43, excluſiuè.

Dominica v. poſt Trinit.

Collecta.

DA nobis quæſumus vt & mundi curſus pacificè nobis tuo ordine dirigatur, & eccleſia tua tranquilla deuotione lætetur. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſtola 1. Pet. iij. a ver. 8. incluſiuè ad ver. 15. partim incluſiuè.

Euan. Luc. v. a ver. 1. incluſiuè ad ver. 11. excluſiuè.

Dominica vj. poſt Trinit.

Collecta.

DEus, qui diligentibus te bona inuiſibilia præparâſti, infunde cordibus noſtris tui amoris affectum, vt te in omnibus & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omnium deſiderium ſuperant, conſequamur. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Epiſt. Rom. vj. a ver. 3. incluſiuè ad ver. 12. excluſiuè.

Euang. Mat. v. a ver. 20. incluſiuè ad ver. 27. excluſiuè.

Dominica vij. poſt Trinit.

Collecta.

DEus virtutum, cuius eſt omne quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis, & præſta nobis religionis incrementum, vt quæ bona ſunt nutrias, & quæ ſunt nutrita cuſtodias. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Epiſt.

Epiſt. Rom. vj. a ver. 19. incluſiuè ad finem capitis.

Euangelium Mar. viij. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 10. excluſiuè.

Dominica viij. poſt Trinit.

Collecta.

DEus, cuius prouidentia in ſua diſpoſitione non fallitur, te ſupplices exoramus, vt noxia cuncta ſubmoueas, & omnia nobis profitura concedas. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Epiſtola Rom. viij. a ver. 11. incluſiuè ad ver. 18. excluſiuè.

Euangelium Mat. vij. a. ver. 15. incluſiuè, ad ver. 22. excluſiuè.

Dominica ix. poſt Trinit.

Collecta.

LArgire nobis, quæſumus Domine, ſemper ſpiritum cogitandi quæ recta ſunt, pariter & agendi, vt qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundum te viuere valeamus. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſtola 1. Cor. x a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 14. excluſiuè.

Euangelium Luc. xvj. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 10. excluſiuè.

Dominica x. poſt Trinit.

Collecta.

PAteant aures miſericordiæ tuæ Domine precibus ſupplicantium, & vt petentibus deſiderata concedas, fac eos quæ tibi placita ſunt, poſtulare. Per Chriſtum Dominum, &c.

Epiſt. 1. Cor. xij. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 12. excluſiuè

Euangelium Luc. xix a ver. 41. incluſiuè ad ver. 47. incluſiuè.

Dominica xj. poſt Trinit.

Collecta.

DEus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerendo manifeſtas, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, vt ad tua promiſſa currentes, cœleſtium bonorum facias eſſe participes. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Epist. 1. Cor. xv. a ver. 1. inclusiuè ad ver. 12. exclusiuè.

Euangelium Luc. xviij. a ver. 9. inclusiuè ad ver. 15. exclusiuè.

Dominica xij. post Trinit.

Collecta.

OMnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ & merita supplicum excedis & vota, effunde super nos misericordiam tuam, vt dimittas quæ conscientia metuit, & adijcias quæ oratio postulare non audet. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Epistola 2. Cor. iij. a ver. 4. inclusiuè, ad ver. 10. exclusiuè.

Euang. Mar. vij. a ver. 31. inclusiuè, ad finem capitis.

Dominica xiij. post Trinit.

Collecta.

OMnipotens & misericors Deus, a cuius beneficentia proficiscitur, vt tibi à fidelibus tuis dignè & laudabiliter seruiatur, tribue quæsumus nos, vt ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola Gal. iij. a ver. 16. inclusiuè, ad ver. 23. exclusiuè.

Euangelium Luc. x. a ver. 23. inclusiuè ad ver. 38. exclusiuè.

Dominica xiiij. post Trinit.

Collecta.

OMnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei & charitatis incrementum: & vt mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis: per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Epist. Galat. v. a ver. 16. inclusiuè ad ver. 25. exclusiuè.

Euang. Luc. xvij. a ver. 11. inclusiuè ad ver. 20. exclusiuè.

Dominica xv. post Trinit.

Collecta.

CVstodi quæsumus Domine Ecclesiam tuam, miseratione perpetua: & quia sine te labitur humana fragilitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, vt ab omnibus abstrahatur noxiis, & ad salutaria cuncta dirigatur. Per Iesum Christum, &c.

Epist.

Epiſtola Gal. vj a ver. 11. incluſiuè ad finem capitis.

Euangelium Matth. vj. a ver. 24. incluſiuè ad finem capitis.

Dominica xxvj. poſt Trinit.

Collecta.

ECcleſiam tuam Domine, miſeratio continuata mundet & muniat, & quia ſine te non poteſt ſalua conſiſtere, tuo ſemper munere gubernetur. Per Ieſum Chriſtum Dom. &c.

Epiſtola Epheſ. iij. a ver. 13. incluſiuè, ad finem capitis.

Euangelium Luc. 7. a ver. 11. incluſiuè ad ver. 18. excluſiuè.

Domin. xxvij. poſt Trinit.

Collecta.

TVa nos Domine, quæſumus gratia ſemper præueniat & ſequatur, ac bonis operibus præſtet eſſe intentos. Per Ieſum Chriſtum, &c.

Epiſtola Epheſ. iiij. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 7. excluſiuè.

Euangelium Luc. xiiij. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 12. excluſiuè.

Domin. xxviij poſt Trinit.

Collecta.

DA quæſumus Domine populo tuo, diabolica vitare contagia, & te ſolum verum Deum pura mente ſectari. Per Ieſum Chriſt. &c.

Epiſtola 1. Cor. 1. a verſ. 1. incluſiuè, ad verſ. 9. excluſiuè.

Euangelium Matthæi xxij. a verſe 34. incluſiuè ad finem capitis.

Domin. xix poſt Trinit.

Collecta.

DIrigat corda noſtra quęſumus Domine tuæ miſerationis operatio: quia tibi ſine te placere non poſſumus. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſtola Epheſ. iiij. a ver. 17. incluſiuè, ad finem capitis.

Euangelium Mat. ix. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 9. excluſiuè.

Dominica xx. post Trinit.

Collecta.

OMnipotens & misericors Deus, vniuersa nobis aduersantia misericors exclude, vt mente & corpore pariter expediti, quæ tua sunt liberis mentibus exequamur. Per Christum Dominum nostrum.

Epistola Ephes. v. a ver. 15. inclusiuè, ad ver. 22. exclusiuè.

Euangelium Matthæi xxij. a ver. 1. inclusiuè ad ver. 15. exclusiuè.

Domin. xxj. post Trinit.

Collecta.

LArgire quæsumus Domine, fidelibus tuis veniam placatus & pacem, vt pariter ab omnibus mundentur offensis, & secura tibi mente deseruiant. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epistola Ephes. vj. a ver. 10. inclusiuè, ad ver. 20. exclusiuè.

Euangelium Ioan. iiij. a ver. 46. partim inclusiuè ad finem capitis.

Domin. xxij post Trinit.

Collecta.

FAmiliam tuam quæsumus Domine, continua pietate custodi, vt à cunctis aduersitatibus, te protegente sit libera, & in omnibus actionibus tuo nomini sit deuota. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Epistola Phil. 1. a ver. 3. inclusiuè ad ver. 12. exclusiuè.

Euangelium Mat. xviij. a ver. 21. inclusiuè ad finem capitis.

Domin. xxiij. post Trinit.

Collecta.

DEus nostrum refugium & virtus, adesto pijs Ecclesiæ tuæ precibus, autor ipse pietatis, & præsta, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Epist. Phil. iij. a ver. 17. inclusiuè ad finem capitis.

Euang. Mat. xxij. a ver. xv. inclusiuè ad ver. 23. exclusiuè.

Do-

Domin. xxiiii. post Trinit.

Collecta.

ABsolue quæsumus Domine, tuorum delicta populorum, vt à peccatorum nostrorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per Christum Dominum nostrum.

Epistola Coloss. j. a ver. 3. inclusiuè ad ver. 13. inclusiuè.

Euangelium Mat. ix. a ver. 18. inclusiuè ad ver. 27. exclusiuè.

Domin. xxv. post Trinit.

Collecta.

EXcita quæsumus Domine tuorum fidelium voluntates, vt diuini operis fructum propensiùs exequentes, pietatis tuæ præmia maiora percipiant. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Lectio Iere. xxiij. a ver. 5. inclusiuè, ad ver. 9. exclusiuè.

Euang. Ioan. vj. a ver. 5. inclusiuè, ad ver. 15. exclusiuè.

Si ante Dominicam aduentus Domini plures istis xxv. acciderint Dominicæ, Collecta, Epistola & Euangelium dicantur, quæ Dominicis inter Epiphaniam & Septuagesimam assignata sunt, & erant omissa.

Die S. Andreæ Apostoli.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui dedisti beato Andreæ Apostolo tuo, vt acerbam & ignominiosam crucis mortem duceret sibi pro magna gloria, tribue vt omnia nobis aduersa pro nomine tuo, ducamus profutura ad æternam vitam conducibilia. Per Christum Dominum, &c.

Epistola Rom. x. a ver. 9. inclusiuè, ad finem capitis.

Euang. Mat. iiij. a ver. 18. inclusiuè ad ver. 23. exclusiuè.

Die S. Thomæ Apostoli.

Collecta.

OMnipotens æterne Deus, qui pro confirmatione fidei nostræ beatum Thomam Apostolum de resurrectione filij tui dubitantem

confirmâsti, concede nobis vt veré & sine vlla dubitatione credamus in filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, & vt fides nostra coram te, nunquam mereatur reprehensionem. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum.

Epist. Ephes. ij. a ver. 19. inclusiuè, ad finem cap.

Euangelium Ioan. xx. a ver. 24. inclusiuè ad finem cap.

Die Conuersionis S. Pauli.

Collecta.

DEus qui vniuersum mundum beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti, da nobis quæsumus, vt cuius conuersionem recolimus, doctrinam, quam proposuit, sequamur, & factis exprimamus. Per Iesum Christum Dominum, &c.

Epistola Act. ix a ver. 1. inclusiuè, ad ver. 21. exclusiuè.

Euang. Mat. xix. a ver. 27. inclusiuè, ad finem cap.

Die purificat. Mariæ Virgin.

Collecta.

OMnipotens Deus, maiestatem tuam supplices exoramus, vt sicut vnigenitus filius tuus cùm carnis nostræ substantia hodiè tibi in templo est præsentatus, ita nos facias purgatis mentibus tibi præsentari, & vitam obtinere æternam. Per eundem Iesum Christum Dominum, &c.

Epist. Eadem cum illa, quæ assignatur diei Dominico.

Euang. Luc. ij. a. ver. 22. inclusiuè, ad ver. 27. partim exclusiuè.

Die Matthiæ Apostoli.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui in locum Iudæ traditoris elegisti fidelem seruum tuum Matthiam, vt esset vnus ex numero duodecim Apostolorum, defende ecclesiam tuam a doctrina pseudoapostolorum, & tribue vt à veris pastoribus gubernetur. Per Iesum Christum Dominum nostrum. &c.

Epist.

Epiſt. Act. j. a ver. 15. incluſiuè ad finem capitis.

Euang. Mat. xj. a ver. 25. incluſiuè, ad finem cap.

Annunt. beatæ Mariæ.

Collecta.

MEntibus noſtris, quæſumus Domine, gratiam tuam benignus infunde, vt qui Angelo annuntiante filij tui incarnationem cognouimus, per paſſionem eius & crucem, ad reſurrectionis gloriam perducamur: Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

Lectio. Eſai. vij. a ver. 10. incluſiuè ad ver. 16. excluſiuè.

Euangelium Luc. j. a ver. 26. incluſiuè ad ver. 39. excluſiuè.

Die S. Marci Euangeliſt.

Collecta.

DEus, qui beatum Marcum Euangeliſtam tuum, ad Euangelicæ prædicationis gratiam euexiſti, tribue quæſumus, nos ſemper ſancto tuo Euangelio proficere, & fidei conſtantia ſtabiliri, vt non ſimus ſemper pueri, fluctuantes omni vento doctrinæ. Per Ieſum Chriſtum Dom. &c.

Epiſtola Epheſ. iiij. a ver. 7. incluſiuè ad ver. 17. excluſiuè.

Euan. Ioan. xv. a ver. 1. incluſiuè ad ver. 12. excluſiuè.

Die Phil. & Iac. Apoſt.

Collecta.

OMnipotens Deus, cuius vera cognitio vita æterna eſt, fac nos credere filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, eſſe viam & veritatem & vitam, id quod ſancti Apoſtoli tui Philippus & Iacobus crediderunt & docuerunt. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum, &c.

Epiſtola Iac. j. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 12. excluſiuè.

Euangelium Ioan, xiiij. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 15. excluſiuè.

Die Barnabæ Apoſtoli.

Collecta.

OMnipotens Domine, qui Sanctum Apoſtolum tuum Barnabam ſingularibus donis ſancti Spiritus ornâſti, quæſumus, neſinas nos deſtitui multiplicibus donis tuis aut gratia tua, vt illis rectè vtamur ad laudem & gloriam ſanctiſſimi nominis tui. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Epiſt. Act. xj. a ver. 22. incluſiuè ad finem cap.

Euangelium Ioan. xv. a ver. 12. incluſiuè ad ver. 17. excluſiuè.

Die Ioannis Baptiſtæ.

Collecta.

OMnipotens Deus, cuius prouidentia præcurſor Ioannis Baptiſta miraculosè natus eſt, & miſſus vt præpararet viam filio tuo prædicatione pœnitentiæ: fac nos eius doctrinam & ſanctam vitam ita imitari, vt agamus veram pœnitentiam iuxta ipſius doctrinam, & exemplo eius conſtanter fateamur veritatem, & liberè crimina reprehendamus, ac patienter pro confeſſione veritatis mortem perferamus acerbam. Per eundem Ieſum Chriſtum Dominum, &c.

Lectio Eſai. xl. a ver. 1. incluſiuè, ad ver. 12. excluſiuè.

Euangelium Luc. 1. a ver. 57. incluſiuè ad finem cap.

Die S. Petri Apoſtoli.

Collecta.

OMnipotens Deus qui per filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum beato Petro Apoſtolo excellentia dona contuliſti, & vt gregem tuum diligenter paſceret tertiò præcipiſti, præſta quæſumus, vt omnes Epiſcopi & paſtores diligenter doceant Euangelium & vt populus doctrinæ ſit obſequens, quatenus vitam conſequatur æternam. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſt. Act xij. a ver. 1. incluſiuè ad ver. 12. excluſiuè.

Euang. Mat. xvj. a ver. 13. incluſiuè ad ver. 20. excluſiuè.

Die

Die S. Iacobi Apoſt.

Collecta.

MIſericors Deus, concede, vt ſicut ſanctus Iacobus Apoſtolus tuus, relicto patre & omnibus quæ habebat, continuò obediens fuit vocationi filij tui,& eum eſt ſecutus: Ita nos relictis omnibus mundanis & carnalibus affectibus, ſemper pareamus mandatis tuis. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

Epiſt. Act. xj. & xij.a ver. 27. incluſiuè ad ver.4. cap ſeq. excluſiuè.

Euang. Mat, xx. a ver. 20. incluſiuè ad ver. 28. excluſiuè.

Die S. Barthol. Apoſt.

Collecta.

OMnipotens ſempiterne Deus qui dediſti Apoſtolo tuo Bartholomæo, vt crederet Euangelio, illudque doceret, da quæſumus Eccleſiæ tuæ & amare quod credidit, & prædicare quod docuit. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Epiſtola Act. v. a ver. 12. incluſiuè ad ver. 17. excluſiuè.

Euang. Luc. xxij. a ver. 24. incluſiuè ad ver. 30. incluſiuè.

Die S. Matthæi Apoſt.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui per filium tuum vocâſti beatum Matthæum,vt ex publicano Apoſtolus fieret & Euangeliſta,da nobis gratiam,vt ſtudium pecuniæ & opum amorem inordinatum,relinquamus, & ſequamur filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum.

Epiſtola 2. Cor 4.a ver. 1. incluſiuè ad ver,7. excluſiuè.

Euang. Mat. ix. a ver.9. incluſiuè ad ver. 14. excluſiuè.

Die Michaelis & omnium Angelorum.

Collecta.

DEus, qui miro ordine Angelorum miniſteria hominumque diſpenſas, concede propitius, vt à quibus tibi miniſtrantibus in cœlo

lo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Epiſt. Apoc. xij. a ver. 7. incluſiuè ad ver. 17. excluſiuè.

Euang. Mat. viij. a ver. 1. incluſiuè ad ver. 11. excluſiuè.

Die S. Lucæ Euangeliſtæ.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui Lucam medicum, cuius laus eſt in Euangelio, vt animarum quoque curam ſuſciperet, ad te vocâſti, præſta quæſumus, vt ſalubribus eius doctrinæ medicinis, omnes animarum noſtrarum morbi ſanentur. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſtola 2. Timoth. iiij. a ver. 5. incluſiuè ad ver. 16. excluſiuè.

Euan. Luc. x. a ver. 1. incluſiuè ad ver. 8. excluſiuè.

Die Simonis & Iudæ Apoſt.

Collecta.

OMnipotens Deus qui Eccleſiam ſuper fundamento prophetarum & Apoſtolorum in ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu ædificâſti, da nobis vt per eorum doctrinam in vnitate ſpiritus coniungamur, vt ſimus tibi ſemper templum acceptabile. Per eundem Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſtola Iud. j. a ver. 1. incluſiuè ad ver. 9. excluſiuè.

Euang. Ioan. xv. a ver. 17. incluſiuè ad finem cap.

Die omnium Sanctorum.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui coniunxiſti electos tuos in vna communione & ſocietate myſtici corporis filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, da vt ſanctos tuos in omnibus virtutibus & bonis operibus imitemur, vt ad ineffabile gaudium quod præparâſti iis, qui verè te diligunt, perueniamus. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſt. Apoc. vij. a ver. 2. incluſiuè ad ver. 12. incluſiuè.

Euang. Mat. v. a ver. 1. incluſiuè ad ver. 13. excluſiuè.

Finis Collectarum, Epiſtolarum, & Euangeliorum totius anni.

Ordo administrandi Cœnam Domini siue Sacram Communionem.

QVotquot cupiunt fieri participes sacræ Communionis, indicabunt nomina sua Pastori, pridiè aut manè, prinsquam inchoentur Matutinæ, vel immediatè post principium Matutinarum precum.

Si quis autem eorum fuerit manifestè criminosus, ita vt Ecclesia per eum sit offensa, vel afficit proximum iniuriâ verbis aut facto, Si pastor hoc intellexerit vocabit eum, & commonefaciet, ne vllo modo audeat accedere ad mensam Domini, donec præbuerit clara indicia suæ recipiscentiæ, & satisfecerit Ecclesiæ, ac illis quos affecit iniuria: vel ad minimum, promittat se illis satisfacturum, quàm primum commodè fieri potest.

Eodem ordine, admonebit pastor eos, inter quos intelligit esse simultates, ac odia, nec permittet eos communicare mensæ Domini, donec certior redditus fuerit de eorum reconciliatione. Quod si altera pars litigantium dixerit se velle ex animo alteri ignoscere, & ei etiam satisfacere, & altera noluerit accipere satisfactionem, aut deponere iram & odium, Pastor admittet pœnitentem at non pertinacem.

Cùm Cœna Dominica celebrabitur, mensa mundo panno lineo operta stabit in medio vel Templi vel Chori, vbi Matutinæ & Vespertinæ preces dicendæ sunt: ad cuius mensæ septentrionalem partem Minister stans orabit precationem Dominicam.

PAter noster qui es in cœlis, &c.

Cum Collecta sequente.

OMnipotens Deus, cui omne cor patet, & cui omnes affectus animorum cogniti sunt, & quem nihil latet, purifica cogitationes cordium nostrorum, per inspirationem Sancti Spiritus, vt te ex animo amemus, & debita veneratione celebremus nomen tuum Sanctum. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Tunc recitabit Sacerdos clarè Decem Præcepta: & vniuersus populus post singula mandata, genibus flexis, misericordiam Dei implorabit, pro violationibus illorum, in hunc qui sequitur modum.

Minister.

LOquutus est Deus verba ista dicendo: Ego sum Dominus Deus tuus. Deos nullos alios habebis præter me. Exod. 20. Deut. 5.

Populus.

Domine, miserere nostri, & dirige corda nostra ad seruandam hanc legem.

Minister.

Minister.

Non facies tibi sculptile, neque vllam similitudinem vllius rei quæ est supra in cœlo, aut infra in terra, aut in aquis sub terra: non adorabis ea nec coles. Ego enim Dominus Deus tuus, Deus zelotes sum, visitans iniquitates patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia, ijs qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

Populus.

Domine, miserere nostri, &c.

Minister.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: non enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen eius in vanum.

Populus.

Domine miserere nostri, &c.

Minister.

Memento vt diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua, septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est, nullum in eo facies opus, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificauit eum.

Populus.

Domine, miserere nostri, &c.

Minister.

Honora patrem tuum & matrem tuam, vt prolongentur dies tui super terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi.

Populus.

Domine, miserere nostri, &c.

Minister.

Non occides.

Populus.

Domine, miserere nostri, &c.

Minister.

Non committes adulterium.

Populus.

Domine, miserere nostri, &c.

Minister.

Non furtum facies.

Populus.

Domine, miserere nostri, &c.

Minister.

Minister.

Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.

Populus.

Domine, miserere nostri, &c.

Minister.

Non concupisces domum proximi tui, nec concupisces vxorem eius, non seruum non ancillam, non bouem, non asinum, nec quicquam eorum quæ illius sunt.

Populus.

Domine, miserere nostri, & quæsumus hasce omnes leges tuas cordibus nostris inscribas.

Tunc per Ministrum stantem ad sacram mensam, legetur Collecta siue oratio diei assignata, vna cum altera duarum Collectarum sequentium, pro felici statu Regis.

Oremus.

OMnipotens Deus, cuius regnum est æternum, & potentia infinita, miserere vniuersæ Ecclesiæ, & sic dirige cor electi famuli tui Iacobi Regis ac gubernatoris nostri, vt ipse (cuius minister sit sciens) ante omnia quærat gloriam & honorem tuum: & nos ei subiecti, agnoscentes vt decet, eum à te habere imperium, fideliter ei seruiamus, eum honoremus, & obsequamur ipsi cum omni submissione, in te, & propter te, iuxta præceptum & ordinationem tuam. Per Iesum Christum filium tuum, Dominum nostrum, qui tecum vnà cum Spiritu Sancto viuit & regnat semper vnus Deus in secula seculorum. Amen.

Alia Collecta.

OMnipotens & æterne Deus, docemur ex sacrosancto verbo tuo corda Regum in manu tua esse, teque ea dirigere & inclinare, prout sapientiæ tuæ diuinæ optimè videbitur, suppliciter petimus cor Iacobi famuli tui, Regis & gubernatoris nostri ita inclinas atque dirigas, vt in omni sua cogitatione, verbo & opere, super omnia tuum quærat honorem & gloriam, & seruare studeat populo tuo sibi commisso prosperitatem & pacem cum pietate, hæc concede misericors pater, propter filium tuum dilectum Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Post has Collectas, Sacerdos, siue quis alius Minister ad id deputatus, legat Epistolam, in locum id assignato, & sic incipiat.

Epistola sancti N. Apostoli, scripta ad N. capite, &c.

Epistola finita legatur Euangelium.

Euangelium N, scriptum cap. N. &c.

Post

Posſt Euangelium ſequetur Symbolum.

CRedo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, atque viſibilium omnium & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum, ex patre natum ante omnia ſecula Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero genitum non factum: conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas, & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris, Et iterum venturus eſt cum gloria, iudicare viuos & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum viuificantem, qui ex patre filioque procedit. Qui cum patre & filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui loquutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſeculi. Amen.

Posſt Symbolum ſequatur Concio, ſine legatur vna Homiliarum iam editarum aut in poſtero publica autoritate edendarum.

Finita Homilia aut ſermone ad populum Paſtor indicabit Feſtos ac ieiunos dies, ſi qui fuerint, ſequenti ſeptimana.

Imprimiſq; hortabitur, vt pauperum meminerint, & eorum inopiam ſublenent. Deinde cantentur vel recitentur vna vel plures ex ſententijs ſequentibus prout ipſe videbitur.

Mat. 5. SIc luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra opera bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.

Mat. 6. Ne reponatis vobis theſauros in terra, vbi erugo & tinea corrumpit, & vbi fures perfodiunt & furantur, ſed recondite vobis theſauros in cœlo, vbi neque erugo neque tinea corrumpit, & vbi fures non perfodiunt, neque furantur.

Mat. 7. Quæcunque volueritis vt faciant vobis homines, ſic & vos facite illis. Hæc enim eſt Lex & Prophetæ.

Mat 7. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt.

Luc. 19. Zachæus ſtans dicebat ad Dominum, Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.

Quis

Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Aut quis paſcit gregem, & de lacte gregis non edit. 1. Cor. 9.

Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos veſtra carnalia meſſuerimus? 1. Cor. 9.

An neſcitis quod ij qui in ſacris operantur, ex ſacrificijs viuant? Qui ſacrario aſſiſtunt, vna cum ſacrario partem accipiunt. Sic & Dominus ordinauit, vt qui Euangelium annuntiant, ex Euangelio viuant. 1. Cor. 9.

Qui ſementem facit parcè, is parcè meſſurus eſt. Et qui ſementem facit libenter & benignè largiendo, copioſè meſſurus eſt; vnuſquiſque ſecundum propoſitum cordis, non ex moleſtia aut neceſſitate: nam hilarem datorem diligit Deus. 2. Cor. 9.

Communicet qui catechizatur ſermone, ei qui ſe catechizat, omnibus bonis. Ne erretis, Deus non irridetur. Quicquid enim ſeminauerit homo, hoc & metet. Gal. 6.

Cum tempus habemus, operemur bonum erga omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. 1. Tim. 6.

Eſt autem quæſtus magnus, pietas cum animo ſua ſorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam poſſumus. 1. Tim. 6.

Præcipe ijs qui diuites ſunt, vt prompti ſint ad largiendum & diſtribuendum, theſaurizantes ſibi ipſis theſaurum, fundamentum bonum in poſterum, vt apprehendant æternam vitam. 1. Tim. 6.

Non eſt Deus iniuſtus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & laboris ex charitate ſuſcepti, quam exhibuiſtis erga nomen illius, qui miniſtrâſtis ſacris, & miniſtratis. Heb. 6.

Beneficentiæ autem & Communionis nolite obliuiſci: talibus enim victimis placetur Deo. Heb. 13.

Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum egere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo. 1. Ioan. 3.

Fac eleemoſynam ex ſubſtantia tua, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Tob. 4.

Quo modo potueris ita eſto miſericors. Tob. 4.

Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis.

Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddat ei. Pro. 13.

Beatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Pſal. 41.

Interea ædiles ſeu alij, quibus illud munus aſſignabitur, colligent oblatam à populo eleemoſynam, & in ciſtam ad pauperum vſum reponent. Singuli item conſuetas oblationes & decimas, ſuo tempore Paſtori perſoluent.

Post hæc Minister dicet.

Oremus pro statu vniuersalis Ecclesiæ, hîc in terra militantis.

1. Tim. 2.

OMnipotens æterne Deus, qui per Apostolum tuum iubes facere orationes, obsecrationes, deprecationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, humiliter te petimus, vt clementèr accipias (hæc munera, atque) has preces nostras, quas offerimus diuinæ maiestati tuæ, supplicantes vt vniuersam Ecclesiam tuam spiritu veritatis & concordiæ perpetuò inspires & conserues: præsta etiam vt omnes qui nomen tuum sanctum confitentur, consentiant in fide, & vera doctrina Euangelij, & viuant inter se concordes in charitate. Precamur te pro omnibus Regibus, Principibus ac gubernatoribus Christum profitentibus. Inprimis autem te oramus, vt serues & defendas famulum tuum Iacobum Regem nostrum, vt sub ipso quietam vitam degamus cum omni pietate & honestate. Da suis consiliarijs & vniuersis qui magistratum gerunt, vt veram sine personarum acceptione administrent iustitiam, qua vitia & nequitiæ puniantur & corrigantur: pietas, religio, & virtus crescant, & afficiantur dignis præmijs. Da gratiam, cœlestis pater, omnibus Episcopis, pastoribus, & his qui curam gerunt animarum, vt tam vitâ quam doctrinâ ornent ministerium Euangelij, & administrent Sacramenta, iuxta institutionem filij tui. Tribue vniuerso populo tuo gratiam tuam, præsertim huic congregationi istic præsenti, vt humili animo & qua decet reuerentia, audiant & percipiant sanctum verbum tuum, & tibi seruiant in sanctitate & iustitia, omnibus diebus vitæ suæ. Submissè etiam te petimus, propter bonitatem tuam Domine, vt consolêris & succurras omnibus, qui sunt in angustijs, doloribus, infirmitatibus vel alijs aduersitatibus constituti. Hæc nobis largire ô Pater, propter Iesum Christum Mediatorem nostrum vnicum & Aduocatum. Amen.

Si nulla largiatur elemosyna, emittitur (hæc munera atq;)

Tunc sequetur hæc exhortatio, certis temporibus quando presbyter videbit populum negligenter accedere ad sacram Communionem.

ECce fratres dilectissimi, iam Dominica cœna est agitanda, ad quam Dei nomine vos omnes, quotquot adestis inuito, vosque obsecro per Iesum Christum Dominum nostrum, per beatam spem aduentus eius & fœlicitatẽ æternam, quam expectamus, vt sic benignè atque humaniter vocati & inuitati à Deo, non detrectetis accedere. Nôstis quàm graue sit atque molestum, iam parâtse splendidum conuiuium, mensam apparatu

apparatu magnifico inſtruxiſſe, atque dum nil aliud ſupereſt, quàm vt accumbatur, conuiuas nullâ iuſtâ legitimaque cauſâ renuntiare ſe non eſſe acceſſuros. Quis veſtrûm ibi non commoueretur? Quis non arbitraretur grauiſſimam iniuriam ſibi eſſe factam? Quamobrem vos quoque in Chriſto chariſſimi, cauete; ne hanc ſacram cœnam detrectando prouocetis contra vos indignationem Dei, & acerbiſſimam eius iram incurratis. Facile eſt dicere hominibus, Non communico, quia non poſſum: At eſt difficillimum, imò impoſſibile, vt huiuſmodi excuſatio coram Deo approbetur. Fac Deum interrogare, cur non potes? Quid obſecro reſpondebis? Peccatis ſum contaminatus. Cur non te pœnitet? Ad reſipiſcendum non exiguntur longa temporum ſpatia. Potes noua ſpe lucri aut commodi ſtatim mutare propoſitũ, potes conſilium inuertere, potes contra quæ inſtitueras, agere. At quum a peccato eſt recedendum, ais; non poſſum: quum ad Deum eſt redeundum, excuſas; non valeo. Cogitate etiam atque etiam, tales excuſationes non profuturas. Qui conuiuium patris familias recuſârunt, quòd villam emiſſent, quòd eſſent probaturi iuga boum, aut duxiſſent vxores: minimè fuerunt excuſati, ſed cœleſti vocatione atque inuitatione habiti ſunt indigni. Equidem hic adſum, & pro officio legationis meæ, Dei nomine vos inuito, per Chriſtum voco, per veſtram ſalutẽ vos adhortor, vt communicetis. Et quemadmodum filius Dei eſt dignatus ob veſtram ſalutem in cruce animam ponere; ita vos dignemini memoriam eius mortis hic vna cum cæteris fratribus, prout ipſe iuſſit, agitare. Quod ſi non vultis omnino facere, atque ab obfirmato & obdurato propoſito vos non patimini abduci, vobiſcum bene reputate, quantam Deo iniuriam faciatis, & quanta propterea vltio vos maneat. Atque tum iſtud ſacrum conuiuium detrectando, ſatis ſuperque Deum offendatis; vos moneo & hortor atque obſecro, ne peccato huic aliud præterea coniungatis: quod eſſet, ſi non communicaturi aſtaretis, ceu ſpectatores communicantium. Quid hoc aliud erit, quàm Deo maiorem iniuriam facere? Eſt quidem contumelia repulſam dare inuitanti, ſed ea longè fit maior dum aſtatur, & interim cum aliis non diſcumbitur, nec editur neque bibitur. Hoc porro eſt ludibria haberi Chriſti miſteria. Dicetur cunctis; Accipite, & edite: Accipite & bibite ex hoc omnes: Hoc facite in memoriam mei. Quo ore? qua fronte? quo animo hæc audietis? Quid erit aliud negligere, contemnere ac irridere Teſtamentum Chriſti, niſi hoc fuerit? Quare potius abite, atque ſanctis date locum. Sed abeundo, quæſo vobiſcum reputate mature ac grauiter, vndenam diſcedatis: nempe à Deo, à Chriſto, à fratribus & epulo ſummæ charitatis. Hæc ſi fideliter cogitaueritis, & ad cor & in viam fortaſſe redibitis. Quod vt nobis diuina miſericordia concedatur, nos hic precabimur dum vnà communicabimus.

Aliquando etiam dicetur hoc, pro arbitratu presbyteri.

Dilectissimi, quandoquidem nostrum est ex animo reddere omnipotenti Deo cœlesti Patri nostro, gratias, quia dedit filium suum Seruatorem nostrum Iesum Christum, non solùm vt moreretur pro nobis, verum etiam vt esset nostrum spirituale pabulum & alimentum, quemadmodum proditum est nobis, verbo Diuino, tum sacramentis sanctissimi corporis & sanguinis sui, tam salutaribus ijs qui dignè recipiunt, & tam tremendis, e contrà ijs, qui recipiunt indignè: meum est exhortari vos, vt diligenter trutinetis amplitudinem & dignitatem huius sancti mysterij, & ingens periculũ indignæ receptionis eius, & non secus descendere in vos, & explorare conscientias vestras, quam si deberetis, sancti ac impolluti adire diuinissimum & cœleste epulum, sic vt nullo modo adire liceat vobis, destitutis veste illa nuptiali, quam Dominus poscit in sacra scriptura, dummodo recipi velitis vt digni conuiuæ huiusmodi cœlestis mensæ: Ratio autem et via ad hanc rem, hæc est quam subdo.

Primum oportet explorare vitam & mores vestros ad normam mandatorum Dei, & quicunque intelligetis vos neutiquam satisfeciſſe, voluntate, dicto, vel opere, in eo gemere & deplorare impiam vestram vitam, confitentes vos omnipotenti Deo, cùm firmo & constanti proposito resipiscendi.

Quòd si deprehenderitis vestra iniquè facta eius farinæ esse, vt non solùm in Deum, sed in proximos etiam commissa sint, tum illis quidem conciliabitis vos ipsi, parati ad satisfaciendum pro virili, in omnes iniurias & iniustitias, illis per vos illatas: nec minus parati ad condonandum omnibus in vos iniquè patratis, similiter ac veniam erratorũ consequi velletis ipsi a Domino. Nam absque hoc, receptio huius sacræ Communionis non solùm non conducit, sed adauget potius vestram cõdemnationem. Et propterea quod nõ est fas quenquã accedere hæc mysteria, nisi solidâ fiduciâ misericordiæ diuinæ, & sedata & tranquilla conscientia eò incitatum: Idcircò si quisquam è vobis sit, qui superioribus rationibus non possit pacare suam conscientiam, verum eget ampliore consolatione, tum me petat, aut aliquem alium consultum & eruditum ministrum verbi diuini, & nudet vulnus, vt possit recipere spirituale consilium, admonitionem & solatium, vt conscientiæ leuetur onus, & vt ministerio verbi diuini consequatur fomentum & beneficium absolutionis, ad pacificationem conscientiæ, & amotionem omnis scrupuli ac hæsitationis.

Tunc Minister recitabit hanc exhortationem.

Dilecti in Domino, qui constituistis communicare corpori & sanguini Domini nostri Iesu Christi, necesse est vt ad memoriã reuocetis,

reuocetis, quid scripserit Sanctus Paulus Corinthijs, & quomodo exhortetur eos vt quilibet seipsum probet, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Nam sicut magnum beneficium est spiritualiter manducare corpus, & bibere sanguinem Christi, manere in Christo, & habere Christum in se habitantem, ac vnum effici cum ipso, quod contigit illis qui dignè accedunt, id est, corde contrito & humiliato, cum vera fide ac fiducia certa misericordiæ promissæ per Christum. Ita præsens periculum est, si indignè accedamus, quia efficimur rei corporis & sanguinis Christi Seruatoris nostri, & ad iudicium & condemnationem manducamus, propterea quòd non discernimus corpus Domini, sed ipsius iram & indignationem nobis accersimus, ac prouocamus eum, vt nos puniat diuersis plagis, morbis, & morte. Quare si quis blasphemus verbi Dei, hostis, adulter, flagrans ira, odio, aut reus alterius criminis sit, is non audeat accedere ad mensam Domini. Sed antè defleat peccata sua, quàm accedat, ne post acceptum illud salutare Sacramentum, simul intret in eum Satanas, sicut in Iudam, & eum repleat omni iniquitate, & perducat ad exitium corporis & animæ. Quare fratres vosipsos iudicate, ne à Domino iudicemini: pœniteat vos seriò præteritorum peccatorum, toto pectore confidite Seruatori nostro Christo. Emendate vitam, & diligite omnes homines ex animo, ita enim efficiemini verè participes horum mysteriorum. Sed ante omnia necesse est, vt maxima cum humilitate, & ex corde agamus gratias Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, quòd redemit mundum per passionem & mortem Seruatoris nostri Iesu Christi, veri Dei, & veri hominis, qui se humiliauit vsque ad mortem, mortem autem crucis, pro nobis miseris peccatoribus, habitantibus in tenebris & vmbra mortis, vt nos efficeret filios Dei, & hæredes vitæ æternæ. Ad hunc enim finem institutum est Sacramentum, vt semper memores essemus infiniti amoris, magistri & vnicè mediatoris nostri Iesu Christi hoc pacto pro nobis morientis, & innumerabilium beneficiorum, quæ per effusionem pretiosi sui sanguinis nobis obtinuit, & instituit & ordinauit sacra mysteria, quasi pignus amoris & perpetuum monumentum mortis suæ, ad magnam & æternam consolationem nostri. Ei autem vnà cum Patre & Spiritu sancto agamus gratias, vt meritò debemus, & humiliemus nosmetipsos, ac subijciamus eius sanctissimæ voluntati, & studeamus ei obsequi in vera sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ. 1. Cor. 11.

Deinde Minister alloquetur Communicaturos his verbis.

VOs quos verè & serio pœnitet de peccatis vestris coram Deo, & reconciliati estis proximis, ac diligitis omnes homines ex animo, &

ſtituiſtis poſthac ducere vitam nouam iuxta præcepta Dei, & deinceps ſoliciti eſtis ambulare in viis eius ſanctis: accedite propiùs, vt percipiatis hoc ſalutare Sacramentum ad veſtram conſolationem, confitemini humiliter peccata veſtra Deo & Eccleſiæ hic congregatæ in nomine ipſius, ſuppliciter flectentes genua.

Tunc fiat hæc generalis confeſsio, nomine eorum qui communicaturi ſunt, vel per eorum aliquem, vel per vnum ex Miniſtris, aut per ipſum Sacerdotem, omnibus ſubmiſsè genua flectentibus.

OMnipotens Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, conditor omnium rerum, iudex vniuerſorum mortalium, nos confitemur & deploramus noſtra multiplicia peccata, & iniquitates, quas ſubinde per omnem vitam contumaciter delignauimus, cogitatione, verbis, facto, contra diuinam maieſtatem tuam, prouocantes iuſtiſſimam iram & indignationem tuam aduerſus nos: verè enim ex animo dolemus, & ſeriò nos pœnitet de peccatis noſtris: eorum commemoratio eſt nobis acerbiſſima, illorum grauitatem ferre non poſſumus. Miſerere noſtri, miſerere noſtri, miſericordiſsime Pater, propter filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Condona nobis peccata præterita, & concede, vt ſemper poſthac ſeruiamus & placeamus tibi in nouitate vitæ, ad laudem & gloriam nominis tui. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Deinde eriget ſe Sacerdos, (aut Epiſcopus ſi adſit) & conuerſus ad populum ſic loquetur.

OMnipotens Deus Pater noſter cœleſtis, qui pro immenſa ſua miſericordia pollicitus eſt omnibus ſeriò pœnitentibus, & vera fide ad illum conuerſis, peccatorum ſuorum remiſsionem, miſereatur veſtri, remittat & condonet vobis omnia peccata veſtra, confirmet & corroboret vos in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Sic Miniſter etiam dicet.

AVdite quomodo Chriſtus ad ſe inuitat peccatores, & eos conſoletur verbis omni conſolatione pleniſſimis.

Venite (inquit) ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos reficiam.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat ſed habeat vitam æternam.

Au-

Audite etiam quid S. Paulus dicat.

Fidelis sermo, & omni obseruatione dignissimus, Christus Iesus venit in hunc mundum vt saluos faceret peccatores.

Audite etiam quid Diuus Ioannes dicat.

Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Quo finito, Minister procedendo dicet.

Sursum corda.

Responsio.

Habemus ad Dominum.

Minister.

Gratias agamus Domino Deo nostro.

Responsio.

Dignum & iustum est.

Minister.

Verè dignum & iustum est, quodque iure debemus, nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine, Sancte Pater, omnipotens, æterne Deus.

Sequetur propria præfatio, si quæ sit assignata, alioqui statim subiungetur.

Ideò cum Angelis, &c.

Propriæ Præfationes.

Die Natiuitatis & septem diebus sequentibus.

QVia dedisti nobis vnicum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, quem hodierna die pro nobis nasci voluisti. Et per operationem Sancti Spiritus fieri verum hominem ex virgine Maria matre sua, sine labe peccati, vt nos ab omni peccato mundaret. Ideò cum Angelis & Archangelis, &c.

Die Paschæ & septem diebus sequentibus.

IN primis autem, laudamus te propter gloriosam filij tui Iesu Christi Domini nostri resurrectionem. Ipse enim verè paschalis est agnus, pro nobis oblatus, qui abstulit peccatum mundi: qui mortem moriendo

do destruxit, & resurgendo nobis vitam æternam reparauit. Ideoque cum Angelis, &c.

Die Ascensionis, & septem diebus sequentibus.

PEr dilectissimum filium tuum Iesum Christum Dominum nostrum, qui post gloriosam resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, & ipsis cernentibus eleuatus est in cœlum, vt nobis præparet locum: & vbi ipse esset, illic nos ascendamus, & cum eo regnemus in gloria. Ideò cum Angelis, &c.

Die Pentecostes, & sex diebus sequentibus.

PEr Iesum Christum Dominum nostrum, iuxta cuius certissimam promissionem Spiritus Sanctus hodierna die cum subito & vehementi sonitu de cœlo descendit, & super Apostolos in figura linguarum ardentium resedit, vt eos doceret, atque induceret in omnem veritatem: contulitque eis donum linguarum, & fortitudinem confitendi & prædicandi Euangelium omni nationi, vt ex tenebris erroris ad ueram lucem, & ad cognoscendum te Iesumque Christum filium tuum rite peruenieremus. Ideò cum Angelis, &c.

In festo Trinitatis tantùm.

VErè dignum & iustum (vt supra) qui vnus es Deus, vnus es Dominus, non in vnius singularitate personæ, sed cum Trinitate personarum, in vnitate substantiæ. Quod enim de gloria patris credimus, hoc de filio tuo, hoc de Spiritu Sancto, sine differentia discretionis sentimus. Ideò cum Angelis, &c.

Post quas præfationes sequetur immediatè.

IDeò cum Angelis & Archangelis, cumque omni militia cœlestis exercitus, hymnum glorioso tuo nomini canimus, te sine fine laudantes ac dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloria tua, Osanna in excelsis.

Tum Sacerdos apud Dominicam mensam nomine eorum, qui communicare volunt, sic orabit genibus flexis.

NOn accedimus ad hanc mensam, ô misericors Domine, fiduciâ iustitiæ nostræ, sed in multitudine miserationum tuarum. Neq; enim sumus digni, vt colligamus micas de mensa tua. Sed tu es idem Dominus, cuius semper proprium est misereri. Concede igitur misericors Domine, vt sic edamus carnem dilecti filij tui Iesu Christi, & bibamus

bamus eius sanguinem, vt nostra corpora peccatis inquinata, munda fiant, perceptione sacratissimi corporis sui, & nostræ animæ lauentur in pretioso sanguine suo: vt perpetuò habitemus in eo, & ipse in nobis. Amen.

Postea Sacerdos erigens se, dicet.

O Deus omnipotens pater noster cœlestis, qui ex immensa tua misericordia, dedisti nobis vnicum filium tuum Iesum Christum, pro nostra redemptione mortem in cruce pati, ibique vnica illa oblatione qua sese semel obtulit, perfectum, plenum, & sufficiens sacrificium, hostiam & satisfactionem integram faceret pro peccatis totius mundi: quique instituit, ac in suo sacrosancto Euangelio præcepit, perpetuam memoriam pretiosæ suæ mortis celebrare, vsquedum rediret. Exaudi nos quæsumus misericors pater, & concede vt nos sumentes has tuas creaturas panis & vini, iuxta sacrosanctam institutionem filij tui, Seruatoris nostri Iesu Christi, in memoriam eius mortis & passionis, participes simus sanctissimi corporis & sanguinis eius. Qui eadem nocte qua tradebatur, accepit panem & gratias agens, fregit, ac dedit discipulis suis, dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Simili modo postquam cœnatum est accepit calicem, & gratias agens, dedit illis, dicens: Bibite ex eo omnes: hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur, in remissionem peccatorum. Hoc facite quotiescunque biberitis, in mei commemorationem.

Tunc Minister ipse primò recipiet Eucharistiam sub vtraque specie, proximo loco tradet idem reliquis Ministris, si qui adsint, vt præcipuum Ministrum adiuuent.

Deinde Minister tradet Eucharistiam populo in manu, genibus flexis, & cum exhibet panem, dicet.

Corpus Domini nostri Iesu Christi, quod pro te traditum est, conseruet corpus tuum & animam tuam in vitam æternam.

Et Accipe & ede hoc, in memoriam quod Christus mortuus sit pro te: fide illum ede, in corde tuo, cum gratiarum actione.

Minister cum exhibet poculum, dicet.

Sanguis Domini nostri Iesu Christi, qui pro te effusus est, conseruet corpus tuum, & animam tuam in vitam æternam.

Et

Et Bibe hoc in memoriam Christi sanguinem pro te effusum esse, & gratias age.

Tunc Minister dicet orationem Dominicam, Et populus recitabit post illum singulas petitiones.

Deinde dicetur oratio sequens.

O Domine cœlestis Pater, nos humiles serui tui supplices rogamus paternam tuam bonitatem, vt hoc nostrum sacrificium laudis & gratiarum actionis, benignè accipias: humiliter supplicantes, vt propter merita & mortem filij tui Iesu Christi, & per fidem in illius sanguinem, concedas, vt nos cum vniuersa Ecclesia, remissionem peccatorum, cæteraque beneficia passionis illius consequamur. Atque hic etiam offerimus, & præsentamus tibi Domine, nos ipsos, animas nostras, & corpora nostra, hostiam rationalem sanctam & viuam: te humiliter obsecrantes, vt quotquot participes sumus huius sacrosanctæ Communionis, tua gratia & cœlesti benedictione repleamur. Et quanquam indigni sumus, propter multitudinem peccatorum nostrorum, qui tibi vllum sacrificium offeramus, tamen supplicamus vt acceptum habeas hanc nostram seruitutem & debitum obsequium, non intuendo nostra merita, sed condonando nostra peccata. Per Iesum Christum Dominum nostrum, per quem, & cum quo, in vnitate Sancti Spiritus, sit tibi omnipotens pater, omnis honor & gloria, in omnem æternitatem, Amen.

Vel illa Oratio.

OMnipotens æterne Deus, immortales tibi ex animo gratias agimus, quòd nos qui hæc sacrosancta mysteria ritè percepimus, pascere digneris spirituali cibo pretiosissimi corporis & sanguinis Filij Seruatoris nostri Iesu Christi, nosque certos reddis, horum participatione de tuo fauore & gratia erga nos, & quod sumus vera membra in corpore tuo mystico incorporata, quod est sancta communio omnium fidelium, quodque hæredes sumus secundum spem vitæ æternæ, per merita pretiosissimæ mortis & passionis dilectissimi filij tui. Nos ergo supplices rogamus, ô pater cœlestis, ita nos tua gratia semper adsis, vt in hac sanctissima communione perseueremus, & omnia huiusmodi opera bona faciamus, quæ tu præparásti vt in eis ambulemus, per Iesum Christum Dominum nostrum, cui cum Spiritu Sancto, tibi sit omnis honor & gloria in omnem æternitatem. Amen.

Deinde dicatur aut canatur.

GLoria in excelſis Deo. Et in terra pax, hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, Benedicimus te, Adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi, propter magnam gloriam tuam. Domine Deus rex cœleſtis, Deus Pater omnipotens, Domine Fili vnigenite, Ieſu Chriſte, Domine Deus agnus Dei, filius patris, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. Qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecationem noſtram. Qui ſedes ad dextram Dei patris, miſerere nobis. Quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus, Ieſu Chriſte. Cum Sancto Spiritu, in gloria Dei patris. Amen.

Poſtremo Sacerdos vel Epiſcopus ſi adſit, dimittet eos hac benedictione.

PAx Dei, quæ ſuperat omnem intellectum, conſeruet corda veſtra, & mentes veſtras, in cognitione & amore Dei, & filij eius Ieſu Chriſti Domini noſtri: & fauor omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, vobis adſit, ſemperque vobiſcum maneat.

Sequuntur Collectæ dicendæ poſt offertorium, quando non adſunt Communicantes, quolibet tali die vna, quoties occaſio datur, poſt Collectas Matutinarum & Veſpertinarum precum vel Letaniæ, quæ etiam dici poſſunt pro arbitrio Miniſtri.

ADeſto ſupplicationibus noſtris miſericors Deus, & viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone, vt inter omnes huius vitæ varietates & caſus, tuo ſemper protegantur beneficentiſſimo & prompto auxilio. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

DIrigere & ſanctificare & regere dignare, Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, corda & corpora noſtra in lege tua, & operibus mandatorum tuorum, vt hic & in æternum, te auxiliante, ſemper ſani corpore, ſalui animo ſimus. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

LArgire quæſumus omnipotens Deus, vt verba quæ exterius auribus hodie percepimus, ita cordibus noſtris per tuam gratiam intus inſerantur, vt fructum bonæ vitæ ſemper in nobis proferant, ad laudem & gloriam tui nominis. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Actiones

ACtiones noſtras quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt in omnibus noſtris actionibus inceptis, continuatis & in te finitis ſacroſanctum nomen tuum glorificemus, & tandem tua benignitate gaudiis perfruamur æternis. Per Ieſum Chriſtum, Dominum noſtrum.

OMnipotens Deus fons omnis ſapientiæ, qui non ſolùm quibus rebus opus nobis ſit, antequam quicquam petimus noueris, ſed etiam noſtram in petendo ignorantiam vides: rogamus tuam clementiam, miſereſcat te noſtrarum infirmitatum, & quæ vel propter indignitatem noſtram non audemus, vel propter cæcitatem noſtram petere non poſſumus, tu ea nobis largiri digneris, per merita Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui tecum viuit & regnat Deus, in omnem æternitatem. Amen.

OMnipotens Deus, qui promiſiſti te auditurum preces eorum, qui in nomine filii tui poſtulant: aures tuas clementer precibus noſtris accommoda & præſta, vt quæ pro voluntate tua fideliter à te petimus, efficaciter conſequamur, ad noſtram neceſſitatem ſubleuandam, & gloriam tuam promouendam. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Diebus feſtis, ſi non adſint Communicantes, dicentur tamen omnia quæ præſcripta ſunt, vſq; ad finem homiliæ, addendo orationem illam generalem pro vniuerſali ſtatu totius militantis Eccleſiæ, atque vnam aut alteram è Collectis præcedentibus, vt occaſio erit.

Ac ipſa quidem cœna Domini nunquam celebrabitur, niſi iuſtus ſit hominum numerus, qui cum Miniſtro communicent, prout ipſi videbitur.

Quòd ſi non ſint plures in Parœcia, quàm viginti maturæ ad communicandum diſcretionis, nulla tamen Communio erit, niſi quatuor, vel minimùm tres cum Miniſtro communicent.

In Eccleſijs verò Cathedralibus & Collegiatis, in quibus plures exiſtant Miniſtri ac Diaconi, omnes ſingulo die Dominico, ad minimum, cœnam vnà cum Miniſtro, niſi legitima excuſatio intercedat, participabunt.

Ad tollendam autem ſuperſtitionem, quam quinis in pane vel vino collocare poterit, ſufficiet eiuſmodi eſſe panem, qui ad menſam cum reliquis cibis ſumi ſolet, ſed tamen optimus ac puriſſimus, qui è tritico confectus commodè parari poſſit. Si vero quicquam panis vel vini ſuperfuerit, Miniſter ſibi ad ſuos vſus cupiet. Panis autem ac vinum in communionem præparatum, per Miniſtrum atq; edituos Parœciæ ſumptibus parabuntur, ipſaq; Parœcia eiuſmodi pecuniarum ſummis, reliquiſq; impenſis quas donatim hactenus ſingulis die-

bus

bus Dominicis pro eiſdem erogarunt, liberabitur.

Atque hic obſerua vnumquemque è Parœcia ter ad minimum ſingulis annis communicare oportere, nominatim verò ac Paſcha, ac Sacramenta cæteroſque ritus, iuxta huius libri formam percipere. Vnuſquiſque porro ad Paſcha computum cum ſuo Rectore, vicario, vel Miniſtro, eiuſque vel eorum deputatis annuatim inſtituet, eiſdemque omnia Eccleſiaſtica debita, eo tempore ſolita numerari, perſoluet.

Hic ſequatur Ordo Baptiſmi Publici.

Ordo Baptiſmi tenendus in Eccleſia.

EX vetuſtis ſcriptoribus apparet Sacramentum Baptiſmi apud veteres, duobus tantum anni temporibus, Paſchatis ſcilicet, & Pentecoſtes, vulgo miniſtrari ſolitum. Quibus quidem temporibus publicè celebrabatur in præſentia totius Eccleſiæ, hanc conſuetudinem iam quidem exoletam, quamuis propter multas cauſas non poſſit commodè reſtitui, viſum eſt tamen quàm proximè poterimus ſequi. Quamobrem admonendus eſt populus commodiſſimum eſſe, vt Baptiſmus Dominicis tantum & reliquis Feſtis diebus adminiſtretur, cùm maxima populi frequentia confluxerit: tum vt congregatio præſens recens Baptiſatos teſtetur, recipi in numerum Eccleſiæ Chriſti: tum vt omnes qui adfuerint ex infantium tinctione propriæ profeſſionis in Baptiſmo fidei admoneantur. Quibus etiam de cauſis aptiſſimum videtur, vt Baptiſmus Anglico Idiomate adminiſtretur. Quod ſi tamen neceſſitas vrgere videbitur, nihil prohibet quominùs domi infantes baptizentur. Cum die Dominico aut aliquo Feſto infantes fuerint babtizandi, Parentes eorum vel præcedente veſperi vel Mane, ante initium matutinarum precum Miniſtrum eius rei admonebunt, & deinde ſuſceptores vnà cum Populo, vt infantibus ad baptiſterium parati ſint ſtatim à finita poſteriori lectione vel Matutinarum, vel ſi commodius Miniſtro videbitur, veſperarum precum. Quo in loco cum adfuerint, Miniſter interrogabit vtrum infantes Baptiſati ſint, necne. Quòd ſi reſpondeant non eſſe baptiſatos: Addet.

QVoniam, dilectiſsimi fratres, omnes homines in peccatis concepti ſint & nati, & ſeruator noſter Chriſtus dicat, neminem ingredi poſſe in regnum Dei, niſi renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto: obſecro vos vt Deum Patrem per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum inuocetis, vt pro benigna ſua miſericordia dignetur iſtis infantibus concedere, quod à ſua natura habere non poſſint, hoc eſt, vt baptizati aqua & Spiritu ſancto, recipiantur in ſanctam Chriſti Eccleſiam, & eiuſdem viua & vera membra efficiantur.

Tunc

Tunc dicet Miniſter. Oremus.

OMnipotens æterne Deus qui pro ingenti miſericordia tua e:: aquarum periculo Noha & familiam eius Arca liberaſti, & Iſraelem populum tuum per mare rubrum traduxiſti incolumem, effigiem ea re præbens ſacri Baptiſmatis, & per Baptiſmum dilecti filij tui Ieſu Chriſti, ad miſticam ablutionem peccatorum Iordanis fluuium & reliquas omnes aquas ſanctificâſti, te ſuppliciter quæſumus, pro infinita miſericordia tua, vt benigniter hos infantes reſpicias, ſanctifices, abluas tuo ſancto Spiritu, vt hoc pacto ab ira tua liberati, in arcâ Eccleſiæ Chriſti recipiantur: & fide firmi, ſpe læti, charitate radicati, ita fluctus huius turbulentiſsimi ſeculi tranſeant, vt tandem veniant, ad terram vitæ perennis, ibi tecum perpetuo regnaturi, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

OMnipotens immortalis Deus, auxilium indigentiũ, patrocinium ad te confugientium, vita credentium, reſurrectio mortuorum, te oramus pro his infantibus, vt accedentes ad ſacrum Baptiſma tuum, per ſpiritualem regenerationem, peccatorum remiſsionem conſequantur. Recipe eos (Domine) prout promiſiſti per dilectum Filiũ tuum, dicentem: Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Da igitur nobis nunc petentibus, inueniamus quærentes, apperiatur pulſantibus, vt iſti infantes benedictionem cœleſtis ablutionis conſequantur, & ad æternum regnum tuum perueniant, quod promiſiſti. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Tunc dicet Miniſter.

Audite verba Euangelij ſcripti per diuum Marcum, capite decimo.

QVodam tempore attulerunt ad illum pueros, vt tangeret illos: diſcipuli vero increpabant eos qui adducebant. Cum vidiſſet autem Ieſus indignatus eſt, & dixit illis: Sinite pueros venire ad me: ne prohibete illos, talium enim eſt regnum Dei. Amen dico vobis, quicunque non acceperit regnum Dei tanquam puer, haud quaquam ingredietur in illud. Et cum cepiſſet eos in vlnas ſuas, impoſitis manibus ſuper illos, benedixit eis.

Perlecto Euangelio, hac breui exhortatione vtetur Miniſter ſuper verbis Euangelij.

AVditis (chariſsimi) in hoc Euangelio verba ſeruatoris Chriſti, quòd præceperit pueros ad ſe adduci, quomodò Diſcipulos reprehenderit,

prehenderit, qui voluiſſent eos à ſe prohibere, quemadmodum omnes exhortatus ſit, vt eorum imitarentur innocentiam. Intelligitis, vt externo geſtu, & facto ſuo benignam animi propenſionem in ipſos declarauit, vlnis complexus eſt, Manus ſuper eos impoſuit & benedixit. Nolite igitur dubitare, ſed confidite potius illum pari benignitate, & hos infantes comprehenſurum, vlnis miſericordiæ ſuæ complexurum, benedictione vitæ cœleſtis donaturum, & immortalis regni participes redditurum. Quamobrem nos hunc in modum perſuaſi de benigna voluntate cœleſtis patris erga hos infantes, per filium ſuum Chriſtum Ieſum, nec quicquam dubitantes hoc pietatis noſtræ officium illi gratum fore, ſumma cum fide & pietate gratias agamus, dicentes.

OMnipotens æterne Deus cœleſtis pater, ſuppliciter tibi gratias agimus, quod nos dignatus ſis ad fidem in te, & cognitionem gratiæ tuæ vocare, auge quæſumus & hanc in nobis fidem & cognitionem in perpetuo confirma. Spiritum ſanctum tuum his infantibus concede, vt renati æternæ ſalutis hæredes fiant, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui tecum viuit & regnat vna cum ſancto Spiritu, nunc & in æternum. Amen.

Tunc Miniſter hac oratione ad ſuſceptores vtetur.

HOs infantes (dilectiſſimi) baptizandos adduxiſtis, oraſtis, vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus dignaretur eos accipere, manus ſuper eos imponere, regnum cœleſte & vitam æternam condonare. Audiſtis præterea Dominum Ieſum Chriſtum in Euangelio promiſiſſe hæc omnia pro quibus orâſtis ſe conceſſurum. Quod ille quidem pro ſe procul dubio præſtabit. Itaque cum hac promiſſione Chriſtus ſe obſtrinxerit, infantes etiam iſtos oportet per vos vades, & fideiuſſores ſuos polliceri renuntiaturos ſe Diabolo & omnibus operibus eius, conſtanter fidem habituros in ſancto Dei verbo, obedienterque eius mandata obſeruaturos.

Tunc Miniſter, vt ſequitur, ſuſceptores interrogabit.

Renuntiáſne Diabolo, & omnibus operibus eius, inani pompæ & gloriæ huius ſeculi, cum omnibus eiuſdem avaris deſiderijs & carnis concupiſcentijs, vt nec ſequi eas volueris, nec te ab illis abduci ſinêris.

Reſponſum.

Illis ego omnibus renuntio.

Miniſter.

Credis ne in Deum patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ, & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum, conceptum

conceptum ex Spiritu ſancto, natum ex Maria virgine? Credis eundem paſſum fuiſſe ſub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, ſepultum: ac deſcendiſſe ad inferos, & tertia die reſurrexiſſe a mortuis? Credis eum aſcendiſſe in cœlum, & ſediſſe ad dextram Dei Patris omnipotentis, & illinc venturum eſſe in fine ſeculi, ad iudicandum viuos & mortuos? Credis item in Spiritum ſanctum? Credis ſanctam Catholicam Eccleſiam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & æternam vitam poſt mortem.

Reſponſum.

Omnia hæc firmiter credo.

Miniſter.

Cupiſne in hanc fidem baptizari?

Reſponſum.

Cupio.

Tunc Miniſter dicet.

COncede quæſumus miſericors Deus, vt vetus Adam ita in iſtis infantibus ſepeliatur, & nouus homo in eiſdem excitetur. Amen.

Concede vt omnes carnales affectiones in ipſis moriantur, & omnia ſpiritualia viuant & creſcant. Amen.

Concede illis vim & poteſtatem vincendi & triumphandi de Satana, Mundo, & Carne. Amen.

Concede vt quicunque hic per noſtrum officium & miniſterium tibi dicatus ſit, donetur etiam cœleſtibus virtutibus & æterno præmio, per tuam miſericordiam benigniſſime Deus, qui viuis & regnas in omne æuum. Amen.

OMnipotens immortalis Deus, cuius chariſſimus Filius Ieſus Chriſtus, ex pretioſo latere aquam ſimul & ſanguinem profudit, in remiſſionem peccatorum noſtrorum, & diſcipulis præcepit, vt euntes docerent omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: reſpice quæſumus preces Eccleſiæ tuæ & concede vt omnes ſerui tui, in hac aqua baptizandi, accipiant plenitudinem gratiæ tuæ, & ſemper maneant in numero fidelium & electorum filiorum tuorum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

Tunc Miniſter infantem in manus accipiens, nomen interrogabit, & ipſum nomine compellans, in aquam cautè & circumſpectè immerget, dicens.

N. Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Quòd

Quòd ſi infans infirmus ſit, ſatisfuerit aquam illi leniter infudiſſe, dicens, vt ſuprà.

N. Ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Amen.

Deinde Miniſter facto crucis ſigno in fronte infantis, dicet:

Nos recepimus hunc infantem in cœtum gregis Chriſti, & illum notamus ſigno crucis, in teſtimonium quòd ipſum poſt hac non pudebit confiteri fidem in Chriſtum crucifixum, & ſub eius ſigno contra peccatum, mundum, & Satanam viriliter pugnare, fidelemque eius miniſtrum & militem ad vitæ finem vſque permanere. Amen.

Tunc Miniſter dicet.

CVm iam (Chariſſimi) iſti infantes renati ſint & inſiti in corpus Eccleſiæ Chriſti, gratias agamus De opro iſtis beneficijs, & vnanimi conſenſu Deum omnipotentem comprecemur, vt ſecundum hoc initium, in vniuerſa reliqua vita dirigantur.

Tunc dicetur.

Pater noſter qui es, &c.

Miniſter autem addet.

INgentes tibi gratias agimus (miſericors Pater) quòd dignatus ſis tuo ſancto Spiritu hunc infantem regignere, in Filium tuum adoptiuum admittere, & ad Eccleſiam tuam aggregare, ſuppliciter rogantes, concedas vt ipſe peccato mortuus, viuens iuſtitiæ, & cum Chriſto ſepultus in mortem, crucifigat veterem hominem, & penitùs aboleat corpus peccati, vt quemadmodum mortis Filij tui, ita etiam & reſurrectionis fiat particeps, vt tandem cum reliqua Eccleſia æterni regni tui hæreditatem conſequatur: Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Denique ſuſceptoribus conuocatis, Miniſter hanc admonitionem addet.

QVoniam infantes iſti per vos promiſerint, renuntiaturos ſe Diabolo & omnibus eius operibus, in Deum autem credituros, & illi ſoli ſeruituros, meminiſſe vos oportet veſtri muneris eſſe & officij diligenter videre, vt quàm primum per ætatem poterint, inſtituantur quàm ſolenne votum quàm ſanctam profeſſionem per vos fecerint, quoque iſta melius cognoſcant, ſæpe commonebitis, vt Sacras conciones audiant. Imprimis vero curabitis, vt Anglicò ſermone diſcant

articulos fidei, orationem Dominicam, & decem præcepta Decalogi, cæteraque omnia quæ ad animæ ſalutem Chriſtianum decet cognoſcere. Proſpicietis denique vt ad piam & Chriſtianam vitam ſtudioſe educentur, ſemper memores Baptiſmum effigiem nobis ob oculos proponere profeſsionis noſtræ, vt ſcilicet Chriſti ſeruatoris exemplum imitemur, & ad eius ſimilitudinem conformemur, vt quemadmodum ille pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit, ita nos etiam, qui baptizamur, peccato quidem moriamur, reſurgamus autem ad vitæ nouitatem & rectitudinem, ſemper mortificantes prauas & corruptas carnis concupiſcentias, eximioſque progreſſus facientes in omni virtute & pietate.

Mandabit etiam Miniſter, vt pueri ad Epiſcopum adducantur confirmandi quam primùm edidicerint Articulos fidei, orationem Dominicam & precepta Decalogi, & in Catechiſmo eum in finem promulgato, pleniùs aliquantum inſtituantur: prout in eodem præſcriptum eſt.

Priuatus Baptiſmus.

De his, qui neceſſitate vrgente in priuatis ædibus baptizantur per Miniſtrum Parochiæ, vel per alium legitimum Miniſtrum, cuius operà pro ratione temporis vti licebit.

Eccleſiarum Paſtores & Miniſtri ſubinde populum admonebunt, ne Baptiſmum Infantium longiùs differant, quàm in diem Dominicam, aut feſtum diem proximè ſequentem natales infantium, niſi grauis admodùm cauſa per Miniſtrum approbata coegerit.

Commonefaciant etiam, vt ſine graui & neceſſaria cauſa domi intra priuatos parietes Infantes non baptizent. Cum autem magna illos & dura neceſſitas vrgebit hunc in modum facient.

Primùm legitimus Miniſter & qui præſentes fuerint, Dei gratiam & auxilium inuocabunt, dicentes orationem Dominicam, ſi temporis anguſtia permiſerit. Deinde verò vnus nomine ipſum compellans, vel in aquam immerget, vel aqua perfundet, dicens.

N. Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Ne dubitent autem, quin puer hunc in modum legitimè & plenè baptizatus ſit: nec debet poſtea in Eccleſia baptiſmus repeti, quod ſi tamen infans ad hanc rationem baptizatus vixerit, vehementer expedit, vt in Eccleſiâ adducatur, quo Miniſter experiatur & probet, num legitimè domi baptizatus ſit.

Quod

Quod ſi illi qui infantem ſiſtent, reſpondebunt iam baptizatum eſſe, vlterius interrogabit,

Per quem ſit baptizatus?
Qui præſentes fuerint cum baptizaretur?
Vtrum Dei gratiam & auxilium in illa anguſtia inuocauerint?
Quo liquore illum baptizârint?
Quibus verbis baptizatus ſit?
Vtrum credant infantem legitimè & plenè baptizatum?

Quòd ſi Miniſter ex reſponſionibus adferentium Infantem intelligit omnia ritè & legitimè facta, baptiſmum non repetet, ſed aſſumet illum in gregem & populum Chriſtianum: dicens.

EGo vos certiores facio, quòd rectè præſtitiſtis veſtrum officium hac in re, iuſtumque ordinem retinuiſtis in baptiſmo huius infantis qui natus in originali peccato, & ſub ira diuina, nunc eſt per Lauacrum regenerationis in Baptiſmo, in numerum filiorum Dei relatus, & hæres factus æternæ vitæ. Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus gratiam ſuam huiuſmodi infantibus adeò non denegat, vt eos amanter & benigniter inuitet, quemadmodum in Sacroſancto Euangelio, cum ingenti noſtra conſolatione habetur.

Euangelium. Marc. x.

Quodam tempore attulerunt ad illum pueros vt tangeret illos, &c.
Vt ſupra in Publico baptiſmate

Sequetur etiam hortatiuncula ſuperius præſcripta, donec peruentum fuerit ad poſtremam ſententiam, quæ ſic ſe habebit.

Quamobrem nos minimè neſcij fauoris, quem cœleſtis noſter Pater gerit in hos Infantes, illuſtrati & patefacti per Filium eius Ieſum Chriſtum, agamus illi gratias per fidem & pium affectum, & dicamus orationem quam dominus ipſe docuit, & ad teſtificationem Fidei noſtræ, recitemus articulos comprehenſos in Symbolo.

Hic Miniſter cum ſuſceptoribus dicet.

Pater noſter qui es in cœlis. &c.

Deinde Miniſter quod ſit nomen Infantis interrogabit, quod cùm ſuſceptores pronuntiauerint, Miniſter addet.

Tune iſtius Infantis nomine, renuntias Diabolo, & omnibus eius operibus, inani pompæ & gloriæ huius ſeculi, cum omnibus auaris eiuſdem cupiditatibus & carnis concupiſcentijs, vt nec ſequi illa, nec ab eis abduci volueris?

Reſponſum.

Iſtis omnibus renuntio.

Miniſter.

Tune iſtius infantis nomine, hanc fidem profiteris? nempe te credere in Deum Patrem omnipotentem, &c.

Reſponſum.

Hæc omnia ego conſtanter credo.

Tunc dicet Miniſter.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus cœleſtis pater, ſupplices tibi gratias agimus quòd dignatus ſis nos ad fidem in te & cognitionem gratiæ tuæ vocare: Auge quæſumus & hanc in nobis fidem & cognitionẽ in perpetuum confirma. Spiritum ſanctum tuum huic infanti concede, vt is renatus, & hæres ſalutis æternæ factus, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, tuus vſque famulus perſeueret, tuamque promiſſionem conſequatur. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti in omnem æternitatem. Amen.

Addetur etiam admonitio ad Suſceptores, vt ſuprà.

Quoniam infans iſte, per vos promiſerit renũtiaturum ſe Diabolo, &c.

Vt ſuprà in Publico Baptiſmo.

Quod ſi vt aliquando contingit, infantem adferentes incertas reſponſiones fecerint: affirmauerintque ſe neſcire quid in tanta mentis conſternatione cogitàrint, fecerint, dixerint, tum Miniſter ad rationem Publici Baptiſmi ſuperius præſcriptam omnia peraget, niſi quod in immergendo infante ſic inquiet.

Quod ſi anteà non ſis baptizatus. N. Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Confirmatio, in qua Catechiſmus ad pueros inſtituendos continetur.

VT confirmatio maiore cum puerorum ædificatione adminiſtretur, iuxta Pauli doctrinam, præcipientis vt omnia ad ædificationem in Eccleſia fiant, viſum eſt, neminem ad confirmationem admittendum, niſi qui materna lingua Fidei Articulos, Orationem Dominicam, Decalogi præcepta expedite poterit, & memoriter pronuntiare, & ad reliquas iſtam quæſtiones breuis illius Catechiſmi reſpondere, quas Epiſcopus, vel pro illius arbitrio, alius quicunque propoſuerit, hac autem ratio plurimis de cauſis obſeruatu commodiſſima videtur.

Primùm, quia cum pueri ad maturiorem ætatem peruenerint & didicerint, qua

quæ & quanta ſuſceptores ipſorum nomine in Baptiſmo promiſerint, ipſi proprio ore, proprio conſenſu, publicè in conſpectu Eccleſiæ eadem agnoſcant & confirmant, profiteanturque ſe diuina gratia adiuuante conaturos ea omnia fideliter obſeruare, quibus iam ſuis verbis, ſua confeſſione aſſenſerint.

Secundò quoniam confirmatio illis adhibetur qui iam Baptiſati ſunt, vt per impoſitionem manuum & orationem, vires & defenſionem accipiant contra omnes inſultus peccati, mundi, & Diaboli, commodiſſimè adminſtratur cum pueri eam ætatem attigerint, qua tum per ſuam carnis infirmitatem, tum per varios huius mundi & Diaboli inſultus, in maximo periculo conſtituuntur, ne in graniſſima peccata prolabantur.

Tertiò, quòd non alienum ſit a conſuetudine Primitiuæ Eccleſiæ, qua ſuſceptum erat, vt confirmatio adhiberetur illis, qui ad ætatem maturiorem peruenieſſent, vt ipſi iam in religione Chriſtiana inſtituti ſuam ipſorum fidem publicè profiterentur, & promitterent ſe diuinæ voluntati, & mandatis eius obtemperaturos.

Ne quiſquam verò putet ex dilatione confirmationis quicquam detrimenti Filijs ſuis acceſſurum, ſed apud animum conſtituat ex Dei verbo clarum & perſpicuum eſſe infantes Baptiſatos omnia habere ad ſalutem neceſſaria, certoque certius ſalutem conſequi.

Catechiſmus memoriter à pueris ediſcendus

ante quam ad confirmationem adducantur, quem reperias initio huius voluminis tanquàm limen ad Eccleſiæ Anglicanæ doctrinam, & ideo hîc non inſeritur.

Quamprimùm pueri maternâ linguâ memoriter teneant Articulos fidei, orationem Dominicam, & præcepta Decalogi, poteruntque reſpondere ad quæſtiones iſtius Catechiſmi, vel ab Epiſcopo vel ab alio quouis pro illius arbitrio propoſito, tum vt teſtem habeant, confirmationis ſuæ per aliquem ſuſceptorem ad Epiſcopum confirmandi adducentur.

Epiſcopus autem hoc modo pueros confirmabit.

Confirmationis ratio.

Epiſcopus.

Auxilium noſtrum in nomine Domini.

Reſponſum.

Qui fecit cœlum & terram.

Epiſcopus.

Sit nomen Domini benedictus.

Reſponſum.

Ab hoc præſenti tempore in omne vſque æuum.

Episcopus.

Domine exaudi quæsumus orationem nostram.

Responsum.

Et clamor noster ad te perueniat.

Episcopus. Oremus.

OMnipotens æterne Deus, qui hos seruos tuos per aquam & Spiritum sanctum regenerare dignatus es, omnique iis peccata condonare, confirma eos quæsumus Domine, Spiritu paracleto, muneraque Diuinæ gratiæ tuæ in illis auge, Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilij & fortitudinis, Spiritum scientiæ, & veræ pietatis; Denique Spiritu sancti timoris tui animos eorum semper reple. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

Tunc Episcopus manum in singulorum capita imponens, sic dicet,

Defende, Domine, hunc puerum cœlesti gratia, tuus vt semper maneat, quotidieque magis tuo sancto Spiritu augeatur, donec ad æternum regnum perueniat. Amen.

Episcopus addet.

Oremus.

OMnipotens æterne Deus, qui & voluntatē nobis & facultatē addis ad ea facienda, quæ bona sunt, & tuæ maiestati grata, supplices tibi preces fundimus pro his pueris, super quos ad exemplum sanctorū Apostolorum tuorum manus imposuimus, vt certiores eos hoc signo redderemus tuæ in ipsos benignæ voluntatis, Paterna tua manus quæsumus semper eos protegat, & defendat Spiritus sanctus eos perpetuo, & sic in scientiam & obedientiam verbi tui inducat, vt tandem vitam æternam consequantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum viuit & regnat verus Deus in omne æuum. Amen.

Episcopus tandem benedicet pueris, inquiens.

Gratia Dei omnipotentis Patris, Filij, & Spiritus sancti sit super vos, maneatque semper vobiscum. Amen.

Cuiusque parochia Minister, vel alius quisquam ab eo designatus, Dominicis & Festis diebus paulò ante vespertinas preces publicè in templo pueros eò missos, pro temporis ratione diligenter instituet & examinabit in aliqua parte istius Catechismi, prout ipsi commodum & oportunum videbitur.

Parentes simul & Domini curabunt vt filij & serui nondum in Catechismo instituti, tempore constituto ad Templum veniant obedienter audituri, & etiam Ministrio obtemperaturi, donec in hoc libro præscripta memoriter didicerint.

Quoties Episcopus indicauerit pueros aliquo oportuno in loco ad confirmationem coram se esse adducendos, tum cuiusque Parochiæ administer, omnium puerorum in sua Parochia nomina, qui articulos fidei, orationē Dominicam, ac

Decalogi

Decalogi precepta recitare possunt, aut ipse afferet, aut per scripta ad Episcopum mittet: tum etiam significabit, quot eorum sint, qui ceteris quæstionibus hoc Catechismo descriptis accommodatè possunt respondere.

Nemo autem ad sacrosanctam Communionem prius admittatur, quàm & Catechismum didicerit, & confirmatus fuerit.

Forma solemnizandi Matrimonium.

Primum Banna edenda sine promulgãda sunt tribus diebus Dominicis vel Festiuis diuinorum officiorum tempore, populo præsente iuxta antiquum morem. Quod si personæ Matrimonio coniungendæ in diuersis degant Parochijs, Banna promulgari in singulis debent: Nec præsumat Minister vnius Parochiæ sacram Matrimonij ceremoniam, seu solemnizationem peragere, nisi ab alterius Parochiæ Ministro, certior factus fuerit in scriptis, de Bannis tribus vicibus promulgatis. Constituto nuptiarum die, in nauem Ecclesiæ, sine frequentiorem cœtum venient qui sunt connubio copulandi, vna cum amicis & vicinis; Ac ibidem tum Minister incipiet sic.

COnuenimus in hunc locum (dilectissimi) coram Deo atque in conspectu Ecclesiæ eius, vt hunc virum mulieremque hanc sacro sociemus coniugio: quod viuendi genus honorabile, primùm ab ipso Deo in Paradiso (dum adhuc homo in innocentia persisteret) institutum est, mysticam illam inter Christum & eius Ecclesiam nobis præfigurans vnionem: Qui deinde sacer status a Christo etiam sua præsentia signoque illo primo, quod in Cana Galilææ fecerat adornatus atque condecoratus: est poſtremò a Diuo Paulo hac nota commendatus, quod honorabilis sit inter omnes homines. Quapropter nec aggrediendum, nec suscipiendum est in consultò, temere, petulanter, ad satisfaciendum carnalibus hominum concupiscentijs & affectibus, (quod est animantium ratione ac intelligentia carentium) verùm reuerenter, modestè, consultè, sobriè, inque Dei timore, ipsis causis prius iustè multumque versatis, propter quas coniugium fuerat ab initio decretum. Quarum prima liberorum propagatio est, in timore disciplinaque Domini, & ad Dei laudem educandorum. Secundo Matrimonium institutum fuit, vt esset contra peccatum, & ad vitandam fornicationem remedium, vt qui continentiæ donum non accepissent, nuberent, atque sese corporis Christi membra incontaminata conseruarent. Tertiò constitutum fuit, ad mutuam vitæ societatem auxilium ac cõsolationẽ vtriusque erga se in rebus tùm prosperis, tùm aduersis. Atque in hunc sacrũ coniugij statum vt consocientur, accesserunt huc isti duo, quos præsentes videtis. Quare si quisquam sit, qui iustam causam proferre poterit, cur legitimè isti coniungi neqeant, aut iam palàm denuntiat, aut in futurum reticeat perpetuò.

Atque personas coniungendas Matrimonio alloquens Minister dicet.

MAndo præcipioq; vobis, sicut tremendo illo iudicij die (cum arcana omnium cordium referentur) rationem estis reddituri, vt si quis vtriusque vestrum impedimentum aliquod sciat, quo minùs matrimonio legitimè copulari queatis, vt illud modò confiteatur. Nam hoc vobis persuasissimum sit, quotquot aliter coniunguntur quàm Dei verbum approbat, nec à Deo illos copulari, nec eorum esse matrimonium legitimum.

Quo nuptiarum die, si quisquam allegabit & denuntiabit impedimentum quodcunq; quo minus isti nequeant ex Dei lege aut huius regni statutis matrimonio coniungi, & seipsum vnà cum fideiussoribus idoneis obligare velit personis sic copulandis, vel sufficientem cautionem deponat, ad satisfaciendum plenè pro omnibus sumptibus, quos persona copulanda sint facturæ, se causam probaturum, tum solemnizatio proroganda est in illud tempus, dum res veritas planè constet. Si nullum impedimentum denuncietur, tum Minister virum alloquetur.

NVis habere hanc mulierem in sponsam, vt cum illo in sacro coniugij statu iuxta Dei ordinationem simul viuas? vis eam diligere, consolari, honorare & tam infirmam quàm sanam conseruare, atque repudiatis alijs omnibus, illi soli adhærere, quàm diu vita vtriusque vestrûm durauerit?

Respondebit vir.

Volo.

Tum Minister mulierem alloquetur.

NVis habere hunc virum in sponsum, vt in sacro coniugij statu iuxta Dei ordinationem simul viuas? vis ei obedire, & seruire, eum diligere honorare & tam infirmum quàm sanum custodire, atque repudiatis alijs omnibus illi soli adhærere, quamdiu vita vtriusque vestrûm durauerit?

Respondebit mulier.

Volo.

Tunc dicet Minister.

Quis hanc mulierem tradit, vt huic viro nubat?

Tum Minister mulierem de manu parentis vel amicorum acceptans, admonebit virum vt dexteram mulieris prehendat, & sic vterque alteri mutuam fidem præstabit, viro sic dicente.

Ego

Ego N. accipio te N. in vxorem mihi, vt te ab hoc tempore in futurum præ aliis melioribus ſiue deterioribus, ditioribus ſiue pauperioribus habeam, teneam, diligam & foueam tam ſanam quàm infirmam, donec mors nos diſiunxerit iuxta Dei decretum, atque in huius rei confirmationem fidem meam tibi aſtringo.

* *Tunc manus diſſoluent, & mulier rurſum viri dexteram apprehendens, dicet.*

Ego N. accipio te N. mihi in maritum, vt ab hoc tempore in futurum te tam ſanum quàm infirmum præ aliis melioribus ſiue deterioribus, ditioribus ſiue pauperioribus habeam, teneam, diligam, colam atque obediam donec mors nos diſiunxerit, iuxta Dei decretum, atque in huius rei confirmationem, fidem meam tibi aſtringo.

His rebus ſic geſtis, coniunctas manus relaxabunt, & maritus annulum vxori dandum libro imponet vnà cum pecunia Miniſtro ac ſibi ſeruienti debitis: & Miniſter acceptum annulum tradet marito vt eo digitum annularem ſiniſtræ manus vxoris exornet, & vir a Miniſtro inſtructus dicet.

Ego te hoc annulo mihi ſpondeo, te corpore meo honoro, & bonorum meorum omnium participem facio. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Poſtquam annulum vir reliquerit in annulari digito, videlicet quarto ſiniſtræ manus mulieris, dicet Miniſter.

Oremus.

AEterne Deus creator conſeruatorque totius generis humani, omniſque gratiæ ſpiritualis largitor, & autor vitæ æternæ, mitte deſuper benedictionem tuam ſuper hos famulos tuos, hunc virum atque hanc mulierem, quos in tuo nomine benedicimus, vt ſicut Iſaac & Rebecca ſumma fide inter ſe viuebant, ſic iſti duo firmiùs perſoluant, cuſtodiantque votum ac fœdus inter ſe initum (cuius eſt annuli hæc datio acceptioque argumentum & arrha) & vt in mutuo amore & pacis vinculo perſeuerent, atque reliquam vitam vniuerſam ad legum tuarum normam dirigant. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

His dictis, Miniſter eorum dexteras iunget dicendo.

Quos Deus coniunxit homo ne ſeparet.

Ad

Ad populum vero Minister loquetur sic:

QVandoquidem N. & N. in sacrum consenserint coniugium, idque coram Deo atque hac Ecclesia sint contestati, cùmque ad eius rei confirmationem mutuò sibi fidem spospondérint, datoque & accepto annulo, atque dexteris coniungendis idem palàm declarârint: idcircò eos maritum vxoremque inter se esse pronuntio. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Insuper addet & hanc Benedictionem, Minister.

DEus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus vos benedicat, tueatur & protegat: misericors Dominus suo vos fauore benignè respiciat atque omni vos benedictione spirituali & gratia repleat, vt in hac præsenti vita, sic mutuò diligatis, quo in futuro seculo, vita fruamini æterna.

His ad hunc modum finitis, Ministri vel Clerici Dominicam mensam versus procedentes, sequentem Psalmum vel dicent vel cantabunt. Psal. 128.

BEati omnes qui timent Dominum qui ambulant in viis eius.

Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.

Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.

Filij tui sicut nouellæ Oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, &c.

Vel hunc Psalmum. Psal. 67.

DEus misereatur nostri & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Bene-

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui, &c.

Finito Pſalmo, & genu flectentibus viro ac muliere ante menſam Dominicam, Miniſter etiam ad eandem ſtans & in eos reſpiciens, dicet.

Kyrie eleyſon.

Reſponſum.

Chriſte eleyſon.

Miniſter.

Kyrie eleyſon.

Pater noſter qui es in cœlis, &c.

Et ne nos inducas in tentationem.

Reſponſum.

Sed libera nos à malo. Amen.

Miniſter.

Domine, ſaluum fac ſeruum tuum, & ancillam tuam.

Reſponſum.

Qui ſperant in te.

Miniſter.

Mitte eis Domine, auxilium de ſancto.

Reſponſum.

Et eos ſemper protege.

Miniſter.

Eſto eis turris fortitudinis.

Reſponſum.

A facie inimici.

Miniſter.

Domine exaudi preces noſtras.

Reſponſum.

Et clamor noſter ad te perueniat.

Miniſter.

DEus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, benedic hos famulos tuos, & ſemina ſemen vitæ æternæ in mentibus eorum, vt quicquid à ſacroſancto verbo tuo vtiliter didicerint, hoc ipſum opere compleant. Reſpice Domine, propitius ſuper eos de cœleſti habitaculo tuo, & eos benedic: & ſicut ſuper Abraham & Saram ad eos mirificè conſolandos miſeris benedictionem tuam: ita mittere digneris tuam benedictionem ſuper hos famulos tuos voluntati tuæ ſubiecti, atque de protectione tua ſecuri, in tui amoris dilectione (dum viuant) firmiter conſiſtant. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Se-

Sequens precatio omittetur, ſi mulier parere deſierit.

MIſericors Domine, ac cœleſtis Pater, cuius munere gratioſo genus humanum propagatur, proſequere quæſumus hos famulos tuos benedictione tua, vt & liberorum procreatione ſint fœcundi, & ſancta dilectione & honeſtate vitam prorogent, donec filios filiorum videant in tertiam & quartam generationem, ad laudem & gloriam tuam. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

DEus, qui poteſtate virtutis tuæ de nihilo cuncta feciſti, quique etiam diſpoſitis vniuerſitatis exordiis, decreuiſti, vt de viro ad imaginem & ſimilitudinem tuam creato, mulier ſumeret viuendi principium, atque eos copulando ſtatuiſti, nunquam licere ſeparare, quos tu matrimonij lege vnum feciſti: Deus qui tam excellenti myſterio coniugalem copulam conſecrâſti, vt in ea ſpirituale coniugium, & vnionem Chriſti & Eccleſiæ ſignificares & repræſentares, reſpice propitius ſuper hos famulos tuos, vt non ſolum hic vir iuxta verbum tuum vxorem diligat, ſicut Chriſtus Eccleſiam ſuam, qui ſeipſum pro ea tradidit amando atque fouendo vt ſuam ipſius carnem: verùm etiam hæc mulier viro ſuo ſit amans vt Rachel, ſapiens vt Rebecca, fidelis & obediens vt Sara, atque in quietis, ſobrietatis, ac pacis ſtudio, ſanctarum piarumq; matronarum imitatrix permaneat. Benedic ambos Domine, & vitæ æternæ hæreditatem illis tandem concede, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Tum dicet Miniſter.

OMnipotens Deus qui in principio primos noſtros parentes Adam & Euam ſua virtute creauit, eos ſanctificauit, & matrimonio inter ſe copulauit, effundat ſuper vos diuitias gratiæ ſuæ, ſanctificet & benedicat, vt ei corpore pariter ac mente complacere, & in veræ dilectionis amore ad vitæ vſque finem perſeuerare valeatis. Amen.

Incipiet poſteà Communio, & poſt lectum Euangelium concio ſequetur, in qua de more quoties nuptiæ erunt celebrandæ, mariti & vxoris officia debita explicabuntur, iuxta ſacras Scripturas. Quod ſi non ſit qui concionetur, ipſe Miniſter populum alloquetur verbis ſequentibus.

QVicunque iam matrimonio iuncti eſtis, vel qui ſacrum coniugij ſtatum vobis ſuſcipiendum proponitis, attendite quid de maritorum in vxores, & vxorum in maritos officiis debitis (vel obſeruantia) ſacroſancta edoceat Scriptura. Diuus Paulus in eius ad Epheſios epiſt. cap. quinto in hunc modum maritis omnibus præcipit: Viri diligete vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum expo-

Epheſ. 5.

ſuit

fuit pro ea, vt illam sanctificaret, mundatam lauacro aquæ per verbum, vt adhiberet eam sibiipsi gloriosam, Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi : sed vt esset sancta & irreprehensibilis. Sic debent viri diligere suas vxores vt sua ipsorum corpora. Qui diligit suam vxorem, seipsum diligit. Nullus enim vnquam suam ipsius carnem odio habuit, imo nutrit, ac fouet eam, sicut & Dominus Ecclesiam. Quoniam membra sumus corporis eiusdem, ex carne eius & ex ossibus eius. Huius rei gratia relinquet homo patrem ac matrem, & adiungetur vxori suæ, atque è duobus fiet vna caro. Mysterium hoc magnum est, verùm ego loquor de Christo & de Ecclesia. Quanquam & vos singulatim hoc præstate, vt suam quisq; vxorem diligat tanquam seipsum.

Similiter Diuus Paulus ad Colossenses, scribens, maritos omnes sic alloquitur. Viri, diligite vxores, & ne sitis amarulenti aduersus illas. Coloss. 3.

Audite etiam, quid Diuus Petrus Christi Apostolus, qui & ipse maritus fuerat, ad omnes maritos dixerit.

Viri similiter cohabitent secundum scientiam, velut infirmiori vasi muliebri, impartientes honorem, tanquam etiam cohæredes gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces vestræ. 1. Pet. 3.

Hucusque maritorum in vxores officia accepistis, iam vicissim vxores attendite & discite officia vestra erga maritos vestros quemadmodum in Scripturis sacris planissimè exponitur.

Diuus Paulus, in prædicta epistola ad Ephesios docet sic: Vxores propriis viris subditæ sitis, veluti Domino quoniam vir est caput vxoris, Quemadmodum Christus est caput Ecclesiæ ; & idem est qui salutem dat corpori : Itaque quemadmodum Ecclesia subdita est Christo, sic & vxores suis viris subditæ sint in omnibus. Et iterum dicit, Vxor autem vt reuereatur virum. Diuus etiam Paulus in epistola ad Colossenses, sic vos breuiter exhortatur. Vxores subditæ estote propriis viris, sicuti conuenit in Domino. Ephes. 5. Coloss 3.

Diuus etiam Petrus, vos admodum piè instruit, dicendo : Similiter vxores subditæ sitis vestris viris, vt etiam qui non obtemperant sermoni, per vxorum conuersationem absque sermone lucrifiant, dum considerant cum reuerentia coniunctam castam conuersationem vestram: quarum ornatus sit, non externus, qui situs est in plicatura capillorum & additione auri, aut in palliorum amictu, verum occultus, qui est in corde homo, si is careat omni corruptela : ita vt spiritus placidus sit & quietus, qui spiritus in oculis Dei, magnifica & sumptuosa res est. Nam ad eum modum olim & sanctæ illæ mulieres sperantes in Deo comebant sese, & subditæ erant suis viris, quemadmodum Sara obediuit Abrahæ, 1. Pet. 3.

Dominum

Dominum illum appellans: cuius factæ estis filiæ, dum benefacitis, & & non terremini vllo pauore.

Qui sacro coniugio copulantur, eodem nuptiarum die, debent sacram Synaxim recipere.

Ordo visitationis Infirmorum.

Ingrediens Sacerdos domum infirmi, dicat.

Pax huic domui & omnibus habitantibus in ea.

Tunc accedens ad ægrotum, flexis genibus, dicat.

NE reminiscaris Domine, iniquitates nostras, vel peccata parentum nostrorum. Parce nobis Domino, parce populo tuo, quem redemisti pretiosissimo sanguine tuo, ne in æternum irascaris nobis.

Kyrie eleyson.
Christe eleyson.
Kyrie eleyson.

Pater noster qui es in cœlis, &c.

Minister.

Et ne nos inducas in tentationem.

Responsum.

Sed libera nos à malo.

Minister.

Domine saluum fac seruum tuum.

Responsum.

Qui suam fiduciam in te collocat.

Minister.

Mitte ei auxilium de Sanctuario tuo.

Responsum.

Et eum perpetuò potenter defende.

Minister.

Nihil prævaleat inimicus in eum.

Responsum.

Et filius iniquitatis non noceat ei.

Minister.

Esto ei Dominus turris fortitudinis.

Responsum.

A facie inimici eius.

Minister.

Domine exaudi orationem nostram.

Re-

Reſponſum.

Et clamor noſter ad te perueniat.

Oremus.

REſpice Domine de cœlo, viſita & ſuccurre ſeruo tuo, reſpice eum oculis miſericordiæ tuæ, conſolare eum vt in te certò confidat: defende eum ab inſidijs inimici, & ſerua eum in pace perpetua & quiete. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

EXaudi nos omnipotens & miſericors Deus ac Seruator, extende conſuetam miſericordiam tuam, ad hunc ſeruum tuum ægrotantem: viſita illum Domine, vt inuiſiſti ſocrum Petri, & ſeruum Centurionis: ſic viſita & reſtitue hunc ægrum priſtinæ ſanitati, ſi ita tibi viſum fuerit: vel fac eum ita perferre hanc afflictionem, vt poſt hanc ærumnoſam vitam tecum viuat in æternum. Amen.

Vtatur autem Miniſter iſta ad ægrotum exhortatione, vel conſimili.

HOc ſcias (chariſſime frater) omnipotentem Deum eſſe Dominum vitæ & mortis, eorumque omnium quæ ad eas pertinent, nempe iuuentutis, fortitudinis, ſanitatis, ſenectutis, debilitatis & infirmitatis. Quare perſuaſum tibi ſit, quod quicunque tuus fuerit morbus, is, Deo volente & ſciente, tibi contingat, & quacunque tandem de cauſa, ſiue vt probet tuam patientiam, ſiue ad exemplum aliorum, vt fides tua in die Domini inueniatur, ad laudem, gloriam, & honorem Dei, & augmentum fœlicitatis vitæ æternæ; ſiue etiam ad correctionem & caſtigationem de aliquo, quod offendit oculos cœleſtis patris. Noueris certò, quòd ſi verè te pœniteat peccati, & æquo animo feras hanc afflictionem, confiſus in miſericordia Dei, promiſſa propter filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, gratias agens pro hac paterna viſitatione, & te humiliter ſubijcias diuinæ eius voluntati, tibi proderit ad ſalutem, & promouebit te in recta via, quæ ducit ad vitam æternam.

Si ægrotus fuerit admodum debilis, poterit Miniſter hic facere finem exhortationis.

Quare in optimam partem accipias hanc correctionem Domini; Quem enim diligit Dominus, hunc caſtigat. Imò vt D. Paulus inquit; Flagellat omnem filium quem recipit. Item, ſi fertis caſtigationem, offert ſemetipſum vobis vt proprijs filijs. Quis enim eſt filius, quem pater non caſtigat? Si non eſtis ſubiecti correctione, cuius omnes germani

mani filij sunt participes, nothi estis & spurij, non legitimi filij. Quare cùm patres nostri carnales nos castigent, & nihilominus obsequimur illis cum omni reuerentia, nunquid multò magis debemus obedire spirituali patri, vt viuamus? Et illi quidem paucis diebus nos correxerunt pro ipsorum voluntate: Ipse verò nos castigat propter nostram vtilitatem, vt participes simus sux sanctitatis. Hæc verba charissime frater, Dei verba sunt, propter nostram consolationem & instructionem, scripta: vt patienter & cum gratiarum actione, feramus cœlestis Patris correctionem quancunque & per quæcunque aduersa placuerit illi nos visitare. Neque enim maior consolatio Christiano esse debet, quam vt similis fiat imaginis Filij Dei, in perferundis ærumnis & aduersis ac infirmitatibus. Quemadmodũ igitur Christus ipse, non ante ingressus est in gloriam quàm pateretur, sed ante crucifixus est quàm glorificaretur: Ita profecto via ad gloriam, est patientia tribulationum: & transitus ad vitam est libenter cum Christo mori, vt vnà cum ipso resurgamus a morte, & perfruamur vita æterna. Feras igitur tuam infirmitatem hoc modo tibi salutarem, æquo animo: adhortorque in Domino, vt memineris professionis tuæ in Baptismo. Cum autem post hanc vitam reddenda sit ratio iusto Iudici, à quo omnes sine respectu personarum oportet iudicari, exhortor te, vt examines teipsum, & quomodò cum Deo & cum omnibus hominibus tecum conuenit, vt dum teipsum accusas & iudicas, pro peccatis tuis inuenias misericordiam apud cœlestem patrem, propter Christum, & non accuseris nec damneris in tremendo iudicio. Recitabo igitur articulos fidei, vt nôris vtrum verè credas illa quæ Christianum credere oportet.

Hic Sacerdos recitabit articulos Symboli, dicens in hunc modum.

CRedis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? &c.

Quemadmodum fit in Baptismate.

Tunc examinabit illum Sacerdos, num sit in charitate cum omnibus hominibus, exhortans illum vt ex toto corde cõdonet illis à quibus iniuria affectus fuerit. Et si aliquos ipse offenderit aut iniuria affecerit, precetur vt sibi condonent, & pro sua facultate illis satisfaciat.

Et si ante non condiderit testamentum, tunc condat, & dicat quæ ei debentur, & vicissim quæ debeat, propter quietem posteritatis & amicorum. Sæpe autem in concionibus diuites & potentes moneat, de condendo testamento dum valent. Hæc verba superius repetita, ante enunciari possunt quàm Minister precationem ordiatur, prout sibi visum fuerit.

Hic ne omittatur, quin Minister agat cum infirmo de eleemosyna danda pauperibus.

Si

Si ægrotus sentit suam conscientiam grauatam esse aliqua in re, de illa Sacerdoti priuatim confiteatur: & finita confessione, Minister vtetur hac forma absolutionis.

DOminus noster Iesus Christus qui dedit potestatem Ecclesiæ, absoluendi à peccatis verè pœnitentes, & credentes in eum, ipse ex infinita misericordia indulgeat tibi peccata tua: ego verò autoritate ipsius mihi commissa, absoluo te ab omnibus peccatis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Deinde Minister recitabit subsequentem Collectam, dicens.

Oremus.

OMisericordissime Domine, qui iuxta multitudinem misericordiæ tuæ deles peccata pœnitentium, ita vt eorum amplius non memineris, aperi oculos misericordiæ tuæ, super hunc famulum tuum, qui petit misericordiam & remissionem peccatorum ex toto pectore. Renoua, amantissime Pater, quicquid in eo subuersum est, fraude & malitia Satanæ, vel carnali concupiscentia, & fragilitate humana: conserua & custodi hoc ægrotum membrum in vnitate Ecclesiæ: vide contritionem eius, respice lachrymas, pœnasque mitiga aut amoue, vt placet diuinæ voluntati tuæ. Et quia in tua misericordia tantùm confidit, noli imputare ei priora peccata, sed cum eo in gratiam redi, propter merita dilectissimi Filij tui Domini nostri Iesu Christi.

Tunc oret Minister hunc Psalmum. xxj.

IN te Domine speraui non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, & eripe me.

Inclina ad me aurem tuam: & salua me.

Esto mihi in Deum protectorem: & in locum munitum & saluum me facias.

Quoniam firmamentum meum: & refugium meum es tu.

Deus meus eripe me de manu peccatoris: & de manu contra legem agentis & iniqui.

Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine, spes mea à iuuentute mea.

In te confirmatus sum ex vtero: de ventre matris meæ, tu es protector meus.

In te cantatio mea semper: tanquam prodigium factus sum multis, & tu adiutor fortis.

Repleatur os meum laude: vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

Ne proijcias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in vnum.

Dicentes Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum: quianon est qui eripiat.

Deus,ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum respice.

Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confusione & pudore qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperabo:& adijciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiabit iustitiam tuam: tota die salutare tuum.

Quoniam non cognoui literaturam,introibo in potentias Domini: Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius.

Deus docuisti me à iuuentute mea: & vsque nunc pronuntiabo mirabilia tua.

Et vsque in senectam & senium: Deus ne derelinquas me.

Donec annuntiem brachium tuum: generationi omni quæ ventura est.

Potentiam tuam & iustitiam tuam Deus, vsque in altissima quæ fecisti magnalia: Deus quis similis tibi?

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas,& conuersus viuificâsti me: & de abyssis terræ iterum reduxisti me.

Multiplicâsti magnificentiam tuam: & conuersus, consolatus es me.

Nam & ego confitebor tibi in vasis Psalmi veritatem tuam Deus: psallam tibi cythara, sanctus Israel.

Exultabunt labia mea, cùm cantauero tibi: & anima mea, quam redemisti.

Sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam: cùm confusi & reueriti fuerint qui quærunt mala mihi.

Gloria Patri, & filio. &c.

Antiphona.

Saluator mundi, salua nos. Qui per crucem & pretiosum sanguinem redemisti nos, adiuua nos, te rogamus ô Deus.

Collecta.

OMnipotens Deus, qui est fortitudo omnium in se sperantium, cui omnia in cœlo & in terra, & subter terram obediũt, nunc & semper sit tibi protector, & faciat cognoscere & sentire, quòd non sit aliud nomen datum sub cœlo hominibus, in quo & per quod tu recipias salutem & sanitatem, præter nomen Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Communio

Communio infirmorum.

Cùm omnes mortales subiecti sint infinitis periculis, infirmitatibus & erumnis, & semper incerti sint quando ex hac vita erit emigrandum: ideo vt semper sint parati, & in expectatione mortis, quandocunque Deus voluerit, Pastor subinde sed præsertim pestis tempore, admoneat parochianos, vt frequenter communicent sacramento corporis & sanguinis Domini. Sic enim cauebitur, ne cùm subito fuerint correpti morbo, solicitè sint pro sacra communione.

Verùm si infirmus non poterit venire in Ecclesiam, & petit sibi dari Sacramentum in domo sua, significabit tum demùm postridie, ant primo mane parocho, quot cum ipso vnà velint communicare.

Nactusque idoneum in ægrotantis domo locum, in quo reuerenter administrare queat, ac præsenti sufficienti hominum numero, qui cum ægro sacram Communionem (omnibus ad hac necessarijs) participare possint, ibidem administer sacrosanctam Communionem celebrabit.

Oremus.

OMnipotens æterne Deus, conditor humani generis, qui quos diligis corrigis, & castigas omnem filium quem recipis, quæsumus, vt miserearis huic seruo tuo infirmo, & præsta, vt patienter hanc infirmitatem ferat, & recuperet sanitatem, si ita tibi videbitur, & quandocunque anima eius è corpore migrauerit, possit coram te sine labe repræsentari. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Epistola. Heb. xij.

FIlli mi, ne neglexeris correptionem Domini, neque deficias cùm ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.

Euangelium. Ioan. 5:

AMen, amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transiuit à morte in vitam.

Minister.

Dominus vobiscum.

Responsum.

Et cum Spiritu sancto.

Minister.

Sursum Corda: &c.

Vſque ad finem, vt ſuprà dictum eſt.

Cum venitur ad diſtributionem Sacramenti corporis & ſanguinis Chriſti, Sacerdos primo communicet, deinde aliꝫ cum agroto, qui ſeſe ad hoc præparârunt. Verùm ſi quis, quòd periculoſiſſimè agrotet, vel quòd miniſtrum ſuo tempore non admonuerit, vel quòd inſto communicantium numero egeat, vel propter aliud quodcunquꝫ legitimum impedimentum, Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti non percipiat tum eum Miniſter ita inſtituet, vt ſi verè de peccatis reſipiſcat, & Ieſum Chriſtum in cruce mortẽ pro eo pertuliſſe, & propter eius redemptionẽ ſuum ſanguinẽ fudiſſe firmiter credat, beneficiũ ex eo acceptorum diligenter recolens, immortaleſq; gratias agens: eum corpus & ſanguinem ſeruatoris Chriſti (quantumuis ore Sacramentum non percipiat) ad ſuæ animæ ſalutem vtiliſſimè manducare & bibere.

Si eodem tempore viſitatur & recepturus ſit ſacram Communionem agrotus, licebit ſacerdoti (quò citius officium vtrumque abſoluat) viſitationis finem facere, cum ventum fuerit ad Pſalmum, In te Domine ſperaui. *Atque mox inchoare officium Sacræ Communionis.*

Peſtis, ſudoris, vel ſimilibus valetudinis & morborum infeſtis temporibus, cum nemo parochianorum, aut vicinorum propter contagionis metum ad communicandum vnà in ædibus agroti adduci poſſint, miniſter (ſi æger id enixè petat) cum eo ſolo communicare poterit.

Sepultura.

Sacerdos procedet obuiam feretro, ad ingreſſum Cœmeterij & dicat, aut miniſtri & clerici qui cum eo ſunt, canant, euntes vel ad Templum, vel ad ſepulchrum, has Antiphonas.

Ioannis. xj.

EGo ſum reſurrectio & vita, dicit Dominus. Qui credit in me etiam ſi mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.

Iob. xix.

SCió quod redemptor meus viuit, & in nouiſſimò die de terra ſurrecturus ſum. Et rurſum circumdabor pelle mea & in carne mea videbo Deum. Quem viſurus ſum ego ipſe: & oculi mei conſpecturi ſunt & non alius.

i. Timoth. vi.

NIhil intulimus in Mundum, videlicet nec efferre quicquam poſſumus. Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Iob 1.

Cum

Cum ventum eſt ad ſepulchrum, dum cadauer paratur imponendum, dicatur aut canatur.

Iob. xiiij.

HOmo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.

Antiphona.

MEdia vita in morte ſumus, quem quærimus adiutorem, niſi te Domine? qui pro peccatis noſtris iuſte iraſceris. Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & miſericors Saluator, amaræ morti ne tradas nos. Tu Domine qui cognoſcis occulta cordium noſtrorum, precibus noſtris miſericordiæ tuæ aures ne obſtruas, ſed parce nobis Domine ſanctiſſime, Deus fortis, miſericors Saluator, & iudex æquiſſime ne patiaris nos in extrema hora vllis mortis doloribus à te excidere.

Dum cadauer terræ mandatur aperitur Sacerdos dicat.

CVm Deo viſum ſit ex immenſa ſua miſericordia animam chariſſimi fratris noſtri nunc defuncti, ad ſe ſuſcipere, corpus ſuum ſepulchro committendum curamus, terram terræ, cinerem cineribus, puluerem pulueribus, cum certa & conſtanti ſpe reſurrectionis ad vitam æternam. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui transformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, iuxta potentiam operationis ſuæ, qua poteſt ſibi ſubijcere omnia.

Tum recitatur Antiphona.

AVdiui vocem de cœlo, dicentem mihi, Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur amodò. Etiam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis. Apoc. 14.

Deinde legatur Lectio. 1. Cor. xv.

CHriſtus ſurrexit ex mortuis: primitiæ eorum qui dormierant, fuit. Poſtquam enim per hominem mors, etiam per hominem reſurrectio mortuorum. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita per Chriſtum omnes viuificabuntur, vnuſquiſque autem in proprio ordine, primitiæ Chriſtus: deinde ij qui ſunt Chriſti in aduentu ipſius: mox finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri: cùm aboleuerit omnem principatum, & omnem poteſtatem ac virtutem. Nam oportet eum regnare, donec poſuerit omnes Coloſſ. 1. 2. Theſſ. 4.

Pſal 109. nes inimicos ſub pedes ſuos. Nouiſſimus hoſtis aboletur mors.
Heb.2. Nam omnia ſubiecit ſub pedes illius. Atqui cum dicat, quòd omnia ſubiecta ſint, palam eſt, excipiendum eum, qui ſubiecit illi omnia. Cùm autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubijcietur ei, qui illi ſubiecit omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Alioqui quid facient ij, qui baptizantur pro mortuis, ſi omninò mortui non reſurgunt? Cur & baptizantur pro mortuis? Quid & nos
1.Cor.16. periclitamur omni tempore? Indies morior, per noſtram gloriationem,
Menander. quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Si ſecundum
Eſa.22. hominem cum beſtijs depugnaui Epheſi, quæ mihi vtilitas, ſi mor-
Sap.2. tui non reſurgunt? Edamus & bibamus, cras enim morimur. Ne decipiamini. Mores bonos colloquia corrumpunt mala. Expergiſcimini iuſtè, & ne peccetis. Nam ignorationem Dei nonnulli habent. Ad pudorem vobis loquor. At dicet aliquis: quomodo reſurgunt mortui? Quali autem corpore venient? Stulte, Tu quod
Ioan.12. ſeminas, non viuificatur, niſi mortuum fuerit. Et hoc quod ſeminas, non corpus quod naſcetur ſeminas, ſed nudum granum: exempli cauſâ tritici, aut alicuius ex cæteris. Sed Deus illi dat corpus vt voluit, & vnicuique ſeminum ſuum corpus. Non omnis caro eadem caro: ſed alia quidem caro hominum, alia verò caro pecorum, alia verò piſcium, alia verò volucrum. Et ſunt corpora cœleſtia, & ſunt corpora terreſtria. Verum alia quidem cœleſtium gloria, alia verò terreſtrium: alia gloria Solis, & alia gloria Lunæ, & alia gloria ſtellarum.
Mat.13. Stella ſiquidem à ſtella differt in gloria. Sic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, reſurgit in incorruptibilitate: ſeminatur in ignominia, reſurgit in gloria: ſeminatur in infirmitate, reſurgit in potentia. Seminatur corpus animale, reſurgit corpus ſpirituale. Eſt corpus animale, & eſt corpus ſpirituale; quemadmo-
Gen.2. dum & ſcriptum eſt. Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, extremus Adam in ſpiritum viuificantem. At non primùm quod ſpirituale, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo ipſe Dominus de cœlo. Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni ſunt: & qualis ille cœleſtis, tales & hi qui cœleſtes ſunt. Et quemadmodum geſtauimus imaginem terreni, geſtabimus & imaginem cœleſtis. Hoc autem dico fratres, quòd caro & ſanguis regni Dei hæreditatem conſequi non poſſunt. Neque corruptio, incorruptibilitatis hæreditatem ac-
1.Theſ.4. cipit. Ecce myſterium vobis dico. Non omnes quidem dormiemus,
Phil.3. omnes tamen immutabimur, in puncto temporis, in momento oculi, per extremam tubam. Canet enim & mortui reſurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem.

Cùm

Cùm autem corruptible hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriam. Vbi tuus mors aculeus? vbi tua inferne victoria? Aculeus autem mortis, peccatum: potentia verò peccati, lex. Sed Deo gratia qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum. Itaque fratres mei dilecti, stabiles sitis, immobiles, abundantes in opere Domini semper, cùm sciatis quòd labor vester non est inanis in Domino. Esa.25. Ose.13. Heb.2. 1.Ioh.5.

Finita Epistola Minister dicet.

Kyrie eleyson.
Christe eleyson.
Kyrie eleyson.
Pater noster qui es in cœlis, &c.

Minister.

Et ne nos inducas in tentationem.

Responsum.

Sed libera nos à malo. Amen.

Minister.

Oremus.

OMnipotens Deus, apud quem viuunt spiritus illorum, qui hinc decesserunt in Domino, & quo cum animæ electorum postquam exuerunt onus huius carnis, lætitia & felicitate fruuntur: gratias agimus tibi immensas, propterea quòd expedire voluisti. N. fratrem nostrum, ex ærumnis huius mundi impij, precantes vt placeat infinitæ tuæ bonitati, breui explere numerum electorum tuorum, & maturare gloriam regni tui, vt nos vnà cum fratre nostro, & omnibus alijs vitæ defunctis, in vera fide & confessione nominis tui, consequamur perfectam absolutionem & beatitudinem tum corporis tum animæ, in tua perpetua & sempiterna gloria. Amen.

Collecta.

MIsericors Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est resurrectio & vita, in quem quicunque crediderit, viuit, etiamsi moriatur; & quicunque viuit & credit in ipsum, in omnem æternitatem, non morietur. Qui nos docuit etiam per sanctum Apostolum suum Paulum, vt non tristaremur, tanquam ij, qui spem non habent, illorum causâ qui dormiunt in ipso: supplices te petimus, ô Pater, vt nos suscites à morte peccati ad vitam iustitiæ, vt

cum diſcedimus ab hac vita, quieſcamus in ipſo, prout ſpes eſt noſtrum fratrem quieſcere, & vt in communi illa reſurrectione extremi diei reperiamur accepti coram te, & recipiamus illam benedictionem, quam dilectus filius tuus enunciabit, omnibus ijs qui diligunt ac verentur te, dicens: Venite benedicti filij patris mei, recipite regnum illud, quod vobis paratum fuit ab origine mundi. Largire hoc, quæſumus tè miſericors pater, per Ieſum Chriſtum mediatorem ac ſeruatorem noſtrum. Amen.

Gratiarum actio pro mulieribus *poſt partum.*

Accedet mulier in Eccleſiam, ibiq; in loco conuenienti genua flectet iuxta eum locum, in quo menſa Domini collocata eſt, & Miniſter mulieri proſtans, hæc verba dicet, vel ſimilia, ſicuti ipſa occaſio poſtulabit.

Quandoquidem omnipotenti Deo ex ſua bonitate viſum ſit, tibi ſaluam liberationem dediſſe, inque magno partus periculo præſeruâſſe, maximas propterea gratias Deo ages & orabis.

Deinde hunc Pſalmum dicet Miniſter.

Pſal. 121. LEuaui oculos meos in montes: vnde veniat auxilium meum.
Auxilium meum venit à Domino: qui fecit cœlum & terram.
Non ſinet pedem tuum vacillare: neque dormitet qui cuſtodit te.
Ecce non dormitabit: neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael.
Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam.
Per diem Sol non vret te: neque Luna per noctem.
Dominus cuſtodiat te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam Dominus.
Dominus cuſtodiet introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Kyrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.
Pater noſter qui es in cœlis, &c.
Et ne nos inducas in tentationem

Responsum.

Sed libera nos à malo. Amen.

Minister.

Saluam fac Domine, hanc mulierem famulam tuam. Psal.85.v.2.

Responsum.

Quæ sperat in te.

Minister.

Esto illi turris fortitudinis. Psal.60.v.3.

Responsum.

A facie inimici eius.

Minister.

Domine exaudi preces nostras. Psal.101.1.

Responsum.

Et clamor noster ad te perueniat.

Minister.

Oremus.

OMnipotens Deus, qui liberâsti mulierem hanc famulam tuam à magna pœna & in partus periculo, Concede quæsumus, misericordissime Pater, vt ipsa tuo auxilio & fideliter viuat, & ambulet in sua vocatione, secundum voluntatem tuam in hac præsenti vita: ac etiam particeps fiat æternæ gloriæ in vita futura. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Mulier quæ venit ad gratias agendas, solitas oblationes offerre debet: & si celebrata fuerit Communio, conuenit, vt ipsa sanctam quoque Communionem recipiat.

Comminatio in Peccatores, cum precibus *quibusdam, vtendis diuersis anni temporibus.*

Post Matutinas preces, populo conuocato per Campanæ pulsationem, & in Ecclesiam conueniente, Litania Anglica iuxta morem assuetum dicenda erit: qua finita Minister suggestum ascendet, ac sic dicet.

FRatres, in primitiua Ecclesia, pia erat disciplina, vt in initio Quadragesimæ, tales personæ, qui peccatores erant manifesti ad publicam pœnitentiam essent coacti, & in mundo hoc correpti, quo eorum animæ fierent saluæ in die Domini: & vt eorum exemplo alij admoniti, magis extimescerent peccare. In cuius loco (donec eadem disciplina iterum restitui possit quod maximè est optandum) visum est, vt hoc tempore

pore coram vobis legerentur generales maledictiones Dei ſententiæ, aduerſus impœnitentes peccatores, collectæ ex viceſimo ſeptimo capite Deuteronomij, aliiſque Scripturæ locis: & vt vos ad ſingulam quamque ſententiam reſpondeatis Amen: in hunc finem, vt vos admoniti magnæ Dei indignationis in peccatores, citiùs vocemini ad ſeriam atq; veram pœnitentiam, & cautiùs ambuletis in hiſce periculoſis diebus, fugientes ab huiuſmodi vitiis, quibus Dei maledictionem eſſe debitam ore veſtro affirmatis.

Maledictus homo, qui aliquam facit ſculptilem & conflatilem imaginem, abominationem Domino, opus manuum artificum, ponetque illum in abſcondito, vt eam adoret.

Et reſpondebit Populus ac dicet.

Amen.

Miniſter.

Maledictus is eſt, qui patri ſuo & matri maledicit.

Reſponſum.

Amen.

Miniſter.

Maledictus qui transfert terminos proximi ſui.

Reſponſum.

Amen.

Miniſter.

Maledictus qui errare facit cæcum in itinere.

Reſponſum.

Amen.

Miniſter.

Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli & viduæ.

Reſponſum.

Amen.

Miniſter.

Maledictus qui clàm percuſſerit proximum ſuum.

Reſponſum.

Amen.

Miniſter.

Maledictus qui dormit cum vxore proximi ſui.

Reſponſum.

Amen.

Miniſter.

Maledictus, qui accipit munera, vt percutiat animam ſanguinis innocentis.

Reſponſum.

Responsum.

Amen.

Minister.

Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, cuius cor à Domino recedit.

Responsum.

Amen.

Minister.

Maledicti qui sunt immisericordes, scortatores, adulteri, & aruari homines, simulachrorum cultores, maledici, ebriosi, & rapaces.

Responsum.

Amen.

Minister.

IAm cùm illi omnes maledicti sint, (sicut testimonium perhibet Propheta Dauid) qui errant & declinant à mandatis Dei, nos (memores terribilis iudicij quod nostris capitibus imminet, quodque semper instat) reuertamur ad Dominum Deum, cum omni contritione & humilitate cordis, plangentes & lugentes vitam nostram peccatricem: delicta nostra agnoscentes & confitentes, dignosque pœnitentiæ fructus facere quærentes. Iam enim securis ad radicem arborum posita est, sic vt omnis arbor quæ non facit fructum bonum exciditur & in ignem mittitur. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Ipse pluet super peccatores laqueos, ignem, sulphur, & spiritus procellarum erit pars calicis eorum. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, vt visiter iniquitatẽ habitatoris terræ. Sed quis diem aduentus eius sustinere poterit? Quis, cum se conspiciendum præbet, consistet? Cuius ventilabrum in manu sua est, & ipse repurgabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum: paleam autem exuret igni inextinguibili. Dies Domini venit vt fur in nocte: Et cùm dixerint homines, pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, sicuti dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient. Tunc apparebit ira Dei, in die vindictæ, quam obstinati peccatores iuxta duritiam cordis eorum sibi ipsis collegerunt, qui bonitatem, tolerantiam, lenitatemque Dei, quum eos assiduè ad pœnitentiam inuitauerat, contempserunt. Tunc inuocabunt me (dicit Dominus) sed non exaudiam, manè quærent me & non inuenient me, eò quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, neque acquieuerint consilio meo, castigationem meam fuerint aspernati. Tunc serum nimis erit pulsare, cum clausa sit ianua: & serum misericordiam petere, cum iustitiæ tempus adsit. O terribilis vox iustissimi iudicij, quod super eos denunciandum erit, cum illis dicetur. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Proinde fratres, dum tempus est caueamus, dum

dies

dies ſalutis remaneat: quia venit nox, quando nemo poteſt operari: Sed cùm lucem habeamus credamus in lucem, & vt filij lucis ambulemus, ne mittamur in tenebras exteriores, vbi fletus eſt & ſtridor dentium. Ne Dei bonitate abutamur, qui clementer ad vitæ emendationem nos inuitat, & ex infinita ſua miſericordia pollicetur nobis præteriti peccati remiſſionem, ſi ex toto animo, & vero corde reuertamur ad eum. Nam etſi peccata noſtra fuerint vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: Si rubent inſtar purpuræ, velut lana alba erunt. Conuertimini ſyncerè (ait Dominus) ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas veſtra. Proijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis corda noua, & ſpiritum nouum, & quare moriemini domus Iſrael? quandoquidem non delector morte morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini ergo & viuetis. Etſi peccauerimus tamen aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum Iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Ipſe enim vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Reuertamur igitur ad eum qui ſuſceptor miſericors eſt omnium peccatorum verè reſipiſcentium, pro certo nobis ipſis perſuaſum habentes, quòd ille ſit paratus ad recipiendum nos, & libentiſſimus erit ad condonandum nobis, ſi cum fideli pœnitudine ad eum acceſſerimus, ſi noſmet ipſos ei ſubiecerimus, & poſthæc in viis eius ambulauerimus. Si iugum eius commodum, & onus leue ſuſtulerimus ad ſequendum eum in humilitate, patientia & charitate, & vt eius ſancti ſpiritus gubernatione dirigamur, eius gloriam ſemper quærentes, eique debitè ſeruientes in noſtra vocatione, cum gratiarum actione. Hoc ſi fecerimus, Chriſtus nos liberabit ab execratione legis, & ab externa maledictione, quæ in eos cadet, qui à ſiniſtris ſtatuentur, & nos ſtatuet à dextris ſuis, nobiſque dabit beatam patris benedictionem, iubens vt glorioſi regni eius poſſeſſionem capiamus, ad quod ipſe dignetur nos omnes perducere, propter infinitam ſuam miſericordiam. Amen.

Et turæ omnes genua flectent. & Miniſter ac clerici genibus flexis, vbi aſſueuerunt Litaniam dicere, hunc Pſalmum dicent.

Pſal. 50. MIſerere mei Deus; ſecundum magnam miſericordiam tuam: & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Ecce

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum : & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti : incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtàſti mihi.

Aſperges me Domine hyſopo, & mundabor : lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exaltabunt oſſa humiliata.

Auerte faciem tuam a peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Ne proiicias me à facie tua : & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui : & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.

Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ : & exaltabit lingua mea iuſtitiam tuam.

Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes, ſacrificium dediſſem : vtique holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus : cor contritum & humiliatum Deus, non deſpicies.

Benignè fac Domine, in bona voluntate tua Sion : vt ædificentur muri Hieruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta : tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

Kyrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.

Pater noſter qui es in cœlis, &c.
Et ne nos inducas in tentationem.

Reſponſio.

Sed libera nos à malo.

Miniſter.

Saluos fac Domine, famulos tuos.

Reſponſio.

Qui ſperant in te.

Mi-

Miniſter.

Mitte illis auxilium de alto.

Reſponſio.

Et omni tempore potenter eos defende.

Miniſter.

Adiuua nos Deus ſalutaris noſter.

Reſponſio.

Et propter gloriam nominis tui libera nos: propitius eſto nobis peccatoribus, propter nomen tuum.

Miniſter.

Domine exaudi preces noſtras.

Reſponſio.

Et clamor noſter ad te veniat.

Oremus.

O Domine, miſericorditer vt preces noſtras audias, te rogamus, & parce omnibus illis, qui tibi peccata ſua confiteantur, vt illi (quorum conſcientiæ de peccato accuſantur) per clementem tuam condonationem abſoluantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

OMnipotentiſſime Deus, & miſericors Pater, qui omnium miſereris, & nihil eorum quæ feciſti odio habeas, qui non vis mortem peccatoris, ſed vt potiùs à peccato ſe conuertat, & vt ſaluus fiat: clementer remitte nobis delicta noſtra, recipe & conſolare nos, qui peccati onere laboramus & onerati ſumus; tuum eſt miſereri, tibi ſoli conuenit peccata condonare: parce igitur nobis bone Domine, parce populo, quem redemiſti; ne introeas in iudicium cum ſeruis tuis, qui vilis puluis ſumus, & miſeri peccatores, ſed ita iram tuam à nobis auerte, qui humiliter agnoſcimus noſtram corruptionem, & verè pœnitentiam agimus delictorum noſtrorum, ſic feſtina ad adiuuandum nos in hoc ſeculo, vt in æternum tecum viuamus in ſeculo futuro. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Tunc populus dicet hoc quod ſequitur, poſt Miniſtrum.

CO nuerte nos, ô bone Domine, & ſic conuertemur: propitius eſto Domine, propitius eſto populo tuo, qui conuertuntur ad te in luctu, ieiunio & oratione: quia tu miſericors Deus, plenus clementiæ, patiens & multæ miſericordiæ. Parcis tu cùm nos pœnam mereamur, & in ira tua de miſericordia cogitas. Parce populo tuo bone Domine,

parce:

parce: & ne des hæreditatem tuam in opprobrium. Audi nos Domine, propter magnam miſericordiam tuam, & propter multitudinem miſerationum nos reſpice.

Hic ex Eccleſiæ Anglicanæ conſuetudine, liber Pſalmorum tanquam pars Liturgiæ ſacræ adijciendus eſſet, quia ad Matutinas & Veſpertinas Preces totus prælegitur ſingulis menſibus iuxta ordinem præſcriptum initio Calendarij quòd huic formæ publicarum precum, & adminiſtrationis Sacramentorum præfigitur. Sed hunc librum non adiecimus in hac Latina Liturgiæ noſtræ editione, quia omnibus pijs Latinè callentibus liber Pſalmorum ſit aliàs ad manum, & nulla Latina Pſalmorum verſio præ alijs, publica eutoritate in Eccleſia Anglicana, recipiatur.



FORMA CONSECRANDI ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS, ET ORDINANDI

Presbyteros & Diaconos in Eccleſia *Anglicana*.

QVicunque in S. Scripturæ lectione, scriptisque veterum Theologorum euoluendis paulò diligentiùs versantur, non ignorant in Ecclesia Christiana istos Ministrorum Ordines ab initio extitisse: Episcopos, Presbyteros, Diaconos: porrò eum illis honorem ac reuerentiam semper fuisse habitam, vt nemini fas esset suapte authoritate, vel priuato consilio in quamcunque illarum functionum administrationem temerè sese ingerere: quin priùs vocatus, examinatus, ac probatus fuisset, ac denique repertus talibus ornatus dotibus, quales illius vocationis dignitas necessariò postularet. Hac ratione probatus tandem cum publica diuini Numinis inuocatione, & manuum impositione solebat ad muneris sui administrationem admitti. Quapropter vt in hac nostra Anglicana Ecclesia perpetuus harum functionum, & religiosus vigeret cultus, consentaneum visum est, ne quisquam, qui nondum Episcopus, Presbyter, vel Diaconus fuerit factus, vllam ex istis functionibus audeat exercere, priusquam vocatus, probatus, & admissus fuerit secundum Ritum ordinationis publicæ, qui mox sequetur. Diaconatum verò suscipiat nemo ante vicesimum primum ætatis annum, Presbyteratum ante vicesimum quartum, Episcopatum ante tricesimum plenè exactum. Quod si quis Episcopus vel per se, vel per idoneatestimonia cognouerit, quempiam moribus probatis præditum, vitamque absque scandalo degentem, adhæc Latinas literas callentem, & S. Scripturæ scientiâ sufficienter instructum; potestatem habeat huiusmodi personam in Die Dominica, vel in festo aliquo Diaconum ordinandi, iuxta modum ac formam sequentem.

ORDI-

ORDINATIO DIACONORVM.

PRimùm, die ſtatuto per Epiſcopum iam aduentante, fiat exhortatio pia, munus & officium exponens eorum, qui miniſterium quoduis Eccleſiaſticum ſuſcepturi ſunt, quamque neceſſaria ſunt in Eccleſia Chriſtiana huiuſmodi Miniſteria, luculenter oſtendatur, nec non quo in pretio haberi debeat eorum vocatio apud populum Chriſtianum. Exhortatione peractâ, Archidiaconus vel qui vicem ipſius gerit, eos, qui ad Epiſcopum veniunt admittendi, præſentabit, huiuſmodi verba præfatus.

REuerende Pater in Chriſto, præſento tibi perſonas hic adſtantes, vt admittantur ad munus Diaconatus.

Epiſcopus excipiens ait.

VOs verò ſummopere caueatis perſonas iſtas iam nobis præſentatas tam doctrinâ, quàm probitate morum dignas eſſe & habiles, qui munus ſuum exerceant ad gloriam Dei, & ædificationem Eccleſiæ.

Archidiaconus reſpondet.

EGo quidem tales eos comperio tum ex aliorum de illis iudicio, tum ex meo ipſius examine.

Tum Epiſcopus ita populum alloquetur.

FRatres ſi quis veſtrûm ſciat impedimentum aliquod, vel quoduis crimen enormius in iſtis perſonis, quę nunc ad officium Diaconatus pręſentantur, quo minus ad ipſum admitti debeant, iam prodeat in Dei nomine, & impedimentum illud ſiue crimen, quodcunque tandem fuerit, oſtendat.

Quod ſi crimen aliquod, vel impedimentum fuerit obiectum eorum alicui, abſtinebit Epiſcopus ab eius ordinatione, donec reus a tali criminatione ſe liberum eſſe probauerit.

Poſthæc Epiſcopus eos, qui digni fuerint reperti, commendans precibus vniuerſi cœtus, vnà cum Clericis, & plebe præſente, Litaniam cum precationibus ſequentibus recitabit.*

* Litania petenda eſt è libro precum publicarum Eccleſiæ Anglicanæ, pag. 189.

Precatio.

OMnipotens Deus, qui diuina tua prouidentia diuerſos Miniſtrorum ordines in Eccleſia tua conſtituiſti, & ſanctos Apoſtolos

tuos inſpirâſti diuinitùs quo tempore illi, S. *Stephanum* Protomartyrem, vnà cum alijs ad iſtud Diaconatus munus eligebant; dignere, quæſumus, viciſſim iſtos famulos tuos, qui nunc ad ſimilem adminiſtrationem vocantur, miſericordiæ tuæ vultu clementer intueri: ita inſtrue illos ſacroſanctæ veritatis tuæ doctrina, ita morum innocentia, & vitæ integritate adorna, vt & verbo, & exemplo in hoc ſuo munere fidelem tibi præſtare poſſint operam, ad nominis tui gloriam & incrementum Eccleſiæ, propter meritum Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri, qui viuit, & regnat tecum vnà cum Spiritu Sancto, & nunc & in æterna ſecula. Amen.

Hic ſequantur precationes, quæ propriæ ſunt eius diei in celebratione S. Cœnæ. Epiſtola verò legatur ex priore ad Timoth. cap. 3. a verſu octauo ad finem Capitis. vel ex Act. cap. 6. a ver. 2. ad 8.

Ante lectionem autem Euangelij, Epiſcopus in cathedra ſedens curabit Iuramentum de ſuprema Regis poteſtate contra inuiſdictionem, & authoritatem quæcunque Poteſtatum & Principum externorum ſingulis, qui ordinandi ſunt ad miniſtrari, atque ſuſcipi ſub hac verborum formula.

EGO *A. B.* palam teſtor, & ex conſcientia mea declaro, quod Maieſtas Regia, vnicus eſt ſupremus gubernator huius Regni, omniumque aliorum ſuæ Maieſtatis Dominiorum ac territoriorum, tàm in omnibus Spiritualibus ſiue Eccleſiaſticis rebus aut cauſis, quàm in Temporalibus: & quòd nullus extraneus Princeps, Perſona, Prælatus, Status, aut Potentatus, habet aut habere debet vllam Iuriſdictionem, poteſtatem, ſuperioritatem, præeminentiam, vel auctoritatẽ Eccleſiaſticã ſiue Spiritualẽ infra hoc Regnum; & proinde renuntio penitùs & reijcio omnes extraneas Iuriſdictiones, poteſtates, ſuperioritates, & authoritates: Et promitto, me deinceps fidem, & veram obedientiam, Regiæ Maieſtati, eiuſque Hæredibus, ac legitimis Succeſſoribus præſtiturum: & pro virili meâ adiuturum ac propugnaturum omnes Iuriſdictiones, priuilegia, præeminentias, & auctoritates Regiæ Maieſtati, Hæredibus ſuis, ac ſucceſſoribus conceſſas, vel debitas, ſiue Imperiali huius Regni Coronæ vnitas & annexas. Ita me Deus adiuuet, & per huius libri contenta.

Iuramentum Fidelitatis.

EGO *A. B.* verè & ſyncerè agnoſcò, profiteor, teſtificor & declaro in conſcientia mea coram Deo & mundo, quod ſupremus Dominus noſter Rex *Iacobus*, eſt legitimus & verus Rex huius regni, & omnium aliorum Maieſtatis ſuæ Dominiorum & terrarum: Et quòd Papa nec per ſe-ipſum, nec per vllam aliam auctori-

auctoritatem Eccleſiæ, vel ſedis Romanæ, vel per vlla media cum quibuſcunque alijs aliquam poteſtatem, nec auctoritatem habeat Regem deponendi, vel aliquorum Maieſtatis ſuæ Dominiorum vel Regnorum diſponendi, vel alicui Principi extraneo ipſum damnificare, aut terras ſuas inuàdere auctoritatem concedendi, vel vllos ſubditorum ſuorum ab eorum ſuæ Maieſtatis obedientiâ & ſubiectione exonerandi, aut vllis eorum licentiam dare arma contra ipſum gerendi, tumultus ſeminandi, aut aliquam violentiam aut damnum Maieſtatis ſuæ Perſonæ, Statui, vel Regimini, vel aliquibus ſuis ſubditis infra ſua Dominia offerendi. Item, iuro ex corde, quòd non obſtante aliquâ declaratione, vel ſententiâ Excommunicationis, aut depriuationis factà vel conceſſâ, aut fiendà vel concedendâ, per Papam vel ſucceſſores ſuos, vel per quamcunque auctoritatem deriuatam vel deriuari prætenſam ab illo, ſeu à ſuâ ſede contra dictum Regem, hæredes aut ſucceſſores ſuos, vel quacunque abſolutione dictorum ſubditorum ad eorum obedientiâ; fidelitatem tamen & veram obedientiam ſuæ Maieſtati, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis præſtabo; Ipſumque & ipſos totis meis viribus contra omnes conſpirationes & attentata quæcunque, quæ contra Perſonâ illius, vel illorum, eorumque Coronam & dignitatem, ratione vel colore alicuius ſententiæ vel declarationis, aut aliàs facta fuerint, defendam: omnémq; operam impendâ reuelare, & manifeſtum facere ſuæ Maieſtati, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis omnes proditiones, & proditorias conſpirationes, quæ contra illum aut aliquos illorũ ad notitiam, vel auditum meum peruenerint. Præterea iuro, quòd ex corde abhorreo, deteſtor, & abiuro tanquam impiam & hæreticam, hanc damnabilem doctrinam & propoſitionem, Quòd principes per Papam excommunicati vel depriuati, poſsint per ſuos ſubditos, vel aliquos alios quoſcunque deponi, aut occidi. Et vlteriùs credo, & in conſcientiâ meâ reſoluor, quòd nec Papa, nec alius quicunque poteſtatem habet, me ab hoc Iuramento, aut aliquâ eius parte abſoluendi: quod Iuramentum agnoſco rectâ ac plenâ auctoritate eſſe mihi legitimè miniſtratum, omnibuſque indulgentijs ac diſpenſationibus in contrarium renuncio. Hæcque omnia planè ac ſyncerè agnoſco & iuro iuxta expreſſa verba per me hic prolata, & iuxta planum ac communem ſenſum & intellectum eorundem verborum, abſque vllâ æquiuocatione, aut mentali euaſione, vel ſecreta reſeruatione quacunque. Hancque recognitionem & agnitionem facio cordialiter, voluntariè & verè, in vera fide Chriſtiani viri: Sic me Deus adiuuet.

His peractis, eorum singulos ordine suo in præsentia plebis hoc modo percontabitur Episcopus.

TVne credis te interno S. Spiritus instinctu vocatum esse ad istud munus suscipiendum, in quo Deo seruias ad promouendam eius gloriam, & gregem eius ædificandum?

Resp. Ita credo.

Episc. Nunquid persuasum habes te iuxta voluntatem Domini nostri Iesu Christi, & legitimam huius regni constitutionem vocatum esse ad Ecclesiasticum ministerium?

Resp. Ita mihi persuasum est.

Epis. An omnes S. Scripturæ libros Canonicos tam Veteris: quàm Noui testamenti firma fide amplecteris?

Resp. Amplector.

Episc. Num statuis in ea, quæ tibi mandata fuerit Ecclesia, diligenter illas ad populum ibi congregatum perlegere?

Resp. Statuo.

Episc. Diaconi munus in eo præsertim consistet, vt præstò sit Presbytero dum sacris administrandis incumbit in Ecclesia sibi assignata, suamque præstet operam in celibratione S. Cœnæ, ac distributione Sacramenti. Item S. Scripturas, atque Homilias populo perlegere, iuniores in Articulis fidei erudire, Infantes baptizare, necnon verbum Dei prædicare, dummodo ab Episcopo censeatur idoneus, qui ad id muneris admittatur: spectat insuper ad eius officium siquidem talis etiam cura erit necessaria, inquirere de conditione ægrotantium, pauperum, & infirmorum in sua parochia degentium, vt eorum cognomina, domicilia, inopiamque innotescat pastori, qui sua ad gregem religiosa cohortatione curabit piorum animos excitare ad necessaria vitæ subsidia, aliasque eleemosynas in illorum sustentationem submministrandas. Hæccine tu libenter & alacriter præstabis?

Resp. Præstabo, Deo auxiliante.

Episc. Anne omni studio & diligentia curabis sic tuam ipsius, & familiæ tuæ vitam ad normam doctrinæ Christianæ dirigere, vt quantum in vobis fuerit, salutaria ouibus Christi exempla vosmetipsos præbeatis?

Resp. Ita faciam, Domino iuuante.

Episc. Nunquid Ordinario tuo, alijsq; præcipuis Ecclesiæ Ministris obedientiam cum reuerentia præstabis, pijs eorum monitis libenti animo obtemperans?

Episc. Conabor hoc facere, adiuuante Domino.

Tunc

Tunc Episcopus, manibus singulorum capitibus separatim impositis, hæc verba pronunciet.

Potestatem habeto Diaconatus officium administrandi in illa Ecclesia, quæ tibi fuerit commendata: In nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti Amen.

Hoc facto, tradet Episcopus singulis in manus N. Testamenti codicem, huiusmodi vtens verbis.

Habeto quoque potestatem Euangelium in Ecclesia Dei legendi, nec non prædicandi, si quando more legitimo ad id muneris admittaris.

Sequatur statim Euangelij, quod eius diei proprium fuerit, Lectio per eum præstanda, quem Episcopus designauerit. Mox ad Sacram Cœnam se accingat Episcopus, omnibus, qui ordinantur, manentibus, Cœnamque S. vnà cum eo percipientibus.

S. Cœnâ peractâ, post Collectam vltimam, & immediatè ante benedictionem, ista qua sequitur precatio adhibeatur.

OMnipotens Deus, largitor bonorum omnium, qui per immensam tuam bonitatem dignatus fueris tuos hosce seruos ad munus Diaconorum gerendũ in Ecclesia susscipere, instrue illos, te quæsumus, Domine, ea animi modestia, humilitate, atque constantia in obeundo suo munere, vt ad omnis disciplinæ spiritualis obseruantiam parati, ac synceræ conscientiæ testimonio muniti, in Christo filio tuo perpetuò stabiles, ac firmi permaneant: eaque fide, atque integritate in hoc inferiori munere sese gerant, vt digni aliquando reperiantur, qui ad grauiora in Ecclesia tua Ministeria susscipienda vocentur. Hoc nobis concedas propter eundem filium tuum Iesum Christum Seruatorem nostrum, cui honor, laus, & gloria debetur in omnem æternitatem. Amen.

Hic demum oportet Diaconum intelligere, permanendum ei esse in suo recens susscepto munere, ad minimum per integrum anni spatium; nisi fortè ob causas non leues aliter visum fuerit Ordinario suo. Ita enim in rebus ad Ecclesiasticam disciplinam spectantibus promptior & peritior euadet: Si verò fidelis repertus fuerit in munere suo fungendo, poterit post modum in Ordinem Presbyterij cooptari a sus Diœcesan Episcopo.

Forma siue Ritus ordinandi Presbyteros.

Post exhortationem, qualis describitur in Ordinatione Diaconorum, sequatur statim S. Cœna administratio. Epistola verò prælegatur ex Act. cap.

viceſimo a verſu decimoſeptimo ad triceſimum ſextum, vel ſi fortè contingat eodem die, & Diaconos, & Presbyteros ordinari totum cap. 3. 1. ad Timoth. Poſtea legatur etiam pars Euangelij extrema ſecundum Matth: a verſu decimo octauo ad finem: vel illud Ioan: 10 à verſ: primo ad decimum ſeptimum, vel Ioan. 20. a verſu 19. ad 24.

Euangelio lecto, recitetur vel decantetur ſequens hymnus.

VENI Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſuperna gratia,
Quæ tu creaſti pectora:
Qui paracletus diceris,
Donum Dei altiſſimi,
Fons viuus, ignis, charitas,
Et Spiritualis vnctio:
Tu ſeptiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus,
Tu ritè promiſſo Patris,
Sermone ditans guttura:
Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma noſtri corporis,
Virtute firmans perpeti:
Hoſtem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore ſic te præuio,
Vitemus omne noxium.
Per te ſciamus, da, Patrem,
Noſcamus atque Filium,
Te vtriuſque Spiritum,
Credamus omni tempore.
Sit laus Patri cum Filio,
Sancto ſimul Paracleto,
Nobiſque mittat Filius
Chariſſima Sancti Spiritus.

Hymno finito, Archidiaconus eos omnes qui Presbyteratum illo die ſunt ſuſcepturi, præſentabit Epiſcopo, hiſce verbis vſus:

REuerende Pater in Chriſto, præſento tibi Perſonas hic adſtantes, vt ad Ordinem Presbyterij admittantur.

Hic vero adhibeantur interrogationes & reſponſiones quæ ſupra præmittuntur in Ordinatione Diaconorum.

Tumque Epiſcopus ad populum conuerſus dicet.

DIlecti fratres, hi ſunt illi, quos annuente Deo, ſtatuimus hodie in Sacrum Presbyterij miniſterium cooptare, Nihil enim inuenimus poſt examinationem debitam obſtare, quo minus cenſeamus eos aptos & idoneos ad illud munus obeundum, adeoque legitime ad idem vocatos eſſe. Si quis autem veſtrûm in eorum quouis, grauius vllum crimen, vel impedimentum cognoſcat, cuius cauſa ad ſacrum iſtud miniſterium non debeat recipi, ne grauetur id extemplò in Dei nomine patefacere.

Quod

Quod ſi grauius aliquod crimen, vel impedimentum obiectum fuerit, &c. Sicut ſupra in Ordinatione Diaconi, vſque ad finem Litaniæ, cum hac precatione.

OMnipotens Deus, largitor bonorum omnium, qui per Sanctum tuum Spiritum diuerſos miniſtrorum ordines in Eccleſia tua conſtituiſti, dignere quæſumus, benigno miſericordiæ tuæ aſpectu hos famulos tuos intueri, qui hodierno die ad Presbyterij functionem vocantur. Ita illos veritate tuæ doctrinæ inſtruas, ita vitæ innocentia communias, vt in hoc ſuo munere præſtando fidelem tibi operam præſtare poſſint tam verbo quàm exemplo ad nominis tui gloriam, & emolumentum Eccleſiæ, propter merita ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui viuit & regnat tecum, & cum Spiritu S. in ſecula ſeculorum Amen.

Hic ſingulis ordinandis Iuramentum de ſuprema Regis poteſtate ſicut præſcribitur in Ordinatione Diaconorum, proponet Epiſcopus. Quo facto, huiuſmodi eos oratione alloquetur.

AVdiuiſtis, fratres, tam in priuata vniuſcuiuſque veſtrûm examinatione, & exhortatione ad vos factâ, quàm ex ſacris etiam lectionibus ex Euangelio, ſcriptiſque Apoſtolicis deſumptis, quæ ſit amplitudo & dignitas eius functionis, ad quâ hodierno die vocati eſtis. Vos igitur in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti obteſtamur, vt ſeriò apud animos veſtros cogitetis de onere, magnitudineq; officij veſtri: vtpote qui appellamini in S. literis Legati, Excubitores, Paſtores, ac Diſpenſatores Domini, ad docendum, præmonendum, paſcendum, & curandum familiam Domini: vt Oues Chriſti diſperſas & palantes perquiratis, eiuſque filios per mundum hunc malignum vagantes in viam reducatis, quo tandem æternam ſalutem per Chriſtum conſequantur. Ex animis veſtris nunquam excidat quàm immenſus theſaurus commiſsus ſit veſtræ fidei: ipſius ſcilicet Chriſti oues, quarum gratiâ ſanguinem ſuum effundere non recuſauit, vt eas redimeret mortis ſuæ pretio. Imò Eccleſia, hoc eſt, ouile Chriſti, cui vos debetis miniſterium veſtrum impendere, ipſius ſponſa, ipſius corpus exiſtit. Quod ſi hæc Eccleſia, vel quoduis eius membrum ex veſtra negligentia, vel incuria, detrimenti quid capiat, tanti criminis magnitudinem, & emergentis inde ſupplicij grauitatem haudquaquam ignorare poteſtis. Finem igitur atque ſcopum Miniſterij veſtri ſumma cum animi attentione perpendite, labore, cura, & induſtria veſtra nunquam ceſſantes quotquot fidei veſtræ committuntur oues, vel in poſterum committentur, ad veram Dei cognitionem perducere, & in vnitate fidei coniungere,

iungere, ac fouere: vt erroribus explosis, sana doctrina enutriantur, donec tandem ad plenam, & perfectam ætatem in Christo excrescant, excellentes ea morum sanctitate, quæ Christi corpus & sponsam decet. Hæc cum ita sint, videtis quanta vobis necessitas incumbit, gratitudinem vestram erga Dominū declarandi, qui vos ad tam sublime honoris gradum euexit. Vobis idcirco cauendum est omni studio ac diligentia, ne vel ipsi scandalum vllum, vel occasionem, scandali alijs præbeatis. Hæc autem cùm proprijs viribus præstare non possitis, quoniam & posse & velle à solius Dei potestate promanat, vestrum erit assiduis, & enixis precibus ab ipsius bonitate contendere, vt ad ea præstanda mentes vestras & vires excitare velit. Cùm verò tantum istud opus de saluandis hominibus, non alia ratione peragitur, quàm sanæ doctrinæ beneficio, & exhortationum stimulis, quæ in S. Scripturis abundè suppeditantur, adhibita insuper vitæ morumque integritate; satis intelligitis quanto studio tum in S. Literis perlegendis & perdiscendis versari vos oporteat, tum in formandis ad earum normam vestris atque vestrorum moribus: abiectis interea nimijs fallacis mundi curis, & vanis illecebris, quibus abduci, & retardari possitis ab officio vestro. Nos quidem spem bonam concipimus, ista vos iam diu ante hac apud animos vestros euoluisse, atque per Dei gratiam statuisse apud vos ad hanc vocationem vestram, omni studio atque industria vosmetipsos accingere, huic vni curæ, quantum in vobis fuerit, incumbentes. Speramus etiam vos nunquam desituros auxilium supernum S. Spiritus implorare a Deo Patre per interces sionem Seruatoris nostri Iesu Christi, vnici Meditatoris Dei & hominum, vt per assiduam S. Scripturæ lectionem ac meditationem indies maturiores euadatis, & peritiores; eamque innocentiam, & sanctimoniam per totum vitæ cursum vosmet, & familia vestra declaretis, quæ reliquo gregi tanquam salutare exemplum ad imitandum proponatur. Verum vt de mente ac voluntate vestra melius istis de rebus constare possit, huic vniuerso cœtui Christiano, adeòque agnoscatis vosmetipsos arctiori vinculo obstringi ad fidem præstandam promissi vestri, agite, respondeatis iam clarè ac dilucidè ad ea, quæ de hoc negotio vice ac nomine cœtus istius ex vobis percontabimur.

Episc. Nunquid tibi plenissimè persuasum est te iuxta voluntatem Dei, ac Domini nostri Iesu Christi, & legitimam huius regni constitutionem vocatum esse ad Presbyterij Ministerium?

Resp. Ita mihi persuasum est.

Episc. Num credis vniuersam doctrinam Christianam, quæ ad salutem æternam per fidem in Iesum Christum necessariò requiritur, in S. Literis sufficienter contineri? Anne populum quoque fidei tuæ commis-

commissum eisdem erudiendum, atque instruendum curabis, nihil docens tanquam ad æternam salutem necessarium, quod tibi non liquidò constet S. Literarum testimonio concludi, & confirmari posse?

Resp. Istud credo, atque ita facere per Dei gratiam decreui.

Episc. Nunquid fidelem & assiduam nauabis operam in doctrinæ, Sacramentorum, atque disciplinæ Christianæ dispensatione, iuxta præceptum Domini, & receptum morem huius regni, gregemque tuæ fidei commendatum docebis eadem omni studio obseruare?

Resp. Hoc faciam Deo auxiliante.

Episc. Num omnem adhibebis diligentiam in exterminandis quibuscunque erroribus, & doctrinis verbo Dei contrarijs? Item tam priuatis quam publicis admonitionibus, & salutaribus veteris exhortationibus apud infirmos & sanos intra limites tuæ Parochiæ, quoties necessitas postulabit?

Resp. Ita faciam, Domino auxiliante.

Episc. Num assiduus eris in precibus, in S. Literarum lectione sedulus, illisque te studijs addices, quæ conducere poterunt ad genuinum earum sensum percipiendum, abdicatis carnis & mundi cupiditatibus?

Resp. Studebo per Dei gratiam hoc facere.

Episc. Anne diligenter laborabis tum tuam ipsius, tum familiæ tuæ vitam, quantum in vobis fuerit, ad normam Christianæ doctrinæ ita componere, vt salutare ouibus Christi teipsum præbeas exemplum?

Resp. Conabor, Domino dante, hoc efficere.

Episc. An omni studio, quantum in tua potestate fuerit situm, pacem, tranquilitatem, charitatemque inter Christianos omnes procurabis atque fouebis, imprimis inter eos, qui fidei tuæ vel nunc sunt, vel in posterum erunt commendati?

Resp. Ita faciam, adiuuante Domino.

Episc. Nunquid Ordinario tuo, alijsque præcipuis Ecclesiæ Ministris, quorum iurisdictioni te subesse contigerit, obedientiam cum debita reuerentia præstabis, libenti animo salutaribus eorum monitis obtemperans, pijsque censuris acquiescens?

Resp. Hoc quoque faciam, Domino auxiliante.

Tunc Episcopus dicat hoc modo.

OMnipotens Deus, qui voluntatem hanc mentibus vestris instellare dignatus est, vires vicissim ac facultatẽ concedat vobis ad hæc officia præstanda, atque implenda, vt bonum illud opus suum, quod incepit in vobis, fœliciter perficiat vsque, ad supremum illum diem, quo venturus est ad iudicandum viuos & mortuos.

Post hæc rogabitur vniuersa congregatio, vt velint tacitis suis precibus

&

& votis ardentibus illud negotium, eiusque successum Deo commendare. Cuius rei gratiâ pauxillum temporis spacium, prout visum erit expedire, silentio transigatur.

Quo facto precabitur Episcopus hoc modo.

DEus Omnipotens, ac Pater cœlestis, qui ex infinita tua erga nos charitate filiũ tuũ vnigenitũ Iesum Christũ, in quo solo tibi complacitũ est, dignatus es exhibere, vt nobis esset propitiator, & vitæ æternæ auctor: qui immenso illo pretio redemptionis nostræ persoluto, in cœlum ascendens, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Doctores, & Pastores in hunc modum emisit, quorum labore ac ministerio ex singulis orbis terrarum partibus ingentem fidelium gregem collegit, ad immortalem nominis sui gloriam declarandam: gratias tibi agimus, quas possumus maximas pro hac tanta erga maiores nostros benignitate, atque beneficentia tua. Inprimis vero ex toto cordis affectu ineffabilem tuam erga nosmetipsos misericordiam agnoscimus, & prædicamus, quòd hosce seruos tuos coràm hîc adstantes vocare dignatus sis ad id munus ac ministerium, quod in æterna salute comparanda versatur. Concedas quæsumus, per & propter eundem filium tuum & nobis ipsis, & alijs vbiuis gentium sanctum tuum nomen inuocantibus, vt animorum nostrorum gratitudinem pro hoc tanto beneficio studiosè declaremus per obedientiam nostram: vtque maiorem indies in vera fide & agnitione filij tui profectum faciamus per salutarem S. tui Spiritus assistentiam. Ita tandem fiet, vt non solùm per hos tuos ministros, sed per eos etiam in quorum gratiam ministerio suo funguntur, sanctum tuum nomen perpetuò glorificetur, finesque regni tui benedicti longiùs ac latiùs propagentur, per eundem filium tuum Iesum Christum Dominum nostrum, qui viuit & regnat tecum in vnitate eiusdem S. Spiritus in secula seculorum. Amen.

Hac finita precatione, Episcopus & Presbyteri præsentes manus suas imponant singulorum, qui ordinantur, capitibus separatim. Quibus in genua submissè procumbentibus, Episcopus hac verba pronuntiabit.

ACcipito Spiritum Sanctum: cuius remiseris peccata, erunt ei remissa, & cuius ligaueris peccata, erunt ei ligata. Tu verò fidelem age dispensatorem verbi Dei, & sacramentorum, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Episcopus

Episcopus item singulis eorum in manus tradens S. Scripturæ codicem, sic dicet;

HAbeto tu auctoritatem prædicandi verbum Dei, & administrandi Sacramenta in illa Ecclesia, quæ tibi fuerit commendata.

Hoc peracto, Symbolum fidei decantetur per cœtum: statimque, se ad S. Communionem accingant, quam omnes, qui Ordines susceperi sunt, pariter percipiant, in eodem permanentes loco, vbi manuum impositionem acceperunt, donec S. Cœna fuerit peracta.

Tunc autem post vltimam Collectam, immediatè ante benedictionem sequatur ista precatio.

MIsericors Pater, obsecramus humillimè clementiam tuam, vt è sancta tua sede cœlestem benedictionis tuæ rorem super hosce seruos tuos facias descendere: vt omni vitæ sanctimonia, iustitiaque tanquam veste decora induantur; Quo verbum tuum illorum voce prædicatum semper vim suam & efficaciam obtineat, nec vllo tempore inutile auditoribus, vel infructuosum reperiatur. Nobis quin etiam gratiam concedas audiendi verbum tuum studio propenso, illudque fideliter amplectendi tanquam instrumentum æternæ nostræ salutis, & animarum nostrarum pabulum. Vt in omnibus dictis, factisque nostris gloriam tuam vnice quæramus, & incrementum regni tui per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Si Diaconatus & Presbyterij Ordines eodem die conferantur, tum omnia in S. Cœnæ celebratione eodem modo peragantur, quo præscribitur in Ordinatione Presbyterorum, nisi quòd loco Epistolæ legatur cap. tertium 1. ad Timoth. Post Epistolam verò statim ordinentur Diaconi, & Litaniam semel decantare vel recitare sufficiat.

Modus consecrandi Archiepiscopum vel Episcopum.

Legatur Epistola ex 1. ad Timoth. cap. 3. a versu 1. ad 8.

Euangelium sit Christi verba ad Petrum de pascendis Ouibus. Ioan. 21. vers. 15. & 16. vel illud Ioan. 10. vt habetur supra in Ordinatione Presbyterorum. Euangelio & Symbolo finitis, primùm electus Episcopus per duos alios Episcopos præsentabitur illius Prouinciæ Archiepiscopo, vel alicui Episcopo ex ipsius consensu vices suas gerenti, sub hac verborum forma.

Reueren-

REuerendiſſime in Chriſto Pater, præſentamus tibi hunc pium, & doctum virum, vt in Epiſcopum conſecretur.

Tunc Archiepiſcopus mandatum Regium de illius conſecratione produci, & publicè recitari curabit. Deinde Iuramentum de ſuprema Regis poteſtate agnoſcenda Electis miniſtrabitur, ſicut in Ordinatione Diacon. Poſtremò iuramentum ſuſcipiat de obedientia debita Archiepiſcopo præſtanda, eo modo quo ſequitur.

IN Dei nomine, Amen. Ego I. N. Eccleſiæ, atque Sedis N. electus Epiſcopus profiteor, atque polliceor omnem reuerentiam, atque obedientiam debitam Archiepiſcopo, & Eccleſiæ Metropoliticæ N. & ſucceſſoribus ſuis, ſicut me Deus adiuuet per Ieſum Chriſtum.

Hoc Iuramentum non ſuſcipitur in conſecratione Archiep. Mox Archiepiſcopus cœtum præſentem ad auxilium diuinum implorandum hortatus, ſic eos alloquetur.

SCriptum eſt, fratres, in Euangelio S. Lucæ, Chriſtum Seruatorem noſtrum totam noctem precatione conſumpſiſſe, antequam Apoſtolos ſibi elegerat, atque in mundum miſerat. Scriptum eſt etiam in Actis Apoſtolicis, diſcipulos, qui Antiochiæ fuerunt, ieiunio & oratione vſos eſſe, priuſquam Paulo & Barnabæ manus impoſuerant, & ad munus ſuum eos ablegauerant. Nos igitur ſecundum Saluatoris Chriſti exemplum, & Apoſtolorum ſuorum, ad preces nuncupandas nos conferamus, anteaquam perſonam hanc nobis præſentatam admittamus, vel opus ei demandemus, ad quod eum confidimus à S. Spiritu vocatum eſſe.

Hic, ſicut in ordinatione Diaconi decantetur Litania; in qua poſt ea verba [vt Epiſcopos, Paſtores, & Miniſtros Eccleſiæ, &c.] addatur & hæc Petitio.

TE rogamus, vt huic fratri noſtro electo Epiſcopo benedictionem, & gratiã tuam largiri digneſis, quo munus iſtud, ad quod vocatus eſt, diligenter exequi poſſit ad ædificationem Eccleſiæ, & ad honorem, laudem & gloriam nominis tui.

Reſp. Exaudi nos, obſecramus te, Domine.

Hac verò oratione Litania concludatur.

OMnipotens Deus, largitor bonorum omnium, qui per S. tuum Spiritum diuerſos Miniſtrorum ordines in Eccleſia tua conſtituiſti, dignere quæſumus hunc ſeruum tuum ad Miniſterium Epiſcopa-

tus

tus iam vocatum clementer intueri. Ita illum instruas doctrinæ tuæ veritate, ita vitæ innocentia adornes, vt in hoc suo munere obeundo fidelem operam præstare possit & verbo & exemplo, ad nominis tui gloriam, atque emolumentum Ecclesiæ tuæ per merita Saluatoris nostri Iesu Christi, qui regnat tecum, & cum Spiritu Sancto in secula seculorum. Amen.

Tunc Archiepiscopus in cathedra sedens, hunc in modum allequetur eum, qui consecrandus adstat.

FRater, quandoquidem tam veteres Canones, quàm S. Scriptura nos admonent, haud temerè manus cuiquàm imponendas esse, vel quenquam subitò admittendum ad gubernandam Christi Ecclesiam, quam is non minore sanè pretio, quam proprij sanguinis effusione sibi acquisiuit: idcirco priusquam te ad hanc administrationem, ad quam vocaris, admittam, æquum fuerit quædam abs te scisciatari in eum finem, vt præsens iste cœtus intelligat, & testimonium etiam ferat mentis ac propositi tui, quo modo statueris te gerere in Ecclesia Dei.

Archiep. Anne tibi persuasum habes te ad hanc administrationem verè vocatum esse, iuxta voluntatem Domini nostri Iesu Christi, & constitutionem huius regni?

Resp. Ita mihi persuasum habeo.

Archiep. Nunquid tibi persuasum habes S. Scripturas sufficienter continere omnem doctrinam, quæ necessariò ad salutem requiritur? Itemque statuis per easdem S. Scripturas populum fidei tuę commissum instruere, nihil præterea docendo vel astruendo tanquam ad salutem necessarium, quod per easdem credas confirmari, vel demonstrari non posse?

Resp. Ita mihi persuasum habeo, atque ita mecum statui facere per Dei gratiam.

Archiep. Ergone in eisdem S. literis studiosè teipsum exercebis, Deum inuocando, vt aperiat tibi verum ac genuinum earum intellectum, quo poteris alios per easdem sana doctrina erudire, atque exhortari, nec non conuincere ac refellere veritati contradicentes?

Resp. Sic faciam ope diuina.

Archiep. Nunquid paratus es fidelem ac diligentem operam impendere ad exterminandam, & extirpandam quamcunque peregrinam, erroneam, verboque diuino contrariam doctrinam: aliosque tam priuatim, quàm publicè ad idem faciendum prouocabis atque excitabis?

Resp. Etiam ad hoc præstandum paratus sum, diuino confisus auxilio.

Archiep. Num omni impietati, mundanisque concupiscentijs renunciabis, pie, iustè, ac sobriè vitam in hoc mundo instituens, vt in rebus

bus omnibus bonorum operum te præbens exemplum aliis, aduersarium pudefacias, cum nihil habeat, quod tibi merito obijciat?

Resp. Ita faciam per Dei auxilium.

Archiep. An in te quantum fuerit, pacem, concordiam, & charitatem inter omnes homines procurabis & promouebis. Si quos autem turbulentos effrænes, vel criminosos intra fines Diœceseos tuæ offenderis, castigabis eos ac punies iuxta authoritatem tibi ex Dei verbo, Regnique huius sanctionibus concessam?

Resp. Sic faciam, fauente Dei gratia.

Archiep. An pauperibus, egenis, & aduenis, auxilioque indigentibus, propter Christi meritum misericordem teipsum, atque benefícum præbebis?

Resp. Me talem præbebo, Deo dante.

Archiep. Deus omnipotens, Pater noster cœlestis, qui hanc tibi voluntatem concessit, concedat insuper vires ac facultatem ad hæc omnia efficaciter præstanda, vt opus illud suum, quod incepit in te absoluat, teque integrum, & inculpabilem inueniat in illo supremo die, per Iesum Christum Dom. nostrum. Amen.

Hic psallatur vel recitetur, Veni Creator &c. *sicut supra in Ordinat. Presbyterorum.*

Hoc peracto dicet Archiepiscopus.

Exaudi Domine precationem nostram.
Resp. Et clamor noster ad te perueniat.

Precemur.

OMnipotens Deus, & misericors Pater, qui ex infinita tua bonitate Iesum Christum vnicum, ac dilectissimum filium tuum nobis donâsti Redemptorem, & æternæ salutis authorem: qui postquam sua morte perfecisset opus Reconciliationis nostræ, atque in cœlum ascendisset, dona sua abundè largitus est hominibus, constituens alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores ad ædificationem, & consummationem Ecclesiæ: concedas, quæsumus, huic seruo tuo eam gratiam, vt semper sit paratus ad Euangelium, lætumque nostræ tecum Reconciliationis nuncium promulgandum. Præterea, vt authoritate sibi concessa non ad destructionem, sed ad ædificationem, non ad detrimentum, sed ad emolumentum Ecclesiæ vtatur: Iraq; familiæ tuæ, sicut fidum ac prudentem decet œconomum, pabulum suo tempore distribuens, recipiatur tandem in cœleste gaudium per

per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum, & cum Sp. S. viuit & regnat vnus Deus in omnem æternitatem. Amen.

Archiepiscopus & Episcopi præsentes, manus suas imponant super caput Episcopi electi, sic dicente Archiepiscopo.

Accipe Spiritum Sanctum, & excitare memineris gratiam Dei, quæ in te est per manuum impositionem. Dedit enim nobis Deus Spiritum non timoris, sed potestatis, charitatis & sobrietatis.

Porro Archiepiscopus S. Codicem accipiens, eique tradens, hæc dicat verba.

Attendas lectioni, exhortationi, atque doctrinæ. Quæ in hoc libro continentur seriò meditere. Ea vtaris diligentia, vt profectus tuus in istis rebus omnibus fiat manifestus. Attendas, inquam, tibi, & doctrinæ tuæ. Hoc enim fideliter præstando & teipsum seruabis, & eos qui te audiunt. Erga oues Christi non te lupum geras, sed Pastorem, gregem non deuorans, sed pascens. Infirmos sustentes, ægrotos sanes, contritos vincias, extorres reducas, perditos quæras. Ita iis misericors, ne fias remissus; ita disciplinam exerceas, ne iis crudelis. Vt cum summus ille animarum Pastor apparuerit, immarcescibilem gloriæ coronam accipias per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Archiepiscopus hîc se accingat ad S. Cœnam, quocum recens consecratus Episcopus, aliique communicabunt. Instar vltimæ verò Collectæ, immediatè ante benedictionem concludat cum hac precatione.

CLementissime Pater, oramus te supplices, vt super istum seruum tuum benedictionem tuam superne facias descendere; itaq; illum Sancto tuo Spiritu imbuere digneris, vt prædicando verbum tuum sedulam operam præstare possit doctrinæ, reprehensioni, castigationi, obtestationi cum omni tolerantia, fiatque salubre fidelibus exemplum tam in sermone, quam in moribus suis; amore, fide, castitate, vitæque integritate excellens. Vt post hunc suum cursum exactum in illo supremo die coronam iustitiæ consequatur, quam suis Dominus iustus ille Iudex reposuit, qui viuit & regnat vnus Deus tecum, & cum Sp. Sancto in omnem æternitatem. Amen.

ECCLESIÆ ANGLICANAE DISCIPLINA ET POLITIA.

CAP. 1. ANgliæ diuiſio in ſuas partes & membra ratione Eccleſiaſticæ iuriſdictionis.

Cap. 2. Quænam ſunt in genere Eccleſiæ Anglicanæ leges Eccleſiaſticæ.

Cap. 3. Quam Regis authoritatem in perſonas & cauſas Eccleſiaſticas agnoſcit Eccleſia Anglicana.

Cap. 4. Archiepiſcoporum in Anglia Dignitas & Poteſtas.

Cap. 5. Epiſcoporum in Anglia Poteſtas & munera.

Cap. 6. Epiſcoporum voluntaria iuriſdictio in Diœceſibus ſuis viſitandis.

Cap. 7. Contentioſa iuriſdictio Epiſcoporum.

Cap. 8. De Cathedralibus Eccleſijs.

Cap. 9. De Epiſcoporum in Eccleſia Anglicana Cancellarijs, Archidiaconis, Decanis ruralibus.

Cap. 10. De Presbyteris, Diaconis, Oeconomis, Teſtibus Synodalibus, Ædituis.

Cap. 11. De Anglicanæ Eccleſiæ Synodis Nationalibus & Prouincialibus.

AN-

ANGLIÆ DIVISIO IN SVAS PARTES ET MEMBRA RATIONE ECCLESIASTICÆ IVRISDICTIONIS.

CAP. I.

Vamprimum Romani ultra Italiæ oram Imperii ſui fines propagaverant, illud regiminis causâ in varias Provincias partiti ſunt : & poſtea Ciceronis ſeculo, (ut conſtat ex ejus epiſtola ad L. Servilium de Proconſule ita ſcribentis ; *ex Provincia mea Cilicienſi, cui ſeis tres Diœceſes Aſiaticas attributas fuiſſe*) ſingulas Provincias in ſuas Diœceſes, ſeu adminiſtrationes diviſerunt. Hæ vero Provinciæ, Romano Imperio creſcente, ita fuere auctæ, ut (teſte Onuphrio) ſub Trajano quadraginta extiterint. Et hinc Trajani ſucceſſor Hadrianus, quò tot ac tam diſſita membra firmiori ligamine devincirentur, totum Imperium in aliquot Diœceſes diſtribuit: &, contra quàm Ciceronis ſeculo, quando Provinciæ ſingulæ diviſæ ſunt in Diœceſes ; unamquamque Diœceſin in plures Provincias diſpeſcuit.

Et hæc Romani Imperii in Diœceſes, & Diœceſeôn in Provincias partitio manſit ſub Conſtantino Magno, qui tamen ita utrarumque numerum auxit, vt *Notitia Provinciarum* 13 Diœceſes, & 120 Provincias recenſuerit. Hæc autem orbis Romani diviſio politica, in Eccleſiam imitatione quadam derivata eſt: *Siqua* (inquit Concil. Chalced. can. 25) *civitas* (multò magis ſi aliquæ Regiones amplæ) *poteſtate Imperiali innovata ſit, vel deinceps innovata fuerit; civiles & publicas formas Eccleſiaſticarum quoque Parœciarum ordo conſequatur.* Et hinc paſſim in ſacris antiquorum

rum Conciliorum [a] canonibus frequens ſit mentio Diœceſeôn & Provinciarum, quibus Primates, Exarchi, Metropolitani præeſſe, & è quibus ad Synodos congregari perhibentur. Neque hic acquieviſſe Eccleſia, ſed ulteriùs diſtribuit Provincias in ſuas Epiſcopales Parœcias, quarum nomine non tantùm Civitates ſignificabat, urbium mœnibus cinctas, ſed etiam Regiones ſeu territoria Ciuitatibus adſcripta: *Vnuſquiſque* (ait Canon 9. Concilij Antiocheni) *Epiſcopus poteſtatem habeat ſuæ Parœciæ, eamque adminiſtret pro ſuo quiſque ſtudio ac Religione, & curam gerat Regionis, quæ ſuæ Vrbi ſubeſt.*

[a] Vide Act. Concil. Conſtant. pri can. 2. Act. Concil. Epheſ. can. 8. Et Chalcedon. can 9. & 16.

Verùm ſeculis ſubſequentibus, tametſi Eccleſia Diœceſeôn, Provinciarum, Parœciarum nomina retinuerit; tamen (quod Gratiani rhapſodiæ clarè indicant) earum uſum immutavit, Provinciam partiens in Diœceſes, & Parœcias [illegible]rctiſſimis Pagorum limitibus circumſcribens. Quæ diviſio in Eccleſia Anglicana, in hunc uſque diem obtinuit. Etenim totum Angliæ Regnum ratione Eccleſiaſticæ in eo iuriſdictionis dividitur in duas Archiepiſcopales Provincias, *Cantuarienſem*, & *Eboracenſem*; & utraque Provincia in ſuas Epiſcopales Diœceſes; ſingulæ propemodum Diœceſes, præſertim quæ * majores in Archidiaconatus, (quibus Archidiaconi Epiſcoporum oculi invigilant,) quandoque quartam, ſæpe quartâ minùs aut magis amplam Diœceſis partem complectentes: *Decanatus*, quibus præficiuntur rurales Decani antiquis Archipresbyteris non multùm diſſimiles, & comprehendentes aliquando decem Parœcias, quas Concilium Chalcedonenſe *Rurales & Regionales* uocat, ſæpius plures, raro pauciores: Denique in *Cathedrales*, *Collegiatas* Eccleſias, & *Hoſpitalia*; quæ Archidiaconatuum & Decanatuum cancellis eximuntur, & tamen concluduntur Epiſcopalibus Diœceſibus, cùm Epiſcoporum viſitationibus, modò non ſint ex Regia fundatione, nec certus alius ſtatuatur viſitator, ſubijciantur.

* Minores enim aliquot unum tantum habent Archidiaconatum, vt Cantuarienſis, Roffenſis, Wigornienſis, Glouceſtrenſis, Briſtolienſis, & aliæ.

Prœterea, in ſingulis ferè Diœceſibus Epiſcopalibus, ſunt Eccleſiaſticæ juriſdictiones exemptæ, aut ab Archidiaconatibus, & Diœceſi Epiſcopali; aut a Diœceſi Epiſcopali, & Provinciæ Archiepiſcopali; vel denique à Provincia Archiepiſcopali, & Regiæ Majeſtati, ratione Appellationum, immediatè ſunt ſubditæ. Cæterùm quò Eccleſiaſtica hæc Regni Anglicani diviſio exteris hominibus, melius adhuc innoteſcat, ejus politica in ſuas partes & membra diviſio, paucis repetenda eſt.

Vniverſum Angliæ Regnum (quo *Wallia* principatum includimus) dividitur in quinquaginta duos Comitatus, quorum minimus in circuitu habet milliaria plus minus quinquaginta, maximus milliaria plus quàm ducenta: horumque Comitatuum, hæc vnà cum numero Parœciarum ijs contentarum ſunt nomina: *Cantium* habens 398 Parœcias; *Southſexia* 311. *Surria* 140. *Middleſexia* extra urbem Londinenſem, 73. Ipſa vero vrbs 101. *Southamptonia* 248. *Dorceſtria* 248. *Wilcheria*

ria 304. *Somerſetum* 385. *Devonia* 394. *Cornubia* 161. *Eſſexia* 415. *Hertfordia* 120. *Oxfordia* 208. *Buckingamia* 185. *Bercheria* 140. *Gloceſtria* 280. *Norfolcia* 625. *Rutlandia* 47. *Northamptonia* 326. *Huntingtonia* 78. *Bedfordia* 110. *Cantabrigia* 163. *Warwicum* 158. *Leiceſtria* 200. *Staffordia* 130. *Worceſtria* 152. *Salopia* 170. *Hereſordia* 176. *Lincolnia* 630. *Notinghamia* 168. *Derbia* 160. *Ceſtria* 97. *Eboracum* 459. *Richmondia* 104. *Lancaſtria* 36. *Dunelmenſis ager* 62. *Weſtmoria* 26. *Cumbria* 58. *Northumbria* 40. *Monumethemia* 142. *Glathmorgania* 151. *Radnoria* 43. *Brechinia* 70. *Cardigania* 77. *Carmaridunum* 81. *Pembrochia* 142. *Montgomeria* 42. *Merionithia* 34. *Denbighia* 53. *Flintenſis comitatus* 24. *Carnarvinum* 73. *Denique Angliſey Inſula* 83. Paroecias complectens: ita vt omnes Paroeciæ per hos Comitatus ſparſæ ſint 9725.

Iam verò Epiſcopales Diœceſes viginti ſex ſunt, quarum aliquæ per unum, aliæ per duos, nonnullæ per plures iſtorum comitatuum extenduntur. Diœceſis *Cantuarienſis* (eſt enim *Cantuarienſis* tum Diœceſis, tum Provincia; quarum huic ut Archiepiſcopus, illi vt Epiſcopus, præeſt Archipræſul *Cantuarienſis*) cum *Roffenſi Cantium* continet; *Londinenſis Eſſexiam*, *Midleſexiam*, partemque *Hertfordienſis* comitatus; *Ciceſtrenſis Southſexiam*; *Wintonienſis Southamptoniam* comitatum, *Surriam*, & *Vectem Inſulam*; *Salisburienſis Wilcheriam*, & *Bercheriam*; *Exonienſis Devoniam* & *Cornubiam*; *Bathonienſis* & *Wellenſis* jam ſimul junctæ *Somerſetum*; *Gloceſtrenſis Gloceſtriam* comitatum; *Wigornienſis Wigorniam* comitatum, & *Warvicenſis* partem; *Hereſordienſis Hereſordiam* comitatum, & partem *Salopiæ*; *Coventrienſis*, & *Lichfeldienſis* jam unà copulatæ, *Staffordiam* & *Derbiam* comitatus, & reliquas *Warvicenſis* & *Salopienſis* partes; *Lincolnienſis*, omnium Diœceſeôn maxima, comitatus *Lincolniæ*, *Leiceſtriæ*, *Huntingtoniæ*, *Bedfordiæ*, *Buckingamiæ*, & reliquam partem comitatûs *Hertfordienſis*; *Elienſis Cantabrigiam* comitatum, ipſamque *Elis* Inſulam; *Nordvicenſis*, *Norfolciam* atque *Suffolciam*; *Orfordienſis Oxfordiam* comitatum; *Peterburgenſis Northamptoniam* atque *Rotelandiam*; *Briſtolienſis* ciuitatem *Briſtoliam* & *Dorceſtria* comitatum complectuntur. Et hæ 18 Diœceſes ſunt infra Angliæ confinia: quibus quatuor Walliæ Diœceſes *Menevenſis* ſeu *Sancti Davidis* per *Penbrochiam*, *Carmaridunum*, *Cardigamiam*, *Brechiniam*, minorem partem *Glathmorganiæ*, & portiunculam *Monumethemiæ*; *Landavenſis* per totam ferè *Monumethemiam*, & majorem partem *Glathmorganiæ*; *Bancorenſis* per *Angliſey* Inſulam, *Carnarvinum*, minorem partem *Montgomeriæ*; *Aſſeuenſis* per *Denbichiam*, majorem partem *Flintenſis* comitatûs, *Merionithiam*, partem *Montgomeriæ* dilatatæ, ſi adijciantur: habemus omnes infra totum Angliæ regnum Diœceſes Provinciæ *Cantuarienſi* ſubditas.

Reliquæ Epiſcopales Diœceſes, nempe *Eboracenſis Eboracum*, &

Notinghamiam comitatus; *Ceſtrenſis* comitatum *Ceſtriæ*, *Richmondiæ*, & *Lancaſtriæ*, partemque *Flint*, & *Denbygh*, in Wallia comitatuum; *Dunelmenſis Dunelmenſem* comitatum, & *Northumbriam*; *Carlienſis Cumbriam* & *Weſtmoriam* comitatus; Denique *Sodorenſis* Inſulam Manniæ cingens, Provinciæ *Eboracenſi* ſubjiciuntur. Et hæc Eccleſiaſticæ ampliſſimi ac florentiſſimi hujus regni diviſio eſt tanquam baſis omnis Eccleſiaſticæ juriſdictionis, quæ in eo hodie ſub pio & Sereniſſimo Monarcha *Iacobo* exercetur, & cujus adminiſtratio & politia infra delineabitur.

Quænam ſint in genere Eccleſiæ Anglicanæ leges Eccleſiaſticæ.

CAP. II.

QVemadmodum leges civiles in commodum reipublicæ, ſic & Eccleſiaſticæ in Eccleſiæ bonum ab initio naſcentis religionis Chriſtianæ extiterunt. Divus Paulus in externis ritibus ad promovendum Dei cultum, hunc tulit Canonem; *Omnia fiant ordine & decenter.* Idem fecerunt & reliqui Apoſtoli, vt ex Canonibus, qui Apoſtolorum dicuntur, apparet; quorum etſi nonnulli ſint manifeſtè ſpurii, aliqui tamen Apoſtolicam ſapere diſciplinam, & puriorem antiquitatem redolere videntur. Ordinarii Apoſtolorum Succeſſores primævæ Eccleſiæ Epiſcopi, in Conciliis *Ancyrano*, *Neocæſarienſi*, *Gangrenſi*, *Antiocheno*, *Laodicenſi*, *Niceno* primo, *Conſtantinopolitano* primo, *Epheſino*, plures eundem in finem canones condiderunt, qui in unam collectionem digeſti, & in ordinem redacti in Concilio Chalcedonenſi, Codex ſeu Corpus Canonum appellantur. Nam hujus Concilii actione decimâ tertiâ, ad dirimendam controverſiam inter quendam Eunomium Nicomedienſem, & Anaſtaſium Nicænum Epiſcopum, *Glorioſiſſimi iudices dixerunt; Canones legantur. Beronicianus Secretarius divini Conſiſtorij legit ex Codice*, id eſt, collectione canonum ex prioribus Conciliis excerptorum, & in unum volumen congeſtorum.

Et hujus Codicis tam eximius in Eccleſiæ regimine erat uſus, ut Imperator Iuſtinianus novella 131. illum confirmaverit, & ex eo omnes ferè ſuas de rebus Eccleſiaſticis Conſtitutiones, mutuatus fuerit. Nec ſolùm Orientalis Eccleſia, ſed etiam Occidentalis (ut divinarum lectionum cap. 23. author eſt Caſſiodorus) uſa eſt eodem Codice ex Latina interpretatione Dionyſii Exigui, qui ſuæ interpretationi Canones qui dicuntur Apoſtolorum, Sardicenſe, & Africana Concilia adjecit. Huic poſtea quædam Romanorum Pontificum epiſtolæ à Leone 4. recitatæ, apud Gratianum inſertæ ſunt. Deinde ſequuntur collectiones, & Decreta Burchardi Wormatienſis, Iuonis Carnotenſis, deniq; Gratiani,

An. Chriſt. 527.

An. 847.

An. 11[illegible]

An. 1[illegible]

ex

ex variis antiquorum Conciliorum canonibus veterumque Patrum ſententiis conſarcinata.

Verum in noviſſimis ſeculis, vnà cum humana pravitate & pervicacia, indies creuêre in ſacris cauſis diſſidia, & impoſturæ : & his tollendis, illis ſedandis ſanctiſſimi priorum ſeculorum Canones erant impares. Quare Romani Pontifices ſuo faſtu & ambitione, ſuprema in totam Eccleſiam præſertim Occidentalem, juriſdictione potiti, novis contentionibus exortis, more veterum Imperatorum, de jure conſulentibus reſponderunt per decretales epiſtolas & reſcripta : quæ juſſu *Gregorij* noni in *Decretalibus*, Bonifacii octavi in *Sexto Decretalium*, Clementis quinti in *Clementinis*, Ioannis 22. in *Extravagantibus* ſunt repoſita. Et hinc tandem natum immenſum Iuris Canonici Corpus, ex his quinque principiis, ſacrâ Scripturâ, Canonibus Apoſtolorum, Conciliorum Conſtitutionibus, Scriptis Patrum, Pontificum Decretis compoſitum. In quo cap. 1. Extra. de no. oper. nunciat. hoc unum inter reliqua extat decretum ; *Sacrorum ſtatuta (canonum, principum conſtitutionibus* (quibus Imperatorium jus accenſendum) *adiuvantur* ; ut *hinc* (inquit Alciatus L. privileg. 12 Codice de ſacroſancta Eccleſia) *ſi quid obſcuriùs aut minùs explicatè conſtitutum, ſit in iure Canonico, quod apertum in Iure Civili, alterum ab altero interpretationem mutuetur.*

An. 1230.
An. 1295.
An. 1308.
An. 1320.

Et ſicut Vniverſum canonum Ius, Romanorum Pontificum authoritate fuit ſtabilitum ; ſic unaquæq; particularis Eccleſia ſuas peculiares habuit ſanctiones : quales fuerunt Conſtitutiones Nationales Eccleſiæ Anglicanæ à *Ioanne de Anthon*, & Provinciales à *Gulielmo Lynwood* in ordinem redactæ, & commentariorum luce illuſtratæ. Sed tametſi Eccleſiæ Canones in tantam molem excreviſſent ; tamen quia hominum erant decreta omnes futuros eventus minimè proſpicientium, uno vel altero ſeculo elapſo novis diſſidiis adaptata, obſcura, ambigua, & mutila evaſerunt : ut in iis extendendis, & explicandis plurimi doctores inſudârint, & immenſa volumina ediderint. Celebres in hoc genere doctores & ſcriptores, ab iis qui in his examinandis judicio pollent, ad quatuor claſſes ita revocantur : ut in prima claſſe collocentur *Innocentius* quartus, *Henricus de Segusia* vulgò dictus *Hoſtienſis*, *Gulielmus Durandus* vulgò *Speculator* : in ſecunda claſſe, *Guido de Bayſio* vulgò *Archidiaconus*, *Baldus Peruſinus* in quinque libros Decretalium, *Ioannes Andreæ Bononienſis*, *Fredericus Senenſis*, *Paulus de Leazaris*, *Oldradus*, *Ioannes de Lignano*, *Aegidius de Bellamera*, *Bonifacius de Vitalinis* : in tertia claſſe, *Dominicus de S. Geminiano*, *Ioannes Antonius* vulgò *Præpoſitus*, *Franciſcus de Accolitis*, *Petrus de Ancharano*, *Antonius de Butrio*, *Ioannes de Imola*, *Franciſcus de Zabarellis*, *Nicolaus de Tudeſchis* vulgò *Abbas* & *Panormitanus*, *Ioannes de Turrecremata*, *Andreas Siculus* vulgò *Barbatius* :

Barbatius: in quarta claſſe *Ioannes Sclua, Auguſtinus Berous, Felinus, Philippus Decius, Petrus Rebuffus, Ludovicus Gomezius, Fortunius Garzia, Philippus Francus.*

In his verò Doctoribus & ipſo juris Canonici corpore, ſicut plurima propter æquitatem, juſtitiam, ingenii ſubtilitatem, judicii gravitatem, præclara ſunt; ſic multa occurrunt ad Antichriſtianam tyrannidem, ſuperſtitionem, idololatriam ſtrenuè ſtabiliendam: quæ omnia in Eccleſia Anglicana partim ſtatutis latis in publicis Regni Comitiis ſub *Henrico* octavo, *Edovardo* ſexto, Regina *Elizabetha*; partim novis Eccleſiaſticis Conſtitutionibus eorundem ſtatutorum authoritate ſub fœliciſſimo Reginæ *Elizab.* & Sereniſ. Regis *Iacobi* regimine conditis; partim juribus noſtris municipalibus; denique partim Regiâ prærogativâ, tanquam putrida membra exciſa ſunt & amputata. Etenim 25. *Henrici* octavi, & 1. *Elizabethæ* in publicis Regni Comitiis ſancitum eſt, ut illi duntaxat *Canones, Conſtitutiones & Decreta Synodalia vim obtinerent, quæ anteà in uſu fuerunt, & non ſunt Regni ſtatutis legibus repugnantia, aut Regiæ prærogativæ incommodantia.*

Cujus ſtatuti mens quò magis ſit perſpicua, brevi declarandum eſt, quid in eo *Canonum, Conſtitutionum, legum Regni, & prærogativæ Regiæ* nomine intelligatur. *Canones* (ſalvo ſaniore eorum, penes quos eſt ſtatutorum Regni interpretatio, judicio) ſunt jus Canonicum jure civili ubi deficit auctum, ab ejuſdem juris Doctoribus explicatum, & antelatum hoc ſtatutum in noſtris Curiis Eccleſiaſticis uſitatum. *Conſtitutionum* nomine comprehenduntur Nationales & Provinciales Conſtitutiones Eccleſiæ Anglicanæ peculiares, ſimiliter quæ in uſu fuere. Nam plurima ſunt Canonum decreta, quæ Eccleſia Anglicana minimè conſuevit obſervare, qualia ſunt, *Nemo feriâ quintâ ieiunet.* c. pervenit. diſtinct. 3ª. de feriis. *Mulier ad ferendum teſtimonium adverſus Preſbyterum ne admittatur.* 15. quæſt. 3. cap. 3. *Sententia condemnatoria in Epiſcopum non eſt ferenda abſque 72 teſtibus.* 2. q. 5. cap. nullam & alia infinita ejuſdem farinæ, quorum repetitio juſtum fere volumen exigeret. *Regni leges* ſunt jura ejus municipalia, quorum tria ſunt præcipua fulcra; *Primum, generales totius Regni conſuetudines*, cujuſmodi ſunt iſta; *Bona quæ legari poſſunt mortuo teſtatore, non ſunt Hæredis, ſed executoris, quem Teſtator deputavit ad exequendam voluntatis ſuæ extremam ordinationem: Vxor dotem ſuam vivo marito nequit legare: Natus ante Sponſalia ſpurius eſt, & non poteſt eſſe Hæres*, & innumera id genûs alia. Deinde communia principia, quas *Maximas* ſeu *Axiomata vocant*, qualia ſunt iſta; *Præſcriptio in feudo non acquirit ius: Vigilantibus & non dormientibus iura ſubveniunt*, & ſimilia. Poſtremò, *Arbitria & Reſponſa Iudicum* grauiſſimis rationum momentis innixa: quorum plurima ſcriptis mandata & jam per aliquot volumina diffuſa, ſi perinde Latinâ togâ, ac antiqu

tiquâ Gallicanâ donare ntur; jurium noſtrorum municipalium profeſſoribus, nec deeſſe in cauſis agendis acumen & argumentorum pondera, nec acerrimum in ſtatu cauſæ diſcernendo ferendaque ſententia judicium, exteræ Nationes perſentiſcerent.

Denique *Regia Prærogativa* complectitur ampliſſima privilegia, Regiam Majeſtatem ab uſitata juris normâ eximentia, quæ aliquibus cancellis circumſcribere eſt difficile. Itaque tandem jus Eccleſiaſticum Anglicanæ Eccleſiæ, comprehendit omnes Canones in vaſto Iuris Canonici corpore, à jure Civili ubi deficiunt adjutos, per Canonum Doctores explicatos, omneſque conſtitutiones ac decreta Nationalia ac Provincialia in Eccleſiaſticis noſtris Curiis olim uſitata, quæ nec ſtatutis aut juribus municipalibus Regni, nec nuperis Eccleſiaſticis conſtitutionibus ſtatutorum authoritate conditis repugnant, neque privilegiis Regis incommodant. Ex quibus perſpicere licet, quantos debeant exantlare labores tum in Iure civili tum Canonico, eorumque interpretibus evolvendis, qui Canonum Eccleſiæ Anglicanæ periti eſſe volunt. Et hinc Iudices & Advocati in eminentioribus Eccleſiaſticis Curiis Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Cantuarienſ. ad quos ab omnibus inferioribus Curiis Eccleſiaſticis per totam provinciam Cantuarienſem fiunt Appellationes, juris civilis peritiâ ne illarum Regionum Cauſidicis quæ hoc ipſo jure reguntur, cedunt: ſed ſi quando in publicis cum aliis Regnis fœderibus ineundis minutiſsimi *Cæſarei* juris apices veniunt diſcutiendi, cum illorum ſummis profeſſoribus manus valent conſerere; quod Regno Anglicano apud exteros honorem non mediocrem conciliat.

Quam Regis authoritatem in perſonas & cauſas Eccleſiaſticas agnoſcat Eccleſia Anglicana.

CAP. III.

AVthoritatem agnoſcit Anglicana Eccleſia Supremam; qua, poteſtatem ut ſtatuat de perſonis & cauſis Eccleſiaſticis pro ſuo arbitratu minimè intelligit, ſed infra ſuas ditiones præeminentiam ſuper omnes magiſtratus ab omni temporalium pœnarum cõactione liberam, ſolique Deo hac ratione ſubditam: quam apud ſecula priora, *Chriſtianorum* nomine Imperatori detulit *Tertullianus*; *Colimus Imperatorem, ut hominem à Deo ſecundum, & ſolo Deo minorem.* Sed tamen hæc poteſtas, non eſt uſque adeo libera, quin quibuſdam cancellis circumſcribatur, qui multiplici authoritate, quæ poteſt eſſe in perſonas & cauſas Eccleſiaſticas, priùs declaratâ, tutiùs figentur.

Authoritas circa perſonas Eccleſiaſticas (cauſas poſteà attingemus) verſatur

verſatur aut in illis eligendis & nominandis ad dignitates & beneficia Eccleſiaſtica, aut manuum impoſitione ſacrandis, aut in pœnis ſtatuendis & infligendis. Deinde, hæc puniendi poteſtas, vel caſtigat eos pœnis civilibus, ut carcere, mulctis pecuniariis, morte; vel pœnis Eccleſiaſticis, quales ſunt excommunicatio, Anathematiſmus. Denique authoritas pœnis civilibus coercens, aut congregat perſonas Eccleſiaſticas ad nationalia & provincialia Concilia, aut eas in pacem Regni & Regiam dignitatem delinquentes, coram Iudice civili ſiſtit & condemnat.

Et ſimiliter authoritas in cauſis Eccleſiaſticis ſecundùm illarum varietatem varia eſt: & ideò ab ipſarum cauſarum partitione eſt auſpicandum. Ampliſſima eſt dictionis [*cauſa*] ſignificatio; vt eam jus Cæſareum L. juri. gent. §. Sed cum nuſquam D. de pactis, pro re poſuerit. Res autem Eccleſiaſticæ ſunt vel contentioſæ & judiciales, vel non contentioſæ & extrajudiciales. Res contentioſæ & judiciales ſunt, quæ per litis conteſtationem inter actorem & reum, veniunt in diſceptationem; & teſtium, inſtrumentorum, judiciorum adminiculis, à legitimo judice definiuntur: cujuſmodi ſunt lites de Decimis, oblationibus, diſſolvendo matrimonio propter præcontractum, de intentatis criminibus Simoniæ, blaſphemiæ, hæreſis, idololatriæ, adulterii, inceſtus, &c. Res Eccleſiaſticæ non contentioſæ & extrajudiciales, etſi deliberativum, tamen propriè juridicum examen nunquam ſubeunt. Et hæ non ſunt unius ordinis: ſunt enim primę, vel primarum appendices. Res Eccleſiaſticę primæ ſunt, quas Deus in verbo ſuo tanquam neceſſarias ad interiorem animi noſtri ſanctificationem docet & præcipit; vt fidei dogmata quorum efficaci notitiâ, & ſacramenta quorum fideli uſu ſalutem adipiſcimur. Horum appendices ſunt externi ritus ac ceremoniæ ordinis & decori cauſâ, qualia ſunt ſtata ad verbum audiendum loca, ſtatæ horæ, genuflexio in precibus apud Deum effundendis & Euchariſtia percipienda. &c.

Iam vero multiplex in has cauſas ſeu res Eccleſiaſticas authoritas ad hæc capita redigatur. Circa res Eccleſiaſticas non contentioſas & extrajudiciales, eſt authoritas aut eas, ſi fidei dogmata ſint, publicè pro concione docendi, & hominum conſcientiis per exhortationes & redargutiones applicandi; ſi Sacramenta, adminiſtrandi; aut poteſtas de iis ſi fidei ſint dogmata vel ritus & ceremoniæ, deliberandi, earumque veritatem & æquitatem ſcrutandi juxta divini verbi normam; aut denique authoritas eſt per publicas leges & edicta illas promulgandi & ſtabiliendi, vt has populus fidelis religioſè obſervet & amplectatur. Sic & circa Eccleſiaſticas res contentioſas & judiciales eſt authoritas vel illas, quando per plures ſubordinatas Appellationes ad ſupremum judicium delatæ fuerint, definiendi, vel ablq; omni Appellationum medio determi-

nandi, & reos alioſque immorigeros, qui huic tribunali ſe ſiſtere tenentur, carcere & mulctâ pecuniariâ caſtigandi.

Variis poteſtatum generibus in perſonas & cauſas Eccleſiaſticas ita diſtributis, hæc præcipua in Eccleſia Anglicana Regiæ Majeſtatis in utraſque jura ſunt: & primùm in perſonas.

Has Regia Majeſtas, nec manuum impoſitione ad munera ſua Eccleſiaſtica exequenda conſecrat, nec in illas, ſicut neque in reliquam plebem cenſuras Eccleſiaſticas, excommunicationem, anathematiſmum tanquam poteſtatem [a] clavium habens denunciat, licèt vt denuncientur imperet ac decernat. Hæc enim munia Epiſcoporum propria ſunt, nec magis Regiæ Majeſtati conveniunt, quàm Ozæ poteſtas Arcam attrectandi, aut Ozię adolendi incenſum. Veruntamen perſonas Eccleſiaſticas nominat ad beneficia & dignitates: ad has, quando Decano & capitulo concedit facultatem eligendi Epiſcopum, iiſdem nominat idoneum ad Epiſcopatum quem eligant, & electo regium aſſenſum adhibet: ad illa, quando propter ſuum ſupremum jus patronatûs, ex lapſu temporis beneficiorum collatio ad eum devolvitur.

a Nam poteſtas clavium Matth. 16. eſt poteſtas *regni cælorum*, & non *terrarum*, poteſtas *ligandi & ſolvendi*. *Solvendi* autem munus (vt docet Apologia Eccleſię Anglicanæ) *in eo ſitum eſt, vt Miniſter dilectis animis, & verè reſipiſcentibus per Euangelij prædicationem, abſolutionem offerat, ac certam peccatorum condonationem aſſpem ſalutis æternæ denunciet: aut vt eos qui gravi ſcandalo & notabili publicoque aliquo delicto fratrum animos offenderint, & ſeſe à communi ſocietate Eccleſiæ et à Chriſti corpore quodammodo abalienârint, reſipiſcentes reconciliet et in fidelium cœtum atque unitatem recolligat ac reſtituat.* Similiter *ligandi poteſtatem* (vt eadem oſtendit Apologia) miniſter tum exercet, *quando vel incredulis et contumacibus regni cælorum januam occludit, illiſque vindictam Dei et ſempiternum ſupplicium edicit, vel publicè excommunicatos ab Eccleſiæ gremio excludit.* Atque hoc ex Euangeliſtis Matth. & Iohan. perſpicuum eſt. Poteſtas enim clavium ſeu poteſtas ligandi & ſolvendi exercenda in exteriori foro Curiæ per excommunicationem, quia *cum excommunicat Eccleſia, in cælo* (inquit Auguſt. tract. 50. in Ioannem) *ligatur excommunicatus*; & poteſtas clavium in interiori conſcientiæ foro per verbi prædicationem Matth. 16. in perſona Petri omnibus Apoſtolis conceditur, ſeu potius promittitur; *Sicut enim Petrus* (ait Anſelmus) *unus pro omnibus reſpondet, ſic Chriſtus in Petro dedit omnibus hanc poteſtatem*: Et *tibi* (inquit Chriſtus) *dabo claves*, non do. Vbi igitur hæc promiſſio impletur? Theophylactus docet: *Quamvis Petro ſoli dictum ſit, Tibi dabo claves; omnibus tamen Apoſtolis conceſſæ ſunt.* Quando? cum dixit Iohan. 20 *Quodcunque remiſeritis, &c.* Poteſtas igitur clavium eſt poteſtas remittendi & retinendi peccata, Matth. 16. in perſona Petri non Regibus, ſed reliquis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis & Presbyteris promiſſa, & Iohan. 20. iiſdem reipſa donata.

Prius illud jus deſignandi Epiſcopos, poſterius hoc conferendi beneficia, tanquam major prærogativa minorem in ſe complectitur: illudque Regia authoritas ſibi aſſumit antiquâ & univerſâ fere praxi Chriſtianorum Principum. Nam licèt olim primæva Eccleſia admiſerit in Epiſcoporum electione conſenſum populi, tamen cum hac occaſione factiones, ſchiſmata, ſeditiones, Eccleſiæ & Reipublicæ paci admodum exitioſæ à populo ſæpiùs concitatæ fuerint; Chriſtiani principes hanc populi poteſtatem primùm coercuerunt, & tandem penitùs ſuſtulerunt. *Maximiano Epiſcopo Conſtantinopolitano vitâ defuncto* (inquit Socrates lib.

lib. 7. cap. 40.) *ne controuerſia & tumultus dennò cieretur, dum adhuc Maximiani corpus inſepultum iacêret, Imperator Theodoſius per Epiſcopos qui ibi aderant, Proclum in ſede Epiſcopali collocandum curauit.* Et poſtea tempore Pelagii ſecundi, qui floruit ante annum Chriſti ſexcenteſimum, *nihil* ab ipſo *Clero* (teſte Platina) *in eligendo* Romano *Epiſcopo actum erat, niſi eius electionem Imperator approbâſſet.* Neque ſoli Imperatores Romani, Conſtantinopoli & Romæ hanc Epiſcopos conſtituendi authoritatem habuerunt: alii etiam Principes idem factitârunt. In Gallia (ſi Gregorio Turonenſi fides) Theodorus Proculus à Regina Chrodielde, Dionyſius Regis Clodouei, Omatus Clodomeri iuſſu ordinati erant Turonenſes Epiſcopi. Et Hiſpaniæ Principes ex ſexto decreto Toletani Concilii duodecimi, idem planè jus exercuerunt. In Anglia verò Malmesburienſis lib. 1. de geſtis Pontif. Ang. de Edouardo Confeſſore ante Normannorum dynaſtiam imperante ſcribit; *Robertum quem ex Monacho Gemeticenſi Londoniæ fecerat Epiſcopum, Archiepiſcopum creauit.*

Atque multò antiquius eſt jus regium in congregandis conciliis perſonarum Eccleſiaſticarum earumque conuentibus religionis cauſâ indicendis, & horum conuentuum decretis ſtabiliendis. Sub veteri fœdere, Dauid 1. Chron. 13. Sacerdotes Leuitas congregauit ad arcam è Kiriath Ieharimis in domum Hobed Edom deducendam; Ezechias 2. Chron. 19. imperauit Sacerdotibus, vt ſanctificarent domum Iehouæ, quod *ſecundùm præceptum Regis congregati* præſtiterunt. Sub fœdere nouo Conſtantinus Magnus primam Nicænam Synodum contra Arianos, Theodoſius ſenior primam Conſtantinopolitanam contra Macedonii ſectatores, Theodoſius iunior & Valentinianus Epheſinam primam aduerſus Neſtorium, Valentinianus & Martianus Chalcedonenſem ad Eutychen damnandum conuocârunt; harumque canones authoritate ſua imperiali confirmârunt.

Et quos Regia Majeſtas in vnum congregat, eoſdem in Regni pacem & contra Regiam dignitatem delinquentes judicis ciuilis tribunali ſiſtere poteſt, eoſque deponere (ſicut Salomon Abiathrum) * & in illos gladio animaduertere. Diuus Paulus primus inter Apoſtolos Act. 25. inquit, *Ad tribunal Cæſaris ſto, οὗ με δεῖ κρίνεσθαι vbi oportet me iudicari*, ac ſi lege aliqua vt ad hoc ciuile tribunal ſtaret, neceſſariò obligaretur. Idemque Paulus Rom. 13. legem ipſam tulit; *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubdita eſto:* Omnis anima, *etiamſi* (inquit Chryſoſt. in hanc legem) *Apoſtolus, etiamſi Euangeliſta, etiamſi Propheta, ſiue tandem quiſquis fuerit.* Quibus poteſtatibus? *Vectigalia & cenſum recipientibus, & gladium non fruſtra gerentibus*, ſcilicet, ſecularibus. Rationem Auguſt. in expo. propo. epiſt. ad Roman. affert; *Cùm animâ conſtemus etiam nos* (Apoſtoli, Euangeliſtæ, Epiſcopi, aliique Clerici) *& corpore, quamdiu in hac vita*

Non canonica aliqua degradatione eos ipſa ſacerdotali poteſtate (quam iis minimè donauit) quaſi priuando, ſed tantùm exercitium huius poteſtatis in ſuos ſubditos infra ſuas ditiones exercitium inhibendo, ſicut Iuſtin. Nou. 6. decreuit, Si patriarcha, Metropolitanus, Epiſcopus aut Clericus Eccleſiaſtica decreta violauerit, quòd Sacerdotali officio excluderetur.

vita temporali sumus, oportet nos (non nobis liberum est) *ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet subditos esse potestatibus, id est, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus.* Et hinc Rex Angliæ ab Episcopis electis & regio ejus assensu confirmatis, *homagij* jusiurandum exigit; eique omnes presbyteri in quæcunq; beneficia ecclesiastica instituendi, juramentum fidelitatis præstant.

Atquè ita habemus Regis jura in Ecclesiasticas personas: sequuntur in res & causas. In quas extrajudiciales & non contentiosas Maiestas Regia, si fidei dogmata sint, nullam habet authoritatem illa pro concione publicè docendi, aut hominum consciențiis per exhortationes & redargutiones applicandi; nec, si Sacramenta, ea administrandi: tamen deijs, licèt fidei sint dogmata aut ritus ac ceremoniæ decori & ordini Ecclesiastico inseruientes, potest deliberare, & eorum veritatem ac æquitatem ad verbi diuini stateram expendere. Etenim Diui Pauli mandatum est, 1. Thess. 5. 21. *Omnia explorate, quod bonum est retinete*; Sancti Iohannis 1. epist. 4. 1. *Probate Spiritus an ex Deo*: quæ omnes Christianos obligant, multò magis Reges, quibus speciali mandato præcipit Deus, Deut. 17. vt *describant sibi legis exemplar, secum habeant semper, legant studio, dies noctesque meditentur*, ne cùm sint vtriusque tabulæ Custodes, toti ab alieno ore pendeant, ipsique à se nihil dijudicent. In his tamen, Dei quoque præcepto, Num. 27. 21. *vt Eleazari* debent *consulere*: & Malach. 2. consiliis vti Sacerdotum, *quorum labia scientiam custodiunt.* Sic Constantinus (vt refert Eusebius lib. 3. de vita Constantini cap. 13.) in consessibus Episcoporum, *omnibus animum placide attendebat, studio acri prolatas sententias sensim excipiebat, conferebat cum singulis comiter & benignè sermonem, ad veritatem controuersam indagandam.* Et postquam Regia Majestas de his rebus vnà cum illarum consultissimis maturè deliberauerit, de eisdem potest condere publica edicta & leges adigentes populum ad eas religiosè obseruandas & reuerenter amplectendas. Ita legem tulit Rex Niniue, Ionæ 3. vt Deus ieiunio placaretur: Esther cap. 9. Est. vt festo honoretur: & de innumeris rebus Ecclesiasticis eiusdem ordinis in Codice Theodosiano à Theodosio, in Authenticis à Iustiniano leges latæ leguntur: vt Augustinus lib. 3. cap. 51. contra Cresconium meritò asseruerit, in hoc *Reges Deo seruire in quantum Reges sunt, si in suo Regno bona iubeant, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam quæ pertinent ad diuinam religionem.*

Postremò, Regia Majestas sibi vendicat jus definiendi lites circa res Ecclesiasticas contentiosas & judiciales, qualia sunt intentata crimina blasphemiæ, perjurij, incestus, idololatriæ, sacrilegij &c. postquam per plures subordinatas Appellationes ad supremum ejus judicium deuoluuntur. Nam ad has lites tunc dirimendas, Iudices delegatos canonum

&

& juris Eccleſiaſtici peritos per ſummum Angliæ Cancellarium ſub magno ſigillo conſtituit. Neque hoc jus Regum Angliæ nuperum eſt. Nam (vt author Matthæus Paris Anno 1164.) regnante *Henrico* ſecundo, ſic decretum fuit de *Appellationibus*; *Si emerſerint ab Archidiacono, debet procedi ad Epiſcopum, ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, & ſi Archiepiſcopus defuerit in iuſtitia exhibenda, ad Dominum Regem perueniendum eſt poſtremò, vt præcepto ipſius in Curia Archiepiſcopi controuerſia terminetur, ita quod non debeat vltrò procedi abſque aſſenſu Domini Regis.* Et longe ante *Hewrici* ſecundi tempora frequentes erant in ipſa primæua Eccleſia hujuſmodi Appellationes. Annis à Chriſto plus minus 300. elapſis, quidam Ariani, vt Author Socrates lib. 1. ca. 20. & 21. Athanaſium *manus* hominis demortui *ad magicas præſtigias vſum fuiſſe*, & Macarium Athanaſij presbyterum, quò ipſum Athanaſium magis adhuc criminibus grauarent, *in altare inſuliaſſe, menſam Domini euertiſſe, poculum myſticum confregiſſe*, apud Imperatorem Conſtantinum conqueſti ſunt, qui Epiſcoporum Synodo Tyri coactæ imperauit, vt judicium de Athanaſio exercerent. Coram his igitur comparuit Athanaſius, & *accuſationem* ſibi intentatam abſque vllâ *exceptione euitauit*: ſed cum *in calumnijs contra Macarium allatis diluendis, exceptionibus, quas leges præſcribunt, vſus fuerat*, neque tamen ejus defenſionem aduerſarii admitterent; interpoſuit Appellationem, & rectà ſe contulit ad Imperatorem: qui (eodem Socrate lib. 1. cap. 22. teſte) Synodum Epiſcoporum ad ſe accerſendam per epiſtolam curauit, vt ipſe quæ Athanaſio objectarentur, accuratiùs examinaret.

Neque Rex Angliæ tantùm, quando ab inferioribus Curiis Eccleſiaſticis ad ſupremum ejus judicium fiunt Appellationes, ſed abſque omni Appellationum interſtitio, authoritatem habet lites commemoratas dirimendi, & in his litibus reos ac immorigeros carcere, & mulctâ pecuniariâ caſtigandi. Cujus authoritatis exercitium ordinariè quibuſdam Commiſſariis Eccleſiaſticis, inter quos duo Archiepiſcopi ſolent eſſe primi, demandat, ad ordinariam Epiſcoporum & Archidiaconorum juriſdictionem vbi deficit, ſupplendam & corroborandam. Quandoque enim fit vt propter inferiorum judicum eccleſiaſticorum negligentiam & connniventiam, aut impiam delinquentium peruicaciam in contemnendis Eccleſiæ cenſuris, propter illorum fugam ab vna Epiſcopali Diœceſi in aliam, & potentiam in Comitatu vbi degunt, aut criminum atrocitatem, multi ordinariâ Archidiaconorum & Epiſcoporum juriſdictione, vel non omninò, vel non pro meritis plectantur: qui hac Regiorum Commiſſariorum poteſtate per univerſum Angliæ & Hiberniæ Regnum protenſâ, & non modò cenſuris Eccleſiaſticis, ſed etiam pœnis temporalibus munitâ, multò ocyus in ordinem rediguntur & acriùs puniuntur.

Neque

Neque hoc regium jus antiquitùs erat inusitatum. Iosaphat. 2. Chro. 19. *In Hierusalem constituit Levitas & Sacerdotes & Patriarchas ex Israel, ut iudicium & causam domini iudicarent habitatoribus eius.* Cujus Ecclesiastici Concilij (quod Græci Συνέδριον, & inde Thalmudistæ Sanhedrim nominârunt) hunc in judiciis fuisse ordinem, ex Scripturis, Iosepho, Talmudistis collegit doctissimus Sigonius: *Qui nomen deferre alterius cupiebat,* (si crimen religionem attingebat) *Pontificem & Principes adibat, reumque denunciabat. Quo facto, illi ministros ad hominem capiendum mittebant; & si res tulisset, cohortem etiam à præfecto templi acceptam adiiciebant: eumque ad se adductum fermè in carcere, atque in custodia militari habebant, donec de illo iudicaretur. Inde universo convocato Concilio opera cognitioni dabatur. Intendebatur autem ab accusatore crimen, & pœna his verbis; Iudicium tale, vel talis pœna est viro huic, quia hoc aut illud fecit. Repellebatur autem à defensore his; Iudicium alicuius pœnæ non est viro huic, quia illud non fecit, aut quia non iniustè fecit. Ubi verò perorata utrinque causa erat, tum iudicibus suffragia dabantur, atque ille pro numero sententiarum, aut condemnabatur aut absolvebatur.* Atque idem ferè ordo hodiè in Anglia à Regis Ecclesiasticis Commissariis in judiciorum suorum processibus observatur. De Rep. Heb. lib. 6. c. 7.

Sic tandem habemus Regiam in Ecclesia Anglicana authoritatem in personas & causas sacras, quam in hoc Regno vulgò dicunt Ecclesiasticam. Qua appellatione ne Pontificiorum calumniis occæcati offendantur, operæ pretium erit ejus rationem paucis explicare. Quemadmodum ars vel scientia mutuatur suum nomen, aut ab objecto circa quod versatur, ut scientia Physica à rerum quas contemplatur ὕλῃ; aut ab immediato suo fine seu effecto, ut Medicina à medendo; vel à modo secundùm quem occupatur circa suum objectum, ut Metaphysica à supernaturali & abstracta rerum speculatione: sic potestas aliqua dici potest Ecclesiastica, vel propter sacras causas & personas in quas exercetur; vel propter proximum suum finem vel effectum sacrum, qualis est peccatoris justificatio, sanctificatio, totaque animæ salus; aut deniq; ratione modi secundùm quem versatur circa res sacras, nempe illas pro concione explicando, administrando, & ut sint inviolatæ, spirituali excommunicationis mucrone sacrilegos transfigendo. Iam hæc Regia potestas (cujus in hoc capite recensentur jura) in Ecclesia Anglicana usitatè nominatur Ecclesiastica, non quòd proximus ejus finis, seu immediatus effectus sacer sit & spiritualis, cùm peculiaris presbyterorum prærogatiua sit divini verbi & Sacramentorum ministerio penetrare in hominum animas, illæsque, spiritu cooperante, sanctificare: neque Ecclesiastica est ratione modi secundùm quem circa res sacras occupatur; illas enim minimè præstat sartas tectas, de iis concionando, eas propriis manibus fideli populo distribuendo, excommunicationis sententiam tan-

quam clavium poteſtatem habens pronunciando: ſed hanc tantum decernendo (ſicut *Theodoſius* junior, & *Valentinianus* in Codice Iuſtinianeo ſanxerunt, ut Neſtoriani anathematizentur) & externa pœnarum civilium vi, profanos hujus cenſuræ & iſtarum rerum violatores coercendo. Atque hanc declarationem anno 1562. nationalis Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & uniuerſi Cleri Anglicani Synodus in publica fidei confeſſione ab iis unanimi conſenſu edita, tradidit his verbis; *Cum Regiæ Maieſtati ſummam gubernationem tribuimus omnium ſtatuum, ſive illi Eccleſiaſtici ſint, ſive Civiles, & in omnibus cauſis: non damus Regibus noſtris aut verbi Dei aut Sacramentorum adminiſtrationem; (quod etiam Iniunctiones ab Elizabetha Regina noſtra nuper editæ apertiſſimè teſtantur) ſed eam tantùm prærogativam quam à Sacris Scripturis, & à Deo ipſo, omnibus pijs Principibus videmus ſemper fuiſſe attributam: hoc eſt, ut omnes Status atque Ordines fidei ſuæ commiſſos, ſive illi Eccleſiaſtici ſint, ſive Civiles, in officio contineant, & contumaces ac delinquentes gladio civili coerceant.*

Archiepiſcoporum in Anglia dignitas & poteſtas.

CAP. IIII.

A Poſtolorum ætate omnes ferè Eccleſiæ in urbibus & oppidis frequentioribus ab iis plantatæ plures habuerunt Presbyteros. Divus Paulus Actor. 20. nuncijs à Mileto miſſis Epheſum, celebrem urbem, non unum ſed plures hujus *Eccleſiæ Presbyteros accerſivit.* His autem Presbyteris unus è reliquis externæ politiæ cauſâ, & ut omnia fierent ordine, præficiebatur. Sic in Eccleſia Epheſina modò nominata, Presbyterorum qui ibi fuere cœtui unus præfuit, quem Chriſtus ipſe Apocal. 2. appellat hujus Eccleſiæ [a] *Angelum*, & ad illum ſcribit quæ ex illo reliqui Presbyteri ei ſubditi ediſcerent. Atque hic eſt quem in primæva Eccleſia hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Epiſcopum nominant. Cornelius Epiſcopus Romanus, Anno Chriſti 254. apud Euſeb. lib. 6. cap. 42. ad Novatum ſcribit, eum ignorâſſe in *Catholica Eccleſia* ſuæ curæ mandata, *Presbyteros eſſe quadraginta ſex, & unum debere eſſe Epiſcopum.*

Poſtea Eccleſiâ per plures urbes & regiones diffusâ; Epiſcopi numero aucti, Metropolis ſive primariæ in illa provincia quam incolebant, urbis Epiſcopum, ad Chriſtianam unitatem fovendam ſuum elegerunt Metropolitanum: cujus regimini ita ſe ſubmiſerunt, ut patres Concilii Antiocheni Anno 341. celebrati, canone 9. ſtatuerint, ut Epiſcopi ſecundùm *antiquum à Patribus conſtitutum canonem nihil magni momenti ſine ipſo agerent, & ipſe curam & ſolicitudinem totius*

2 *Si Dominus verba hæc de Angelo ſuperiorum cœlorum, & non de Præpoſito Eccleſiæ vellet intelligi, non conſequenter diceret; Sed habeo aduerſum te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto itaque unde excidiſti & age pœnitentiam. Hoc de ſuperioribus Angelis dici non poteſt, qui perpetuam retinent charitatem, vnde qui defecerunt & lapſi ſunt, Diabolus eſt, & Angeli ejus.* Auguſt. Epiſt. 162. Quamobrem divina voce laudatur ſub Angeli nomine Præpoſitus Eccleſiæ.

totius Provinciæ ſuſciperet. Et ita cum per plures Romani Imperii provincias Chriſtiana Religio & diſciplina eſſent propagatæ, plures tandem Metropolitani extiterunt.

Sed quia Romanum Imperium (ut ſupra capite primo oſtenſum eſt) diviſum fuit in diœceſes, quarum ſingulis aliquot Provincias complectentibus Imperator ſuos principes Magiſtratus, in jure Cæſareo Præfectos & Comites appellatos, præficiebat: inde factum eſt, ut Epiſcopi illarum urbium in quibus hi diœceſeôn Comites reſidebant, (ſtatu Eccleſiaſtico ſtatum civilem imitante,) creverint poteſtate. Nam obtinuerunt, ut *Exarchi*, *Primates*, *Patriarchæ*, *Archiepiſcopi* indigitarentur; & ut *Metropolitani* Provinciarum ſuæ diœceſis, ipſis parêrent, quemadmodum Epiſcopi Metropolitanis. Concilij Conſtantinopolitani anno 383. congregati canone 2. *Diœceſis* (non provinciæ) Epiſcopo (qui ab Oecumenici Concilii Epheſini patribus, non ad Chriſti honorem [a] minuendum, ſed contra Neſtorium aſſerendum congregatis, Archiepiſcopus vocatur) integra Diœceſis plures provincias & ideo Metropolitanos continens, traditur *gubernanda*. Et Concilij Chalcedonenſis canone 13. decernitur; *Si quis a ſuo Epiſcopo vel Metropolitano iniuriâ afficiatur, apud Exarchum ſeu Primatem Diœceſeos litiget.*

a Nam hi Patres, antiquæ Diœceſis Epiſcopum ἀρχιεπίσκοπον titulo inſignientes non magis Chriſtum ſuo honore ſpoliârunt, quàm D. Paulus 1. Cor. 3. 10. ſe ἀρχιτέκτονα nominans.

Verùm etſi noſtri hodie *Archiepiſcopi* & *Primates* in Anglia ſolùm Epiſcopos habent ſibi ſubditos; tamen inſigniuntur tùm *Archiepiſcoporum* & *Primatum* titulis, tum horum perinde ac *Metropolitanorum* officiis funguntur. Quæ officia unà cum illis privilegiis & dignitatibus, quibus ad poteſtatem ſuam ſpiritualem contra homines impios & profanos muniendam ex Chriſtianorum Regum clementia, aut Regni ſtatutis & jure municipali, aut recentiore jure Eccleſiaſtico potiuntur, jam ordine ſunt deſcribenda.

Ab illorum honoribus ac dignitatibus exordium ſumendum, quæ quidem ſunt ampliſſimæ: & vel utrique Archiepiſcopo communes, ut habere titulum *clementiæ*, quam Anglicè **Grace** vocamus, præcedentiam ſupra omnes Duces Regni, immunitates, libertates in latifundiis propriis: vel alterutri peculiares, quales ſunt, Eboracenſi, habere præcedentiam ſupra omnes Officiarios, præter Dominum Cancellarium; Cantuarienſi, tanquam Primo *Pari* Regni, præcedentia uti præ omnibus magnis Officiariis, inaugurare Regem in Coronatione, reditus ſuorum fundorum qui jure Hominij deſe tenentur, recipere, dum Hæres minor eſt 21. annis, etiamſi alios fundos in *Capite* de *Corona* teneat. Iſtiuſmodi honores legimus Archiepiſcopis antiquitus delatos à Chriſtianis Imperatoribus, qui teſte Codice Iuſtinianeo, annis abhinc mille ferè ducentis, illos Præfectis Prætorio ſummis Imperii Magiſtratibus, civili dignitate exæquarunt.

Hujus generis plura occurrunt in ipſis purioris antiquitatis monumentis, quibus ſuperſedemus, & aggredimur Eccleſiaſtica. Quorum nonnulla (ſicut & ſeculi honores quos attigimus) ſunt utrique Archiepiſcopo communia, cujuſmodi ſunt in eorum ordinatione, ſi non fuerint priùs Epiſcopi, ut conſecrentur à quatuor Epiſcopis; ſi fuerint, ut eorum electio à totidem Epiſcopis confirmetur. Poſt ordinationem, quatenus ſunt *Metropolitani*, ut electiones Epiſcoporum ſuæ provinciæ confirment, eoſque una cum duobus aliis Epiſcopis conſecrent, conſecratorum in regimine Epiſcopali defectus & negligentias ſuppleant, iiſque infirmis coadjutores aſſignent; Provinciales Synodos juxta reſcriptum Regium convocent, convocatas moderentur, ultimum in iis ferant ſuffragium: in quantum ſunt *Archiepiſcopi*, ut recipiant Appellationes, iiſque reſcribant interpoſitis ab Epiſcopis ſuis Suffraganeis, totam ſuam *Provinciam* juxta leges & conſuetudines viſitent: in eo quod *Primates* & primores *Patriarchæ*, Appellationes admittant ab inferioribus Iudicibus, etiam omiſſo medio, vacante quavis Archiepiſcopalis ſuæ Provinciæ ſede Epiſcopali, cuſtodiam habeant Eccleſiaſticæ juriſdictionis ad eam ſpectantis. Porrò, uterque Archiepiſcopus ipſo jure hujus Regni Municipali, hanc in rebus Eccleſiaſticis habet *Prærogativam*, ut approbet & inſinuet teſtamenta, concedat ab inteſtato ſuccedentibus adminiſtrationes bonorum cujuſlibet habentis mortis tempore, in diverſis provinciæ ſuæ diœceſibus vel juriſdictionibus *bona notabilia*. 1. juxta recentiores Eccleſiæ canones, bona ad ſummam quinque librarum ad minus. Atque præter hæc, quædam ſunt Privilegia Archiepiſcopi Cantuarienſis propria: ut quòd quilibet Epiſcopus ab ipſo confirmatus exhibeat unum Capellanum, donec ſufficiens aliquod ei beneficium proſpexerit; & quia ipſe totius Angliæ *Primas* eſt, *literas ſuitorias* concedat, per quas ei qui appellaverit abſque moleſtia interea ei exhibenda, Appellationem ſuam proſequi liceat. Poſtremò, ex Regni ſtatutis, neceſſitatis aut majoris utilitatis cauſa, (ſummaria hujus, tum illius cognitione prius habita) [a] gratiam facit Canonum aliarumque legum Eccleſiaſticarum per univerſum Angliæ Regnum. Qua etiam poteſtate deſignat *publicos Notarios*, qui, licèt ſingulares, hoc nomine ſunt in teſtimonio perhibendo inſtar duorum teſtium; diſpenſat cum valetudinarijs, puerperis, ſenio confectis, ægrotis, ut carnibus diebus quibuſdam ob politicas ſolùm rationes vetitis veſcantur; cum nupturis, ut matrimonium celebrent, etſi trinundina ejus denunciatio non præceſſerit; in cauſis beneficialibus, vt irregularitas abſque dolo malo contracta, & Simoniacus quandoque ambitus aboleantur, ut beneficium vacans fiduciario titulo (quam *Commendam* vocant) ad tempus vel durante vita concedatur, filius in beneficio patri immeditatè poſſit ſuccedere, beneficiatus ad aliquod

[a] Communia jura rebus in genere conſideratis adaptata, in iiſdem rebus per particulares circumſtantias determinatis ſecundum æquitatem ſubeunt relaxationes, & privilegia ſingularia admittunt: Cùm *Privilegium*. (Paul. digeſt. de legib.) *ſit ſingulare in contra tenorem rationis*, tãtum per exceptionem, & non oppoſitionem, *propter aliquam utilitatem authoritate conſtituentium introductum*.

quod tempus (ob gravem aliquam cauſam) reſidere non teneatur, ſed per alium idoneum deſervire, laicus literis operam navans prebendam poſſit retinere, Sacris initiatus & juxta leges ac ſtatuta regni idoneus, duo beneficia curata intra certam diſtantiam, quò commodiùs in vtriſque munus ſuum obeat, non curata abſque diſtantia poſſit retinere; præparatus ad ſacros ordines queat ordinem diaconatûs & presbyteratûs ſimul & tempore non ſtatuto ſuſcipere: Denique in omnibus cauſis verbo Dei non repugnantibus, modò ſolitę fuerint in Curia Romana obtineri.

In his omnibus, ne quid detrimenti capiat Eccleſia, fideliter adminiſtrandis, etſi noſtri hodie Reuerendiſſimi Archiepiſcopi (præſertim Cantuarienſis, quia ampliorem habet provinciam, & à ſecretioribus conſilijs Regi eſt) perpetuis Regiminis occupationibus plurimùm ſint diſtricti; tamen ſingulis per totum annum diebus dominicis, maximo cum audientium fructu, & Archiepiſcopalis ſui ordinis honore ſacroſanctum Chriſti Evangelium ſedulò concionantur.

Atque cuncta ferè hæc ampliſſima munera, vel ſaltem eorum præcipua, primævæ Eccleſiæ Patriarchæ, Primates, Metroplitani exercuerunt. Nam imprimis Epiſcoporum ſuæ Provinciæ electiones confirmârunt, cum canone 6. Nicæni Concilij primi, Imperatoris authoritate ſtabiliti decretum ſit, *Si quis præter ſententiam Metropolitani factus ſit Epiſcopus, eum non oportere eſſe Epiſcopum.* Deindeunà cum alijs ſuæ Provinciæ Epiſcopis novos Epiſcopos conſecrârunt: Concilii enim Antiocheni can. 19. *Epiſcopus non potuit ordinari abſque Synodo Epiſcoporum per Metropolitani literas congregata, & ipſius Metropolitani præſentiâ.* Præterea Concilia etiam Nationalia Imperatorũ Chriſtianorum juſſu ipſi Patriarchæ indixerunt. Leo primus Romanorum Patriarcharum non humillimus, Turibium facit certiorem, *ſe dediſſe literas ad fratres ſuos & coepiſcopos, vſq; Concilium Synodi generalis.* *(1. Non verè Oecumenici ſed Nationalis) *indixiſſe.* Sed hanc Synodum illum Imperatoris authoritate congregâſſe conſtat ex ejus 24. Epiſt. ad Theodoſium, ad quem ſimili occaſione ita ſcribit, *Omnes, omnes Manſuetudini veſtræ cum gemitibus, & lacbrymis ſupplicant Sacerdotes, ut generalem Synodum inbeatis intra Italiam celebrari.* Denique Primates receperunt Appellationes à ſuæ Diœceſeos Metropolitanis: Nam Concilii Chalcedonenſis canone 12. decretum eſt; *Si quis à ſuo Epiſcopo vel Metropolitano iniuriâ afficiatur, apud Exarchum ſeu Primatem Diœceſeos litiget.* Quamobrem æqui rerum æſtimatores Archiepiſcopalem noſtram in Anglia *Hierarchiam*, non tam ab Antichriſtiana & Papali tyrannide fuiſſe derivatam, quàm ab ea vindicatam, & quà ferunt diſpares diverſarum ætatum, locorum, & rerumpublicarum conditiones, primævæ Eccleſiæ praxi reſtitutam, vel conniventibus oculis perſpiciant.

* Eadem notione Concilia Toletana generalia & vniverſalia vocantur. Concilio Toletano 3. cap. 18. *Præcipit hæc ſancta & vniverſalis Synodus.* Toleta. 4. in exordio, *Quoniam Concilium generale agimus.*

Episcoporum in Ecclesia Anglicana Potestas & munera.

CAP. V.

MIsericors noster Servator Christus postquam suis hostibus potenter domitis in Cœlum ascendisset, dona sua varie distribuit in communem corporis sui mystici, id est Ecclesiæ, utilitatem. Ad Ephes. 4°. *Dedit alios Apostolos*, id est, interprete Ambrosio [a] *Episcopos*; *alios Prophetas*, pollentes dono vaticinandi de futuris; *alios Evangelistas*, Apostolorū Comites, & adjutores in Ecclesiis plantandis, qui propterea omnes (ut inquit *Chrysostomus*) obibant regiones; *alios Pastores, & Doctores*, inferiores (ut *Chrysostomus* docet) Evangelistis, quia in uno loco erant occupati, immò & in eodem munere: non enim (inquit *Augustin.* Epist. 59) *alij sunt Pastores, alij Doctores*, sed cum Divus Paulus *prædixisset* [*Pastores*,] *subjunxit* [*Doctores*,] *ut intelligerent Pastores ad officium suum pertinere doctrinam; ad concinnationem integram* (non tamen uno, sed suo cujusque tempore) *sanctorum, ad opus ministerij.*

Inter quos sacros Dei ministros, Apostoli sicut ordine, sic authoritate erant primi; quippe quorum hæ prærogativæ, hæc munera numero plura, dignitate amplissima, in novo Testamento recensentur. Vocati erant non *ab hominibus, neque per* [b] *hominem, sed per Iesum Christum*, (ad Galatas 1°.) à quo legati erant in universum orbē, ad omnes nationes, *omnes gentes edocendas*; (Matth. vltimo.) *Spiritu Sancto deducente in omnem veritatem* ita afflati, vt in

[a] Nam sicut Ioannes Baptista, Matth. 11. 9. erat *plus quàm Propheta*, tamen Matt. 21. 26 *Prophetæ erat*; Sic Apostoli plus quàm Episcopi erant, tamen Episcopi extiterunt. Cyprianus Epist. 65. admonens Diaconos, ut Episcopis sint morigeri, sic ait; *Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos id est Episcopos Dominus elegit, Diaconos autem post ascensum Domini in Cœlos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ Ministros.* Etenim potestas imponendi manus & excommunicandi penes Apostolos erat; qui initio Ecclesiæ propagandæ, ne discipulorum suorum honori potiùs quàm fidelium conversioni studere viderentur, illam ad tempus sibi retinuerunt, donec (ut docet Hieronymus in Epist. ad Titum) *Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo.* Tunc enim Apostoli hanc potestatem quibusdam Presbyteris eminentioribus, quos scriptores Ecclesiastici appellant Episcopos, tradiderunt. Et ideo idem Hier. loco citato dicit Episcopos magis *Ecclesiæ consuetudine* ab ipsis Apostolis introductā, (per quorum *traditiones*, inquit ille Epist. ad Evagrium, *sumptas de veteri testamento, quod Aaron & filij eius atq; Levita in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, Presbyteri, & Diaconi vendicant in Ecclesia*) *quàm dispositionis dominicæ veritate*, id est, immediato Domini Salvatoris præcepto *Presbyteris est maiores, & in communi debere Ecclesiam regere*; (non authoritate quia hæc Episcoporum propria est, sed consilio. quoniam, cum salus sit in multitudine consilianorum, Presbyterorum consilium adhibere Episcopos oportet, quando publicum Ecclesiæ bonum, hoc postulaverit;) *imitantes Mosen qui cum haberet in potestate solus præsse Populo Israel, Septuaginta tamen elegit, cum quibus populum iudicaret.*

[b] Nam immediatè vocati sunt à Deo, vt constat Act. 10. vbi Apostoli, non discipulorū multitudo (vt ex ipso contextu probabile est) *statuerunt duos Ioseph, & Matthiam*, ut alter eorum fieret unà cum illis *testis resurrectionis Christi*: & Apostoli orantes dixerunt; *Domine qui corda omnium nosti, ostende utrum elegeris ex his duobus, unum accipiat sortem ministerij huius Apostolatus*, quibus verbis declarant electionem ad Apostolatum non ab hominum suffragijs, sed immediatè à Deo dependere; licet eodem capite *Matthias* postquam a Deo per sortes jam ad Apostolatum electus esset, a Discipulis agnitus est pro Apostolo, & cum undecim enumeratus.

in doctrina cœleſti tradenda, quam (ad Galatas 1°) *acceperunt per revelationem Ieſu Chriſti*, labi non potuerint; admirabili edendorum miraculorum poteſtate præditi ad convertendos Infideles, ad confirmandos fideles, redarguendos contradicentes, denique caſtigandos immorigeros. Sed hæc omnia in Apoſtolis erant extraordinaria, ad Eccleſiam novam plantandam, & maximis anguſtiis concluſam dilatandam neceſſaria. Reliqua eorum munera ad Eccleſiam donec omnes ſuas rugas, & mãculas depoſuerit regendam & ſuſtentandam ſunt permanſura; divini nempe verbi prædicatio, ſacramentorum adminiſtratio, manuum impoſitio, & clavium poteſtas in foro exteriori. Quorum duo priora, quia ſunt *ordinaria* Spiritûs ſancti inſtrumenta, & *quotidiana* organa, quibus Deus omnium hominum ſalutem operatur; Apoſtoli omnibus paſtoribus & presbyteris commiſerunt: poſteriora, quæ faciunt ad Eccleſiam gubernandam, quò vitarent ataxiam multitudinis regimen comitantem, quibuſdam eminentioribus presbyteris, quos Eccleſia poſteà vocavit Epiſcopos, delegarunt.

Titus cum individuus Apoſtolorum ab una regione in aliam ad novas Eccleſias plantandas migrantium comes ac Evangeliſta eſſe deſierat, & Eccleſiæ commodo id exigente, Cretæ affigeretur; eum, D. Paulum hujus Inſulæ Epiſcopum conſtituiſſe, antiquiſſimi Patres & hiſtoriæ eccleſiaſticæ (quibus, in quæſtionibus facti apud priora Eccleſiæ ſecula proximè poſt ſacrã paginam fides meritiſſimò debetur) quaſi unanimi conſenſu tradiderunt. Euſebius lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 4. *Titus Cretenſium Eccleſiarum Epiſcopatum ſortitus.* Hieronymus ſeu Sophronius, qui videtur omnia Eccleſiaſticæ antiquitatis monumenta diligenter perluſtraſſe, in Catalogo Eccleſiaſticorum Scriptorum; *Titus Epiſcopus Cretæ a Divo Paulo ordinatus eſt.* Chryſoſtomus Præfatione in primam ad Timotheum, rationem aſſignans quare B. Paulus, ex omni Diſcipulorum numero ad Titum duntaxat & Timotheum Epiſtolas ſcripſerit, cûm Silas & Lucas ei quoque in diſciplinam ſe tradidiſſent; hos, (inquit) *Evangeliſtarum munere fungentes ſecum adhuc circumducebat*: illis *Eccleſiæ gubernacula curamque tradiderat.* Et ideò *homilia* 10. in eandem Epiſtolam, omnia[a] præcepta ad Titum & Timotheum ſcripta, *tanquam omnibus Epiſcopis dicta intelligit.*

Inter hæc verò, præcipuè duo ſunt, quibus Titus in Eccleſia Cretenſi ad Epiſcopi munus ritè obeundum inſtruitur. Primum ad Titum 1.5. *Reliqui te in Creta, vt conſtituas oppidatim Presbyteros.* Ad quæ verba Ambroſius, *Titum Apoſtolus conſecravit Epiſcopum; & ideò commonet eum, vt ſit ſollicitus in Eccleſiaſtica ordinatione.* Alterum præceptum, ad Titum 1.5. *conſtituite Creta, ut quæ deſunt corrigas:* & ejuſdem epiſt. 3.15. *Hæreticum hominem poſt unam & alteram admonitionem devita*; ex gregis numero, ad tempus, donec reſipiſcat, ejice per excommunica-

[a] Paulus (inquit Chryſoſtomus) *de Epiſcopatûs officio dicturus, indocat cuiuſmodi eſſe Epiſcopum doceat; neq; id quaſi Timotheum admonens dicit, ſed vt omnibus ſimpliciter loquens, ac per illum quid conveniat omnibus dicam.*

tionis cenſuram. Nam hæreticus, præſertim pertinax, eſt *Animal ſcabioſum* (ait Hieronymus, in 5. ad Galatas) *à cauſis ovium repellendum*: eſt morbida ovis, quam (inquit Auguſtinus lib. de corrept. & gratia) *ſeparare ab ovibus ſanis paſtoralis habet neceſſitas, ne per plures ſerpant dira contagia.*

Neque hæc excommunicandi poteſtas in ſolo fuit Epiſcopo Tito: trecentis fere poſt Titum annis, Concilii Antiocheni canon ſextus decernens, *Si quis a proprio Epiſcopo fuerit excommunicatus, ne prius ab alijs ſuſcipiatur, quàm ſuo reconcilietur Epiſcopo*; illa ætate excommunicandi poteſtatem fuiſſe penes Epiſcopos, clarè indicat. Et non modò Titus à Paulo, ſed alii ab aliis Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi. *Habemus annumerare eos* (iniquit antiquiſſimus Pater Irenæus lib. 3. cap. 3.) *qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſijs, & ſucceſſores eorum uſque ad nos.* Sic (eodem Irenæo teſte) a Ioanne Polycarpus ordinatus eſt Epiſcopus Smyrnæ: & à duobus Apoſtolis, Petro & Paulo, poſtquam fundaſſent & inſtituiſſent Romanam Eccleſiam, ejus Epiſcopatus fuit traditus Lino; cui, dum Ioannes Apoſtolus eſſet in viuis, Clemens & Anacletus Epiſcopi ſucceſſerunt.

Atque ab his poteſtas Epiſcopalis in Romanam Eccleſiam invecta, ad noſtra uſque tempora in ea permanſit. Etenim licèt Eccleſia Romana jam olim defecerit, & Babylonica Meretrix, Mater ſpiritualium ſcortationum facta fuerit; in ea tamen hæc authoritas penitùs non interiit: quia à Chriſto ejuſq; Apoſtolis per plures hominum ſucceſſiones continuata, ſi incidat in hæreticos, idololatras, omni flagitiorum genere coopertos, non aboletur. Sotus in 4. ſententiarum, non infimus Meretricis Babylonicæ leno, hoc ipſum liberè fatetur: *Hæretici quicunque etiam præciſi, quamuis non ab eccleſia priùs legitimè, ſed ab hæreticis fuerint promoti, verum Ordinis Sacramentum, ſi id attendent, ut ique conferunt.* Quam doctrinam hauſit ex Aquinate ad eundem ſententiarum librum ſic ſcribente; *Præciſi ab Eccleſia qui in Eccleſia Epiſcopalem poteſtatem habuerunt, retinent poteſtatem alios ordinandi & promovendi, & promoti ab ijs eandem retinent poteſtatem.* Ratio in aprico; ipſius Dei & Chriſti eſt poteſtas, (*neque qui plantat, neq; qui rigat eſt aliquid, ſed Deus qui dat incrementum*) quam hominũ illam adminiſtrantiũ peccata non faciunt magis irritam, quàm flagitioſus Legatus ſui principis authoritatem ſibi delegatã diminuit. Non enim eſt (ut loquuntur Scholæ) *gratia gratum faciens* (cum qua hæreſis & impietas minimè cohabitant,) *ſed gratia gratis data*, non ſemper eam habenti, ſed aliis ſanctificandis deſtinata. Hinc Sacerdotale munus ab Aarone per innumeras hominum ſæpe ſceleratiſſimorum & idololatricorum ſucceſſiones ad Chriſti tempora tranſmiſſum manſit inviolatum; ut ei ipſe Chriſtus ſe ſubmiſerit, & aliis ſe ſubdere præceperit. Atque pari ratione Epiſcopalis poteſtas, ab Apoſtolis & primæva

primævæ Eccleſiæ Romanæ Epiſcopis, per impuriſsimos ejuſdem cœtûs (poſtquam Atichriſtiana Babylon evaſit) canales in noſtras Eccleſias limpida effluxit: quemadmodum, narrante Plinio, amnis Alphæus Peloponeſiaco littore merſus per longiſsimum ſub mari tractũ in agri Syracuſani fontem Arethuſam meanſ, ne vel leviuſculam ſalſuginem contrahit. Quamobrem etſi Epiſcopalis authoritas hodie in Eccleſia Anglicana à Romana proximè (ſed non primitus) dimanaverit; tamen vera & legitima cenſenda eſt. Cujus varia munera, quà vel ab Apoſtolis aut Eccleſiâ inſtituta, vel quà à ſeculari poteſtate propter malitiam hominum jura ſacra nullis mundanis ſuppetijs & honoribus externis ſuffulta contemnentium, Epiſcopis in Anglicana Eccleſia fuerint conceſſa; ordine recenſebimus.

Poſtquam Regis licentiâ & mandato, Epiſcopi in Anglia à Decano & capitulo Cathedralium Eccleſiarum infra Diœceſes, quibus præficiendi ſunt, eliguntur; illius aſſenſu electi comprobantur; comprobati confirmantur; confirmati conſecrantur; & cum conſecrati *homagij* juramentum Regi præſtiterint; & Rex illis viciſsim ſuorum Epiſcopatuum poſſeſsiones reſtituerit: in ipſa republica Anglicana, non aliquâ à Chriſto delegatione (cujus[a] Regnũ ſpirituale eſt, miniſterio clavium regni cœlorum & ſpiritu imperans; & *non ex hoc mundo* ſeu temporale, externa vi ac gladio coërcens, vnde. Luc. 22. Apoſtolis ſuis eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis ratione Spiritualis poteſtatis, quam ab ipſo acceperant, omne temporale Dominium interdixit:) ſed libera principum donatione, his honoribus potiuntur.

[a] *Ipſe vero dixit eis, Reges Gentium dominantur eis, & qui authoritatem habent in eos, benefici vocantur: vos autem non ita. Non licebat igitur Epiſcopo Eccleſiæ externum adminiſtrare dominatum? Exiſtimabant Apoſtoli, quòd quia eſſent Apoſtoli Chriſti, idcirco deberent invadere Regna huius mundi, & in hoc mundo dominari. Chriſtus autem damnat hoc loco falſam Apoſtolorum opinionem, & docet nihil minus Apoſtolos & Epiſcopos Eccleſiæ decere, quàm ut prætextu Apoſtolatûs & Epiſcopatûs occupent externa regna. Nihilominus ipſos Eccleſiæ Epiſcopos non vetat habere externam dominationem: viz. ſi ad hanc vel hæreditaria ſucceſſione, vel electione, vel donatione vel alijs legitimis mediis pervenerint. Difficillimum quidem eſt ſimul miniſterium prædicandi Evangelij in Eccleſia recte perficere, & externam regnum adminiſtrare; per ſe tamen non eſt impium, retinere una cum miniſterio Eccleſiaſtico externam Dominationem. Quare habeant ſanè vel Romani Pontifices eam Maieſtatem, quam publicis & legitimis ordinationibus ac conſenſu Monarcharum poſſident; ſed quòd uſurpent ſibi poteſtatem ſuper Reges & Principes prætextu officij ſui Apoſtolici, hoc Chriſto adverſum eſt: & vehementer errant.* Brentius Homil. 52. in Paſſionem Chriſti. & Homil. 90. in Lucam.

Titulum habent *Dominorum* ratione *Baroniarum* ſuis Epiſcopatibus annexarum, et præcedentiâ præ alijs Regni Baronibus non modò in privatis congreſsibus, ſed in ſupremo Regni Concilio, Parliamento: vbi, quia ſunt *Domini Barones*, hoc ordine habent ſuas ſeſsiones. Poſt Reuerendiſsimos Archiepiſcopos Cantuarienſem & Eboracenſem, primo loco ſedet Epiſcopus Londinenſis, deinde Dunelmenſis, proximè Wintonienſis; reliqui Epiſcopi, vt conſecratione priores, niſi quòd

quòd poſt Epiſcopum Dunelmenſem primum locum teneant, qui Regi fuerint a ſecretioribus Conſiliis. Epiſcopi enim in republica Anglicana, clementiâ Principis poſſunt ei eſſe a ſecretioribus conſiliis, conſtitui Eirenarchæ, legatorum munere fungi, ad exteros principes (ſicut Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, [a] ipſo Ambroſio teſte, bis Valentiniani Legatus fuit ad Maximum) vel aliud quodvis honeſtum munus exequi.

[a] Epiſt. 14. ad Marc. ſororem. Vide etiam ejus Epiſt. 56. ad Valent. et concionem de obitu Valent.

Nam tametſi ſacratarum perſonarum ſanctiſſimæ, peritiſſimæ, vigilantiſſimæq; ſatis operæ & ſudoris habent in ſacris muniis obeundis (cum *ad hæc quis idoneus?*) & ideo abſolutè præſtaret illos tractare ſolùm ſpiritualia: tamen cùm Eccleſia militans ſæpiùs permixta ſit Epicureis & ferrei oris peccatoribus, qui magis mundano timore quàm amore ſpirituali ad externa pietatis officia peragenda adiguntur; ut horum Atheiſmus (ipſius civilis Regiminis exitium, ſi per ſpretam religionem nimiùm ſe prodat) meliùs coerceatur, prudentiſſimi principes Chriſtiani Eccleſiæ præſules ſeculi honoribus cumulatiſſimè donârunt.

Conſtantinus Magnus (ut videre eſt in Codice Theodoſiano de Epiſcop. judiciis) uſque adeò Epiſcopos in cauſis ſecularibus voluit honorare, ut decreverit, in hæc verba; *Quicunq; litem habens ſive Poſſeſſor, ſive Petitor erit, ſive inter initia litis, ſive cum negotium peroratur, ſive cum caperit promi ſententia, judicium eligit ſacroſanctæ legis Auditoris; ilicò ſine aliqua dubitatione, etiam ſi alia pars refragetur, ad Epiſcopum cum ſermone litigantium dirigatur.* Rationem decreti adjicit; *Multa enim, quæ in judicio captioſa præſcriptionis vincula non patiuntur, inveſtigat & promit ſacroſanctæ religionis authoritas. Omnes itaque cauſæ quæ prætorio iure vel civili tractantur, Epiſcoporum ſententijs terminatæ, perpetuo ſtabilitatis iure firmentur.* Quid quod etiam ſacræ perſonæ ſuæ vocationis opera ſpiritualia ſtrenuè peragentes, quandoque ex ſingulari Dei dono, in ſeculi quoque negotiis expediendis plurimùm pollent? De Gregorio Thaumaturgo Gregor. Nyſſen. in oratione ſua de ejus vita ſcribit; *Omnis quæſtio diſceptatioque, & omnis intricatus difficiliſque negotiorum nexus illius conſilijs & admonitionibus reſolvebatur & dirimebatur; unde ſingulis, illius beneficio, tam æquitas & recta iuris conſtitutio, quàm pax erat.* Demùm, quinam de æquitate (non de juſtitia ad iuris amuſim, hoc enim Iuriſperitorum eſt) in cauſis ſecularibus meliùs dijudicent, quàm illius ex vocationis ſuę impulſu ſtudioſi? unde Auguſtinus Concione 71. in 118. Pſalmum, hominibus ſui ſeculi diſsidia ei tanquam arbitro deferentibus dicere non audet; *Dic homo quis me conſtituit iudicem aut diviſorem inter vos?* [*] 1. Cor 5.6. *Conſtituit enim* (inquit) *talibus cauſis Eccleſiaſticos Apoſtolus* (Divum Paulum intelligit) *cognitores.* Neque quando Eccleſiaſtici ſic ſunt *cognitores*, & aliquo modo curant negotia ſecularia, illis *implicantur*, aut abſorbentur;

ſorbentur; quia ab Apoſtolo monente, *neminem Deo militantem debere ſe implicare negotijs ſecularibus*, eccleſiaſtici hujuſmodi *cognitores* conſtituuntur: ut *dum homines cauſas ſuas ſeculares apud nos* (inquit Auguſtinus Epiſcopus, epiſt. 147.) *finire cupientes, negotia ſua peragunt, agamus & nos negotia ſalutis noſtræ & ipſorum, & diſſenſiones hominum terminemus.*

Verùm præter ſeculi honores, & in ejus litibus componendis operam; media ſunt Epiſcoporum magis propria, ad ſuam, & aliorum ſalutem promovendam: nempe eorum in Antiſtitum Eccleſiæ album ſacra cooptatio, quæ *conſecratio* dicitur, & munia Eccleſiaſtica. Conſecratio Epiſcoporum in Anglia (omni papali ſuperſtitione detractâ, & præmiſſa concione de paſtoris in gregem officio, cura, fide, illamque ſubſequente Euchariſtiæ à frequenti graviſſimorum hominum cœtu perceptione) peragitur precibus, invocatione Spiritûs Sancti, manuum impoſitione a tribus ad minimum (juxta Concilii Nicæni canonem 3.) Epiſcopis in indumentis Epiſcopali gravitate conſentaneis, & communi ac ardenti eorum qui actioni interſunt oratione, ut Epiſcopale munus conſecratis impoſitum, cedat ad Dei gloriam, gregis ſalutem, conſcientiæ ſuæ in tremendo die Iudicii lætum teſtimonium.

Horum verò ita conſecratorum munera, ſecundùm canones, ſunt diligenter docere Euangelium, non tantum in Cathedralibus Eccleſiis quibus præſunt, ſed etiam paſſim per omnes Eccleſias ſuæ Diœceſeos, ubi maximè putabunt expedire; in iiſdem Cathedralibus Eccleſiis feſtis ſolennibus Capâ decenti amictos, ſacram Cœnam adminiſtrare; ordinare Presbyteros & Diaconos; (& hinc Epiph. hær. 77. docet Epiſcopos generare *Patres Eccleſiæ*, Eccleſiaſticos miniſtros ordinando; presbyteros *Filios Eccleſiæ*, infantes & catechumenos baptizando) verbo & gratiarum actione Eccleſias & ſepulturæ loca ſacris uſibus dedicare, quod (teſte Euſebio lib. 10. cap. 3.) in Templis a Conſtantino magnificè extructis, veteres Epiſcopi magna cum ſolennitate præſtiterunt; confirmare precibus, & manuum impoſitione pueros catechiſmum edoctos, qui mos (inquit Cyprianus Epiſt. ad Iubaianum *apud nos geritur*; deniique Eccleſiaſticam juriſdictionem, cujus nervi ſunt pœnæ & cenſuræ Eccleſiaſticæ, exercere.

Non abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Spiritus, manum impoſiturus excurrat. Hieronymus adverſus Luciferianos.

Verſantur autem hæ pœnæ ſive cenſuræ Eccleſiaſticæ in duplici diſcrimine. Aut enim Eccleſiaſticis & laicis communes ſunt; ut *Monitio, excommunicatio minor, excommunicatio maior, anathematiſmus, interdictum, corporalis pœnitentia, denegatio Chriſtianæ ſepulturæ in locis ſacratis*: aut ſunt Eccleſiaſticis peculiares, quales ſunt, *ſequeſtratio fructuum Eccleſiæ, ſuſpenſio, deprivatio, depoſitio*: de quibus ſingulis, quemadmodum ſint in uſu in Anglicana Eccleſia, pauca delibanda.

Monitio omnes ferè cenſuras Eccleſiaſticas præcedit, & illarum vi nemo

nemo cenſetur *Ethnicus & Publicanus*, niſi priùs *Eccleſiam non audierit*, ſub excommunicationis comminatione præcipientem.

Excommunicatio (vt ex ipſa nominis notatione liquet) homines à communione aliqua excludit. *Communio* autem interna vel externa eſt. *Interna* eſt illa, qua fidelis quiſque per fidem & charitatem cum Deo primum, deinde cum omnibus verè fidelibus arctiſſimo ſpiritûs vinculo unitur, & quam in Symbolo *communionem ſanctorum* appellamus. *Externa* communio eſt vel politica vel Eccleſiaſtica. *Politica* verſatur in rebus & negotijs ad civilem & præſentem vitam pertinentibus. *Eccleſiaſtica*, qua communicamus ſimul in iis quæ ad cultum Dei in Eccleſia ſpectant, cujuſmodi ſunt publicæ preces, prædicatio verbi & Sacramentorum adminiſtratio. *Communio*, à qua excommunicatus excluditur, non eſt interna: ab hac enim nemo niſi per proprium peccatum ſeparatur. *Peccata veſtra* (inquit Iſaias cap. 59.) *diviſerunt inter me & vos*: ipſa verò excommunicatio peccatorem ita eſſe ſeparatum declarat, & Eccleſiæ ſententiâ ad cœlos vſque pertingente, hoc ipſum [a] ſtabilit ac confirmat.

[a] Math. 18. 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata in cælo.* Ad quæ verba Auguſtin. lib. 1. contra Adamant. cap. 17. hanc habet annotationẽ: *Illud quod ait Dominus; Si non Eccleſiam audierit, ſit tanquam Ethnicus & Publicanus, grauius eſt quàm ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi ferùs ſubigeretur. Nam ibi quoque ſubiunxit; quæ ligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cælis; vt intelligeret, quanto grauius ſit punitus, qui velut relictus eſt impunitus.*

Quare externa eſt communio à qua quempiam ſemovet excommunicatio: & quemadmodum hujus communionis, ſic excommunicationis diuerſi ſunt gradus; *Excommunicatio*, ſcilicet minor, & maior. *Minor*, eſt ſuſpenſio ab ingreſſu Eccleſiæ, aut à ſola Sacramentorum ſuſceptione, quam Cyprianus vocat *abſtenſionem*: & propter contumaciam & alia delicta adhibetur; ſed præcipuè propter contumaciam in non comparendo in curiis Eccleſiaſticis, aut non parendo illarum mandatis, quæ quandoque in rebus infimis poteſt eſſe ſumma: quia res præcepta quo facilior eſt obſervatu, eo præcepti violatio gravior, cùm ſit magis ſpontanea, eique nulla impotentia aut infirmitas obtendatur. Sic *præceptum* Adamo impoſitum *tam leve ad obſervandum, tam breve ad memoriâ retinendum, ubi præſertim nondum voluntati cupiditas reſiſtebat; tantò* (vt Auguſt. lib. 14. de Ciuitat. Dei, cap. 12. docet) *maiori ſeniſtitiâ violatum eſt, quantò facilieri poſſet obſervantiâ cuſtodiri.*

Hujus minoris excommunicationis ſententiam pro contumacia in non comparendo in Iudiciis Eccleſiaſticis, aliquis eruditus Presbyter (quamuis enim ſolus Epiſcopus ordinariâ, delegatâ tamen poteſtate, ut in ſupplemento ad tertiam partem rectè obſervavit Aquinas, Presbyter excommunicare poteſt) ab Epiſcopo authoritate ſufficienti munitus denunciat, idque ex præſcripto Iudicis, quem vocamus Epiſcopi Cancellarium, qui per Eccleſiæ noſtræ conſtitutiones eum ad hanc cenſuram ferendam tenetur accerſere & ſibi aſſociare.

Excom-

Excommunicatio maior [a] est, qua peccator non solum à perceptione Sacramẽtorum, vel ingressu Ecclesiæ, sed toto fidelium consortio excluditur: ita ut secundùm veteres Ecclesiæ nostræ canones, [b] *Communicans excommunicato maiori excommunicatione, incurrat minorem, & nisi destiterit, maiorem.* Atque idem ferè decretum latum fuit Concilio Toletano primo, canone decimo sexto; *Si quis laicus abstinetur, seu à sacra Communione arcetur; ad hunc vel ad domum eius, Clericorum vel Religiosorum nullus accedat. Similiter et Clericus si abstinetur, à Clericis devitetur. Si quis verò cum illo colloqui, aut convivari fuerit deprehensus, & ipse abstineatur.* Et ante Concilium Toletanum primum, Antiochenum canone tertio decrevit, *non licere cum excommunicatis communicare*: & *si quis ex Episcopis aut Presbyteris vel Diaconis, deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, eum quoque esse excõmunicatum.* Scopum & finem hujusmodi canonum indicat August. lib. 3. cont. Parmen. Epist. cap. 2. *Tunc* excommunicatus *timore percutitur, & pudore sanatur; cùm ab universa Ecclesia se Anathematizatum videt, & sociam turbam, cum qua in delicto suo gaudeat & bonis insultet, non potest invenire.* Et ideò idem prudentissimus & sanctissimus Præsul ibidem graviter admonet, quod *non possit esse salubris* neque delinquenti neque Ecclesiæ *correptio; nisi cum ille corripitur, qui non habet* [c] *sociam multitudinem.* Sed hoc fit sine labe pacis & unitatis, & sine læsione frumentorum; cum congregationis Ecclesiæ multitudo ab eo crimine ob quod delinquens anathematizatur, est aliena. Et secundùm Ecclesiæ nostræ canones, *quotiescunque hæc maior excommunicatio in immediatam pœnam cuiusvis notoriæ hæreseos,*

a De hac excommunicatione loquitur D. Paulus, 1. Cor. 5. cujus sententiam suâ solâ authoritate in incestuosum fert his verbis: *Ego vt absens corpore, præsens autem spiritu, iam* (antequam scripserat Epistolam, & per eam Corinthiorum sententiam rogare potuerat) *vt præsens dijudicaui*, seu decreui, *ut is qui hoc ita perpetrauit, vobis & meo spiritu in nomine Domini congregatis* (non ad D. Pauli decretum, si illis non arrisisset antiquandum, sed ut illo publicè ab ijs audito incestuosum à se separarent, eumque *expurgarent* tanquã *vetus fermentum* ejiciendo è ciuili suo consortio, aut non *approbandó*, inquit Aug. lib. 3. cont. epist. Par. cap. 1, non *consentiendo*, non animis *fauendo* eius in probo facinori) *eiusmodi inquam homo tradatur Satanæ.* i. è fidelium cœtu ejiciatur: qui enim Ecclesiæ gremio extruditur, Satanæ extra Ecclesiam regnanti mancipatur. Et hæc omnia D. Paulus in incestuosum decernit, ad *interitum carnis, vt spiritus eius salvus esset.* id est, (sicut docet August. lib. 3. cont. Par. cap. 1.) vt cum ipse, pudore & tristitia sapere didicerit, & caro quæ ipsum in hoc præcipitium arripuerit, funditùs fuerit abolita: spiritus ejus qui videbatur in certamine occubuisse, iterum sese erigeret, & fieret spiritualis homo, salvus in die Domini.

b Linwood in Provincia Consti. de immunit. Ecclesiast. cap. seculi Principes. §. ac quandoque. verb. maculantur.

c Huic Augustini sententiæ, alia à glossa in cap. 13. Matt. Augustino etiam adscripta, concinit: *Multitudo non est excommunicanda, nec Princeps populi.* Hoc gravissimum Sancti Patris monitum negligunt Romani Pontifices, dum excommunicant Imperatores & Reges, qui cùm amplas habeant ditiones & numerosos exercitus, rarò destituuntur *sociæ multitudine.* Hinc Imperatorum & Regum excommunicationes à Romanis Pontificibus denuntiatas, sepiùs tot cædes, tot rapinæ, tot populorum & Vrbium eversiones, tam horrenda schismata sequuta; ut ipsos Pontifices facti sui pœnituerit, & totus Christianus orbis ingemuerit. Gregorius 7. cum Henricum IV. excommunicasset, & cruenta bella, teterrima odia, & schismata inde orta seriò fuisset contemplatus, animam acturus advocavit (ut refert Sigebertus, 185.) Cardinalem sibi præ cæteris charum, *& fassus est Sancto Petro & toti Ecclesiæ se valdè peccasse in Pastorali cura, quæ ei ad regendum commissa est, & suadẽte Diabolo, contra humanũ genus odiũ & iram concitasse*

schismatis,

schismatis, simoniæ, periurii, usuræ, incestûs, aut gravioris alicuius criminis venerit infligenda, per Episcopum in propria persona pronunciatur, unà cum eiusmodi frequentia & assistentia, qua ad maiorem rei authoritatem conciliandam conducere videbitur. Atque his excommunicationum vinculis constricti non possunt esse in Curiis sive civilibus sive ecclesiasticis Actores, aut testes: & si ultra 40. dies obstinati persistunt; per rescriptum Regium ex Cancellariæ Curia manans, illud Episcopo postulante, carceri à Comitatûs in quo degunt Vicecomite mandantur, donec Episcopo dederint sufficientem cautionem pignoriticiam, fidejussoriam, aut juratoriam, se ejus mandatis & decretis obtemperaturos. Quarta censura Ecclesiastica est * *Anathematismus*, qui tantùm in pertinacem hæreticum exeritur, & quo iste tanquam publicus Dei hostis, rejectus, maledictus, execratus, æterno judicio & damnationi devovetur. *Anathema* enim (ut notat Hieronymus in cap. primum ad Galatas) *nomen est execrationis & maledictionis.* Huic succedit *interdictum*, quo universitas seu communitas (*Homo* enim, inquit noster *Linwodus*, *propriè excommunicatur*, & *propriè locus interdicitur*) ob publicum aliquod delictum divinis officiis, sepulturâ, administratione & perceptione Sacramentorum prohibetur. *Interdictum* excipit corporalis pœnitentia, sic dicta, quia non solùm interiori, sed etiam exteriori homine luenda; quæ publicæ in primæva Ecclesia pœnitentiæ, quam Cyprian. epist. 10. *Exhomologesin* vocat, est quam simillima. Quorum autem authoritate hæc *exhomologesis* seu publica pœnitentia antiquitùs fuerit imposita, Concilium Carthaginense tertium cap. 31 & 32. testatur: *Pœnitentibus, secundùm peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Quæ ob crimina, lib. 3. cont. Parmen. epist. cap. 2. ostendit Augustinus, *quando ita cuiusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ.* Et hinc Anglicanæ Ecclesiæ canones statuerunt; *Si crimen non fuerit notorium & publicum, solennem pœnitentiam posse commutari in multam* [a] *pecuniariam in levamen pauperum eiusdem Parœciæ, vel in alios pios usus erogandam: modò constiterit eam esse ad Reum reformandum saniorem & tutiorem rationem.* Quandoque enim fit (ut Cyrillus lib. 3. in Levit. piè & prudenter

* Chrysostomus ex professo homilia quadam contendit non esse anathemate utendum in Ecclesia Christiana, quià de nemine quàdiu vivit, resipiscentiæ spes sit abjicienda: sed frustra. In hac enim tremenda Ecclesiæ censura, conditio, [Nisi resipuerit,] semper intelligitur.

a Quod tamen Iudicibus Ecclesiasticis cautè faciendum est, ne Regia prohibitione in hac commutatione impediantur. Nam in Articulis Cleri. cap. 2. decernitur; *Si Prælatus imponat pœnam pecuniariam alicui pro peccato & petat illam, Regia prohibitio habet locum. Veruntamen si Prælati imponant pœnas corporales, & illi sic puniendi velint huiusmodi pœnas per pecuniam redimere; non habet locum regia Prohibitio, si coram Prælatis pecunia exigatur.* Et hujusmodi pecunia à Iudicibus Ecclesiasticis in sacros usus licitè erogari potest: quia non est *merces scorti*, Deuteron. 23. *in Domum Dei pro voto* seu eleemosyna minimè introducenda, ne Ecclesia videatur illius turpitudinem approbare & fovere; sed *scorti* pœna est, quæ non potest ejus, cui infligitur, censeri omni modo libera eleemosyna, cùm semper aliquo modo sit invita.

prudenter monet) *ubi servari suum peccatum secretum viderit ille qui peccat, servabit & ipse emendationis pudorem. Si verò viderit peccatum suum* per exhomologesin *proclamari, & sese* (pravo suo judicio) *defamari, illicò ad impudentiam convertetur.* Itaque Concilium Constantinopol. generale 6. huic pastorali reducendi peccatores ad bonam frugem curæ præpositos instruit; *cum non simplex sit peccati morbus sed varius & multiformis, ut attentè rimentur qualiter affectus sit, qui peccaverit: an obtemperet magistro, an mentis ulcus per admota pharmaca crescat, & sic misericordiam æqua lance impertiant.* Postrema Ecclesiastica pœna Laicis & Clericis communis, est *denegatio Christianæ sepulturæ in locis sacratis*: quæ non infligitur in pœnam mortuorum, qui quamprimum naturæ cesserint, aut beatitudine nunquam amittendâ fruuntur, aut miseria in æternum subeundâ plectuntur; sed in terrorem viventium, qui ipsius naturæ instinctu corpora sua post mortem honestè tractari plurimum desiderant. Omnes autem excommunicati, perjuri, feloniæ crimine strangulati, insignes fœneratores, hæretici, apostatæ, mortem sibi ascisentes (nisi de extraordinaria illorum pœnitentia certior factus fuerit Episcopus, qui tum licentiam concedit eos in locis sacratis inhumandi) hoc vltimo pietatis officio orbantur. Iam Ecclesiasticæ censuræ in Ecclesiasticos peculiares sequuntur. Harum prima fuit *sequestratio*, à jure civili (ut videre est in Digestis & Codice) in jus canonicum derivata, quæ est fructuum Ecclesiæ ad tempus apud alium depositio, ad jus alicuius tuendum, aut onus declinandum, vel ejus qui fructuum Dominus est, contumaciam castigandam: quam si quis post legitimam ejus publicationem in locis vbi facienda est, violaverit; juxta antiquos Ecclesiæ Anglicanæ canones, *maiorem excommunicationem* ipso facto incurrit. Proxima censura est *suspensio*, qua *monitione præcedente in scripto & causâ expressâ, persona Ecclesiastica interdicitur exercitium sui officij vel beneficij vel utriusque simul, in toto vel in parte, ad certum tempus vel in perpetuum.* Tertia censura est *Deprivatio*, qua Ecclesiastica persona ob grave aliquod crimen ab Ecclesiastico beneficio amovetur. Vltima est *Depositio*, pœna in primæva Ecclesia vsitata. Nam Concilii Antiocheni canon. 3 & 4. sic decernitur; *Si quis Presbyter aut Diaconus à proprio Episcopo depositus, ausus fuerit aliquid de Ministerio agere; nullam spem restitutionis ei habere liceat.* Et *si quis Presbyter aut Diaconus, contemptu suo Episcopo, ab Ecclesia seipsum segregaverit & seorsim congregationem fecerit, & Episcopo primò, secundò vocanti noluerit obedire; is omnino deponatur nec amplius remedium assequi, nec honorem suum accipere possit.* Et hæc, secundùm jus Canonicum vim adhuc in Ecclesia Anglicana obtinens, est vel *verbalis* per Iudicis sententiam, vel *realis* quæ fit degradatione; cum scil. personæ Ecclesiasticæ propter hæresin, vestes & insignia ordinis sui per Episcopos detrahuntur in præsentia ciuilis

lis Magiſtratûs, cui poſt degradationem coercendus relinquitur. Et hæ ſunt omnes cenſuræ & pœnæ Eccleſiaſticæ; quas oportet Epiſcopos memores præcepti Apoſtolici, *non dominantes in hæreditatem aut ſortem Domini*, in greges ſibi concreditos exercere, non herili jure, tanquam Dominos in ſervos, ſuum ex iis [a] commodum aucupantes; ſed paterno, [b] veluti parentes in filios, illorum ſaluti præcipuè conſulentes. Nam ut Salvator noſter Luc. 22. admonet, *qui maximus inter vos* authoritate & eminentia, *ſit minimus*, id eſt, paratus minimo cuique in ejus commodum [c] inſervire; & *qui præeſt, ac ſi adminiſtraret* iis quibus imperat, conſulendi officio famulans: ut meritò dixerit Auguſtinus lib. 2. cont. Creſconium cap. 11. *Non ſumus Epiſcopi propter nos, ſed propter eos quibus verbum & ſacramenta adminiſtramus*, quos cenſuris Eccleſiaſticis conſtringimus & caſtigamus.

a *Servi Domini acquirunt quicquid acquirunt.* lib. 1. Inſtitut. Tit. 8. §. 1.

b *Eſto ſubiectus Pontificitui & quaſi parentem animæ ſuſcipe.* Hier. ad Nepoti.

c *Omnibus me ipſum ſervum feci ut plures lucri facerem.* 1. Cor. 9. 19. *Diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere, non Dominos. Studete magis amari, quam metui, ſi interdum ſeveritate opus eſt, paterna ſit, non tyrannica* Bernard. ſerm. 23. in Cant. alloquens prælatos.

Atque ita Eccleſiaſticis cenſuris recenſitis ac deſcriptis, ipſam Eccleſiaſticam juriſdictionem his ſuffultam aggrediamur. Hæc autem vel *voluntaria* eſt, ad quam exercendam Epiſcopus à nullo pro ſuo intereſſe aut publica vindicta Actore cogitur; vel *contentioſa* eſt, ad lites inter Actorem & Reum dirimendas inſtituta, de qua infra fuſiùs dicendum. Prioris Juriſdictionis, propter mutuas inter Eccleſiam & rempublicam ſuppetias, varia ſunt & quaſi mixta membra, diverſis fundamentis ſuperſtructa. Primum innititur Regni ſtatutis, per quæ Epiſcopi decimas & ſubſidia Principi ab Eccleſiaſticis debita cogunt; aſſiſtunt civilibus Judicibus in exequendis aliquot ſtatutis; uniunt & conſolidant Eccleſias minutiores; ex ſpeciali aliqua cauſa, judices civiles reddunt certiores de Pontificiis, qui abjuratâ ſua ſuperſtitione, accedunt ad noſtra ſacra, aut obſtinati iis penitus ſe ſubducunt; concedunt peritis & fide dignorum teſtimonio approbatis, licentiam exercẽdi medicinam & Chirurgiam, & pueros erudiendi; exigunt quandoque à nonnullis juramentum Regii primatûs, & juramentum fidelitatis infra ſuas diœceſes Epiſcopales. Secundum ſtabilitur jure Regni municipali, ut ad reſcriptum Regium certiores facere civiles judices de legitimis & illegitimis Nuptiis ac natalibus, de excommunicatis, & in aliis cauſis Eccleſiaſticis, quarum aliquando in Curiis civilibus eſt incidens cognitio, ratione temporalium cauſarum, quarum ſunt appendices; quẽdam Regis Brevia à Civilibus ejus Curiis manantia pro beneficiis legitimè præſentato reſtituendis, perſonis Eccleſiaſticis nullum habentibus ſeculare feudum judicio civili quandoque ſiſtendis exequi; Regium reſcriptum requirere, de hæretico pertinaci (antea condemnato) comburendo, pro carceri mandando corpore illius qui ultra 40. dies excommunicatus perſiſtit. Tertium tùm jure Eccleſiaſtico, tùm municipali confirmatur, quorum conſentientibus placitis Epiſcopi defunctorum teſtamenta probant & inſinuari faciunt, ab inteſtato decedentium bona proximo

proximo agnato vel cognato administranda concedunt; Rationes hujusmodi Administrationis reddi faciunt; bona caduca (cùm nullus hæreditatem adire velit) mandant tutò custodienda & colligenda, donec secundùm Iuris præscriptum distribuantur. Quartum & ultimum hujus Episcopalis Iurisdictionis voluntariæ in Ecclesia Anglicana membrum, munitur jure Ecclesiastico; ex quo Episcopi idoneis conferunt beneficia, vel illos ab aliis patronis præsentatos in beneficia instituunt; inter quam beneficii collationem & ad illud institutionem, hoc tantum discrimen quidam Canonum periti statuerunt; ut hæc sit concessio Ecclesiattici beneficij limitata, nempe Clerico à patrono nominato & oblato: illa libera, Clerico cui ipse Episcopus voluerit. Porrò ejusdem juris Ecclesiastici vi, admittunt Resignationes beneficiorum, quorum vacantium fructus, sub tuto sequestro ad usum proximi successoris colligendos & custodiendos mandant; literas dimissorias seu [a] testimoniales concedunt initiandis in sacris ordinibus, vel jam initiatis ad animarum curam admittēdis ab alterius diœcesis Episcopo; dant licē tiā collocandi sedile in Ecclesia, [b] diruendæ veteris fabricæ Ecclesiæ & novæ extruendæ, exhumandi cadaver, & alio transferendi; assignant Rectori Ecclesiæ morbo ita impedito vt muneri suo superesse non possit, coadjutorem, ad explendum eius officium: Denique quolibet triennio, totam suam diœcesin visitant, & per eam instituunt generalem inquisitionem, quæ, quo fiat ordine, qua formâ, capite subsequenti commonstrabitur.

a *Si Ministri & Curati ex una Diœcesi in alteram transierint, nequaquam ad curam ullam exercendam admittentur; nisi Episcopi eius diœcesios unde advenerint, vel loci Ordinarij literis testimonialibus de ipsorum honestâ conversatione, sufficientia, & conformitate ad Ecclesiasticas Regni Anglicani leges muniti accesserint.* Hic Canon imitatur Canonem 12. qui dicitur Apostolorum, *Non recipendus, si apud alium sine commendatitijs receptus fuerit.* Huic enim Canoni Harmenopulus in Epitome Sacro. Canon. tit. 3. hoc Scholion subjecit; *Commendatitiæ vero literæ sunt, quæ ab Episcopo Clericis aut Sacerdotibus dantur alsam in urbem proficiscentibus, quæque commendant eos illius Loci Episcopo velut omni culpa carentes.* Harum etiam literarum meminit Canon 12. Concilii Gangrensis, celebrati ante Nicænum Concilium primum, his verbis; *Non liceat Presbyteris Civitatis* (multo minùs inferioris gradûs Presbyteris) sine literis Episcopi *in aliena parœcia aliquid agere.*

b Patres Concilij Chalcedonensis, Canon. 4. decernunt; *Nullus quidem usquam ædificet nec constituat Monasterium aut Oratoriam domum, præter consensum Episcopi Civitatis.* Quod decretum Harmenopulus in Epitome Sacror. Cano. sic expressit; *Nullus unquam Templum construat absq; sententia Episcopi,*

Episcoporum voluntaria Iurisdictio in Diœcesibus suis visitandis.

CAP. 6.

IDem in *spirituali Dei Domo* Ecclesiâ, quod in materiatis ædificiis usu venit: horum decidui parietes nisi statuminentur, illius præcipua fulcra, vitæ pietas, doctrinæ puritas, nisi sarcta tecta conserventur, in ruinam vergunt. Hinc visitationes Ecclesiarū, quoties in deterius

cœperint labi, ab ipsis Apostolis sunt institutæ: hoc enim nomine Divus Paulus (1. ad Corinthios 16) ad Corinthios rediturus erat, Ecclesias Macedoniæ inspexit, & quia non potuit statim Corinthum proficisci, cogitat illuc Timotheum mittere. Immò idē Apostolus Actor. decimo quinto, Antiochiæ apertè dicit Barnabæ; *Reuertentes visitemus fratres per uniuersas ciuitates in quibus prædicauimus verbum*, cogniturí, *quomodo se habeant*. Neq; pia & prudentissima hæc Apostolorū praxis, apud eorum successores Episcopos, seculis subsequentibus exoleuit. Synodus Tarraconensis in Hispania anno 450 celebrata, canone 7. statuit, vt *antiquæ consuetudinis* (longè igitur ante hanc Synodum Episcopalis diœcesēon exploratio in usu erat) *ordo seruetur, & annuis vicibus diœceses ab Episcopis visitentur*. Idem decretum in Concilio Toletano quarto 70 Episcopis constante, ferè ducentis postea annis recensitum legimus. Neque mirum est hunc præcipuum Ecclesiasticæ disciplinæ nervum ab Apostolorum ætate, ad tam remota antrorsum secula se extendisse; cùm tam præclari sint ejus in ecclesia usus & ingentes utilitates. Hac enim Episcopali inquisitione doctrinæ cœlestis sinceritas ab erroribus, cultûs externi puritas à superstitione, vitæ Christianæ integritas à criminum inquinamentis, totaque religio à blasphemijs & scandalis vindicantur. Ad quos fines Præsulum in Ecclesia Anglicana visitationes debere collimare, monstrant capita de quibus juxta Canones inquirere, media per quæ crimina exquirere, pœnæ quas reis detectis infligere oportet: quę jam sigillatim sunt proponenda. Etenim ut Episcopales in nostra Ecclesia visitationes Cathedralium Ecclesiarum, Curiarum Ecclesiasticarum et Hospitalium quæ non sunt ex Regia fundatione, & quorum Episcopus aut nullus alius visitator à Fundatore statuitur, tanquam priuatas prætereamus: publicæ & magis generales per totam diœcesin inquisitiones instituuntur, aut de delictis eorum qui Episcopi ordinatione licentiave peculiarem habent functionem, aut quorumlibet Christianorum.

Prior exploratio est de excessibus & defectibus *Ministrorum* Verbi, *Oeconomorum*, *Ludimagistrorum*, et *Medicorum*, *Chirurgorum* ac *Obstetricum*. 1°. *Ministrorū* verbi; an jugiter, & sincerè Evangelium concionentur, religiosè & reuerenter administrent Sacramenta, juuentutē & rudiorem plebem in Catechismo diligenter instruant, ægrotantes sedulò visitent, vitam piè & sobriè instituant, vestimentis gravitati suæ consentaneis induantur, & reliqua faciant ab Ecclesiæ Canonibus præscripta. 2°. de delictis *Oeconomorū*; utrùm invigilent, vt omnes parochiani Ecclesias suas diebus dominicis debitè frequentent, ædes sacræ absque sordibus ab ædituis seu ostiarijs mundè conserventur, pecuniarū à se in Ecclesiæ usum expensarum rationē fideliter reddant, in mores hominū inquirant, & scandalosos Ordinario bis in anno denuncient, ac alia sua munera sincerè peragant. 3°. de delictis *Ludimagistrorum*; an suos discipulos

pulos [a] Cathechismum publica authoritate hunc in finem Latinè & Anglicè impressum edoceant, ad Ecclesiam sacro quolibet & festivo die adducant, curent ut ibi se quietè & modestè gerant, & inde reuersos ad examen revocent quid ex concione (quoties haberi contigerit) didicerint, prælegant suis discipulis aliam Grammaticam quàm quæ publica authoritate fuerit approbata. 4 De delictis *Medicorum, Chirurgorum, Obstetricum*; an exerceant non probati, aut in suis functionibus obeundis aliquod sortilegium vel superstitiosum quid admiscent.

a Sic in Ecclesia Alexandrina (ut refert Eusebius lib. 5. cap. 10.) Pantenus, Origenes & alii viri doctissimi scholis Præfecti Catechistæ erant: quos ideò Ambrosius in cap. 4. ad Ephesios vult esse Doctores illic nominatos post Prophetas, Evangelistas, Pastores; cui Chrysostomum Serm. 11. in cap. 4. ad Ephesios, Oecumenium ibid. Augustinum Epist. 59. qui asserunt, Apostolum docentem quæ pastoralis officij essent partes, Idem munus [Pastoris & Doctoris] nominibus designasse, meritò opponamus.

Posterior inquisitio de erratis quorumlibet Christianorum est, an in *pietatem, justitiam*, aut *sobrietatem* delinquant. Et 1. an delinquant in *pietatem*, per blasphemiam, quæ est in ipsum Deum & sacram Scripturam vel Dei Sanctos convitium aut maledictum; temeraria juramenta, non in judicio, justitia, veritate, aut per res alias quàm Dei nomen præstita; idololatriam, concedentem creaturæ honorem debitū creatori; superstitionem tribuentem certis rebus & verborum aut gestuum observationibus, effectus, qui neque rationibus physicis aut politicis neque Dei verbo nituntur: an per sortilegium, divinationes, incantationes, veneficia, legibus Regni civilibus non coercita; Sepultorum in sacratis locis exhumationes, aut ipsorum sepulchrorum violationes; perjurium sive læsionem fidei coram Iudice Ecclesiastico, vel privato alicui in causis Ecclesiasticis præstitæ: an per hæresin, errorem contra articulos religionis in nationali Synodo 1562. & Regia authoritate stabilitos; schismata aut conventicula illicita ad schisma tendentia; absentiam à divinis in propria Parochia diebus dominicis, & festis; abstinentiam illegitimam à Sacræ Cœnæ perceptione, quæ ter quotannis ad minimum percipienda præcipitur; contemptum baptismi, quem Misereantie appellamus; dilationem Baptismi in articulo mortis; contemptum confirmationis Episcopalis; sacrilegium quando non est felonia; negligentiam (si patres aut matres familiâs sint) in non mittendis liberis & famulis suis diebus dominicis & festis, ut à ministris in Catechismo erudiantur, donec eundem perdidicerint; contemptum & desidiam, si liberi & famuli à patribus & matribus familiâs missi ad Ecclesiam ut illic Catechizentur, tempore constituto non compareant: an per incuriam in non subserviendo clara voce ministro confessionem, orationem dominicam & symbolum (corpore tunc erecto) recitanti, in non subjicendo responsa quæ in libro communium precum præcipiuntur, non inclinando genua quando confessio, litania,

tania, & reliquæ preces recensentur, nomen Domini Iesu quoties inter divina inciderit, non congruâ & humili reverentiâ excipiendo, in capite, quando divina celebrantur, contegendo, nisi ex infirmitatis causa contegatur pileolo aut rica: an per immodestos gestus in Templo, obambulationes, pulsationes campanarum, risum, garritum, quemvis strepitum tempore divini cultûs cum quoquo modo perturbantem; demum quascunque in aliis rebus tunc temporis occupationes, quàm in verbo diligenter audiendo, & precibus devotè effundendis: an per venditionem eduliorum à cauponibus & tabernariis, & quorumvis ab illis receptionem in suas cauponas & tabernas; otiosas ambulationes in cœmeterijs & porticibus Ecclesiarum quando sacra fiunt; temerariam & otiosam ratiocinationem de Scripturis & rebus sacris; profanationem dierum sacrorum & dominicorum in publicis nundinis & mercatibus celebrandis, servilibus & manualibus operibus faciendis, officinis venditioni & emptioni destinatis aperiendis: an per convitia aut contumelias in regimen Ecclesiasticum, liturgiam, ritus sacros, formam ordinandi in Ecclesia Anglicana; [a] communem vitæ usum & consuetudinem cum excommunicatis dum in vivis sunt; & præsentiam, in cohonestanda eorum cum mortui fuerint, sepultura: Denique an per profanationem rerum divinis usibus dicatarum, ut sacri calicis, suggesti, patinæ, mensæ Eucharisticæ, baptisterij, & in particulari per profanationem Templi aut cœmeterij quæ fit pugnis, rixis, lictorum violentiis, (quas vulgo dicimus Arrests,) ludis scenicis, spectaculis, conviviis, tripudiis, lustrationibus militum, mercium venditionibus, & aliis negotiis secularibus.

2°. Inquisitio fit, an delinquant in *iustitiam*, per calumniam seu mendacem infamationem, fœnerationem, contumeliam quâ malum culpæ, convitium quo malum pœnæ alicui objicitur in causa aliqua Ecclesiastica; an per Simoniacum ambitum & in eo intercessum ad sacrum ordinem vel beneficium consequendum; temerariam administrationem bonorum defuncti, perjurium in spiritualibus causis & Curiis Ecclesiasticis, subornationem perjurii in iisdem, crimen falsi circa aliquem actum Ecclesiasticum, (ut in literis, ut loquuntur, testimonialibus, & sacrarum ordinationum & institutionum instrumentis) commissum: an per contemptum erga verbi ministrum; violen-

tas

[a] *Qui per publicam Ecclesiæ denuntiationem vitè ab unitate Ecclesiæ præcisus est & excommunicatus* (inquit art. 22. in Anglicana fidei confessione) *ab universa fidelium multitudine, donec per pœnitentiam publicè reconciliatus fuerit arbitrio judicis competentis, habendus est tanquam Ethnicus & Publicanus.* Qui autem cuipiam habendus est tanquam Ethnicus & Publicanus, est (inquit Euthymius in 18. Matth.) *incommunicabilis, cum quo nemo vllam ineat societatem.* Attamen excommunicatio non dirimit officia conjugum conjugibus, filiorum parentibus, servorum dominis, subditorum Magistratibus debita; quod hæc carmina commemorata à glossa in cap. cum deside. ext. de sent. excom. indicant, *Hæc Anathema quidem solvunt, Vile, lex, humile, vos ignorate, mecesse.* Quorum carminum Aqui. 3 p. q. 23. art. 1. hanc brevem tradidit explicationem, *Vile refertur ad verba salutis, Lex ad matrimonium, humile ad subiectionem,* cætera patent.

tas manus ei injiciendo, quibuscunque calumniis, contumeliis, & convitijs eum impetendo; fotum dissidiorum inter maritum & uxorem, patrem & filium, aut quosvis alios; detentionem legatorum, ad usum pauperum, vel quemlibet alium pium usum destinatorum, aut detentionem bonorum ad publicos usus Ecclesiæ; dilapidationem Ecclesiasticorum bonorum & ædificiorum, defectum utensilium in Ecclesia, ut librorum sacrorum, baptisterij, mensæ sacræ, tapetis sericæ vel alterius materiæ decoræ pro ea cõtegenda, cistæ ad eleemosynarum custodiam, pulpiti &c: deniq; an per defectum commodi nitoris & ornatûs in his omnibus quæ parochianorum expensis sunt comparanda.

3°. Quæritur an delinquant in *sobrietatem*, per incestum cum consanguinea, vel affini infra gradus Levit. 17. prohibitos, & in tabula hujus libri calci appositâ distinctè enumeratos; Adulteriũ, tam secundùm Ius Ciuile, cùm aliena vxor violatur, quàm Canonicum ubi maritus etiam cùm soluta mœchatur; stuprũ, cùm vidua corrumpitur; fornicationem, cùm solutus solutam violat; spurcos sermones, cantilenas, rithmos à Musicis vel alijs recitatos; lenocinium & sollicitationem alienæ pudicitiæ, ebrietatem; an per matrimonium initum ante ætatem Ecclesiæ Canonibus constitutam, nempe, quando mas est infra annum 14. Fœmina 12. & priusquam contrahentes rudimenta religionis didicerint; Matrimoniũ clandestinum, vel ratione consensus parentum aut tutorum non adhibiti, testium ultra duos non adhibitorum, trinundinæ Denunciationis non adhibitæ per tres dies dominicales vel festos, temporis & loci si non in parochiali Ecclesia in conspectu congregationis, inter horas octavam & duodecimam, solennizetur.

Hæc sunt summa capita delictorũ de quibus Episcopi in triennalibus suarum Diœceseõn visitationibus instituunt explorationem; & ut illa, si fuerint contra canones perpetrata, detegant ac coerceant, hoc ordine progrediuntur. Primùm Episcopus per sua scripta significat omnibus verbi *Ministris, Oeconomis, Testibus Synodalibus* (de quorum officijs infra cap. decimo dicemus) trium vel quatuor *Decanatuum*, (tota enim Diœcesis plures decanatus complectens adeò ampla est, ut omnes omnium Decanatuum ministri, œconomi, synodales testes commodè vno loco & simul nequeant interesse) ut statuto die & hora in aliqua primaria horum Decanatuum Ecclesia compareant. Cùm autem tempore & loco indictis, Episcopus cum suo Cancellario seu Vicario & Archidiacono sibi assistentibus, ac reliqui ad comparendum moniti convenerint, post effusas apud Deum preces, & concionem ab ipso Episcopo aut exercitato aliquo Theologo habitam de mutuis pastoris in gregem, & gregis in pastorem officijs; omnes coram Episcopo in eminentiori Ecclesiæ parte sedenti se sistunt. Tum Episcopus brevi commemorat Oeconomis & testibus Synodalibus quinam sint præcipui defectus, & quæ crimina, quibus detegendis debent sedulò & fideliter suam operam na-

uare; quàm arctum sit coram Deo conscientiæ vinculum, solenne illud juramentum, quo, sacro codice manu apprehenso & ore deosculato, sanctè spondent se tanquam Deum continuò præ oculis habentes, absque odio, fauore, spe, metu, omnique pravo affectu, cum ardenti zelo ad promovendam pietatem, & impietatem extirpandam, omnes infra suas Parœcias delictorum supra enumeratorum aut *facti euidentiâ*, vel *probabilibus indicijs & vehementi suspicione* aut *publica fama* reos, Ordinario suo detecturos & denunciaturos: & ideò, quâ perhorrescunt tremendas pœnas & maledictiones contentas sacro codice, quas librum manu prehendendo & exosculando, lubenti animo se subituros profitentur, modò peierent; quà chara est iis suæ animæ salus pretioso Iesu Christi sanguine parta: eos seriò hortatur & cum iis acriter instat, ut in gravissimo suo munere fungendo, se verè pios & fideles Dei servos præstent. Deinde, alloquitur verbi ministros, vt cum Oeconomis & Testibus Synodalibus, in criminibus retegendis, operas suas velint communicare, & si hi in suo officio præstando præ timore potentium, aut incuriâ fuerint remissiores, ipsi illa deferant castiganda: si aliqua sint ad publicum Ecclesiæ bonum vel ipsorum functionem spectantia, in quibus insigniter & universim labuntur, vt quàm citò illa corrigant, paulò vehementius hortatur: admonet eos quàm divinam & sacrosanctam habeant vocationem, ad quam instituendam æternus Deus, mortalis homo; Dominus dominantium, servus servorum factus est; & filius è sinu gloriosissimi sui Patris in hanc ærumnarum vallem descendit; cujus unicus finis, est immortalium animarum nunquam peritura salus: quam ideò anhelantes debent sitire; & voce, vita, verbis, operibus, præceptis, exemplo, ignaros instruendo, redarguendo immorigeros, hortando segnes, reducendo errantes, confirmando infirmos, afflictos consolando, omniq; quo possunt nisu, jugiter promovere; ut & ipsi immarcescibilem laborum suorum coronam tandem reportent. Atque his, ita summa cum pietate & gravitate peractis, & certo die præstituto, quo verbi *ministri, œconomi, testes Synodales* suas delictorum detectiones Episcopo vel ejus vicario monentur deferre, solvitur hic sacer consessus. Postquam autem tempore designato, delinquentium nomina & habitationes, secundùm Iuris formulas Episcopo delatæ fuerint; illos accersit, & quorum erratorum accusantur, indicat: quæ si agnoscantur & leviora sint, delinquentes ab eo animo [a] sedato & ex [b] charitatis affectu tantùm increpantur, redarguuntur, admonentur, ut resipiscant, & in posterum fiant cautiores:

a *Medici ossa putrida secturi, non irâ se replent quando curatum eunt, sed tunc maximè tranquillitatem animi servare student, ne fortè arti obsit turbatio. Quòd si curaturis corpus tantâ opus est animi sedatione, Medicum animarum dic quid deceat.* Chrysost. homil. in B. Babylum Martyrem. b *Nunquam alieni peccati objurgandi negotium suscipiendum est, nisi interiùs interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquidò nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere & ad lucrandum fratrem. Quicquid enim lacerato animo dixerit, punientis est impetus, non charitas corrigentis.* August. in Epist. ad Galatas.

res: ſin graviora ſint, nec agnoſcantur, exigit ab accuſatis (ſi fide digni, & veriſimile eſt eos non facilè [a] peieraturos) vt ſuam innocentiam prętito juramento teſtentur. Quòd ſi interpoſito juramento quidpiam aſſerere vel negare recuſaverint, & ad hoc faciendum trinis vicibus ſolenniter rogati pervicaces perſtiterint; ſua taciturnitate tanquam propria confeſſione rei pronunciantur: ſicut Photio in octava generali Synodo, Act. 5. interrogato, an reciperet S. Patrum decreta, & nihil reſpondente; Prędides Concilii denunciárunt illum ſuo ſilentio, condemnationis ſententiam potiùs ſubiturum quàm evaſurum. Et tametſi juramento obſtricti intentatum ſibi crimen repulerint; tamen non dimittuntur inſontes, priuſquam ſuſtinuerint [b] canonicam ſui purgationem, quæ ad ſuperſtitioſas purgationes per duellum, ferri candentis contactum, aquæ fervidæ [c] hauſtum abolendas, à ſacris canonibus prodita, hoc ordine inſtituitur. Epiſcopus ſeu eius Vicarius imperat *reo* ab Oeconomis denunciato, ut ad purgandum ſe à crimine ſibi obiecto, die ſtatuto ad Iudicii locum redeat, & ſecum afferat *Compurgatores* quatuor, ſex, vel octo, ſecundum Iudicis arbitrium, pro loci diſtantia & delicti aut perſonæ qualitate, eorum numerum æſtimantis) ſpectatæ probitatis viros, ſibi vicinos, ſuamque vitam exploratam habentes, qui illum ab hoc delicto immunem eſſe juramento ſuo confirment. Interea Epiſcopus Miniſtro parochiæ, cujus *reus* eſt incola, præcipit, vt per ſex ad minimum dies ante tempus purgationi deſtinatum, hoc ſuum mandatum publicè in Eccleſia, dum ſacra celebrantur, notum faciat omnibus ſuis parochianis, indicans iis tum *compurgatorum* tum *rei* nomina, diemque purgationis; vt ſi aliqui ſint contra hanc exceptiones prolaturi, illas Epiſcopo ejuſve Vicario, tempore conſtituto, exhibeant. Tandem, cum *compurgatores* vnà cum *reo* comparuerint, & iis œconomorum detectiones cum ſingulis illarum circumſtantiis clarè fuerint patefactæ, & *reus* forti animo & conſtanti uramentum *veritatis* prędiderit ſe non cómiſiſſe crimen ſibi intentatum, *compurgatores* etiam juramentum *credulitatis* appoſuerint, quod conſcientiâ ſuâ perſuaſiſſimum habeant, eum verum juraſſe, ſubinde cenſetur

[a] Qui antea in perjurio, aut falſo teſtimonio vel alio ſcelere deprehenſus vel notatus fuerit, ſecundùm canones ad hanc purgationem non debet admitti propter metum perjurii: ſed aliter pro Iudicis arbitrio ſe purgabit.

[b] Sic Sacerdos Num. 5. tametſi zelotypi vxorem cum diris & imprecationibus ad veritatem declarandam adiuraverat, tamen pergit v. 19. 20. 21. & reliqua capitis parte, *aquâ amaritudinis* illam ulterius explorare. Neque huic praxi contradicit Divus Paulus Heb. 5. v. 16. docens *omnis controverſiæ terminum eſſe juſjurandum*; quia loquitur non de aſſertorio, ſed promiſſorio juramento, & de hoc quoque indefinitè, nec cauſam in qua, nec perſonarum numerum per quem præſtandum, vt ſit *controverſiæ terminus*, deſignans.

[c] Nam author eſt Gregorius Turon. lib. 1. de gloria Mart. cap. 69. & 70. olim in uſu fuiſſe vt crimina alicui impoſita & non plenè probata, per examen aquæ purgarentur: qui mos in addit. ad 4. cap. Caroli Magni antiquatur, & lib. ejuſdem Caroli, cap. 5. purgatio, quam hodie dicimus canonicam, reſtituitur, quandoquidem legimus eam in Concilio Agathenſi, Agathæ in Gallia anno 438. celebrato, priùs inſtitutam.

insons. Verùm si reus nullos *compurgatores* queat comparare, aut duntaxat legitimis exceptionibus expositos, sententiâ Iudicis reus decernitur; & ad tempus si crimen eius fuerit publicum totamque Ecclesiam offẽderit,[a] excommunicatur; eiq; per excomunicationẽ humiliato (ut Ecclesiæ [b] satisfiat, & palàm constet illum resipuisse) infligitur publica pœnitẽtia, quæ cum magis fuerit solennis, his ritibus peragitur. Die aliquo dominico, initio matutinarũ precum, pœnitentiam acturus, capite & pedibus nudus, linteo velamine candido à collo ad crura demisso indutus, albamque virgam manibus gestans, stat mœrens & lachrymabundus in porticu Ecclesiæ, illamque intrantium ardentes apud Deum, ut sibi ignoscat, preces humillimè petit. Et cum hoc modo paululũ in porticu substiterit, ipsam Ecclesiam ingressurus se humi prosternit, terramq; deosculatur, & inde elevatus rectà adit templi meditullium, ubi in loco eminentiori unde à tota congregatione possit conspici, & è regione Ministri sacra celebrantis, erectus stans admonetur, quàm tremendum scelus commiserit, quàm Deo exosum & Ecclesiæ scandalosum; quòd offenso Deo nullo alio modo satisfiat, quàm per cruentum Christi sacrificiũ, sibi viva fide applicandũ, nec Ecclesiæ, quàm per humillimam peccati sui agnitionẽ, sincerã testificationem suæ pœnitentiæ, doloris, angoris pro illo perpetrato, non modò verbis & voce, sed lachrymis quàm potest uberrimè effusis; sanctè promittendo tanquam in Dei & Angelorum conspectu, se divinâ gratiâ auxiliante, per jugem Dei invocationem, verbi divini meditationem, assidua pietatis & sanctimoniæ opera, contra mundi tentationes, carnis illecebras, & Sathanæ insidias diligentiùs in posterum vigilaturum. Et hæc pœnitens cum perfecerit,

a Attamen vel in illa Ecclesia in qua severitas maximè viget hujus disciplinæ, impossibile est omnes criminosè impios castigari, sed necesse est quoldam tolerari. *Nam plerique* (inquit author libelli de pœnitentia, qui Augustino ascribitur) *propterea nolunt alios accusare quia se per illos cupiunt excusare. Plerique boni Christiani propterea tacent & sufferunt aliorum peccata, quæ noverunt; quia documentis sæpe destituuntur, ut ea quæ ipsi sciunt, Iudicibus Ecclesiasticis probare possint. Quamvis enim vera sunt, quædam tamen Iudici non facilè credenda sunt, nisi certis indicijs demonstrentur. Nos verò à communione quenquam prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut coram aliquo sive seculari sive ecclesiastico iudice accusatum atque convictum. Quis enim sibi utrumque audeat assumere ut cuiquam ipse sit accusator & iudex? Non enim temerè & quomodolibet, sed per iudicium ab Ecclesiastica communione separandi sunt mali; ut si per iudicium auferri non possint, tolerentur velut palea cum tritico, usque ad ultimum ventilabrum, vel pisces mali cum bonis usque ad segregationem, quæ futura est in litore, hoc est in fine seculi.* Hæc Aug. seu author libelli de pœnit. sub Aug. nominè. Vide etiam August. ipsum de verbis Apostoli, Serm. 22. cap. 6. vel juxta alios, Ser. 24. b *Plerumq; dolor alterius occultus est alteri, cum sit coram illo, cui dicitur, Gemitus meus à te non est absconditus. Rectè* igitur *constituuntur ab his qui præsunt Ecclesiæ, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ in qua remittuntur ipsa peccata.* In Enchirid. cap. 65. Augustin. Non quòd hic unicus sit publicæ pœnitentiæ finis, ut Ecclesiæ pro criminis offensa satisfieret: plures enim alii sunt, & admodum frugiferi Ecclesiasticæ hujus disciplinæ usus; nempe 1. ut hujusmodi spectaculo reliqui absterriti majori cura lapsus vitarent. 2. vt ipsis lapsis sit incitamentum ad veram peccati considerationem, ad magis serium de peccatis dolorem, ad fidem ardentiùs ambientem Dei misericordiam propter Christum. 3. ut publicum exhibeatur testimonium Ecclesiam non docere libertatem seu impunitatem peccandi, & sic propter lapsos non malè audiat inter gentes.

cerit, magna cum adstantium commiseratione, illique minister peccatorum remissionem annunciaverit; ipse totam congregationem per viscera Iesu Christi suppliciter & obnixè rogat, ut sibi gravissimum scandalum, quo illam affecit, condonare, in suam sanctam communionem illum recipere, pro vero Ecclesiæ membro reputare, & in horum testimonium unà cum eo, dominicam orationem alta voce recensere ex Christiana sua charitate dignentur. Atque eadem olim fuit, ferè per omnia, pœnitentium conditio publicam exhomologesin in primæva Ecclesia subeuntium. Authore enim Hieronymo in Fabiolę Epitaphio, *induebant saccum*; referente Sozomeno lib. 7. cap. 16. *seipsos in terram pronos abijciebant, & Sacerdotibus, tanquam in theatro audiente Ecclesiæ multitudine, fassi sunt sua delicta*; Eusebio teste lib. 5. cap. 25. *ipsam Ecclesiam ad commiserandum proclinem lachrymis defluentibus per misericordiam Christi multis precibus*, ad suam cum fidelibus communionem recuperandam sunt obtestati: vt veterum pœnitentiam Tertullianus lib. de pœnitentia verè descripserit *prosternendi & humilificandi hominis disciplinam esse, quæ conversationem iniungit misericordiæ ilicem*. Atq; hic præcipuus est, licèt non unicus finis nostræ Episcopalis visitationis in Anglia; quæ cùm sit ultimum voluntariæ Iurisdictionis in Episcopis membrum, ei jurisdictio illorum contentiosa proximo capite adnectenda est.

Contentiosa Iurisdictio Episcoporum.

CAP. VII.

EPiscopos ab ipsis Apostolis constitutos, in causis Ecclesiasticis contentiosam jurisdictionem ex *iudice, actore, reo, causa controversa*, constantem, in Clericos & in Laicos exercuisse testis sit Timotheus; qui [a] Episcopus Ephesi à Divo Paulo constitutus, ab eo in mandatis accepit, ne *adversùs Presbyterum accusationē*, (ad eum condemnandum non ad inquirendum de eo) *acciperet, nisi sub duobus vel tribus testibus*. Quo canone Apostolico, licèt per *Presbyterū* non intelligeremus cum Chrysostomo quemlibet hominem seniorem, sed tantùm seniorem clericum; tamen laici non excluderentur ab Episcopali Timothei foro, sed potiùs tacitè inclu-

[a] Oecumenius, vbi Paulus ad Timotheum ait, *Petieram abs te vt Ephesi maneres*, adjicit, ἐνταῦθα δὲ αὐτὸν ὀπίσκοπον κεχειροτονήκει, *ibi eum Episcopum ordinaverat*. Hoc ex ipso D. Paulo probabile est, qui 2. Timoth. 2. sic alloquitur Timotheum Ephesi agentem; *Admoneo te ut exuscites Dei donum quod in te est per impositionem manuum mearum*. Neque sibi contradicit, 1. Tim. 1. 4. eundem Timotheum ita hortans; *Noli negligere gratiam quæ tibi data est per impositionem manuum Presbyterij*. Nam hic Presbyterium non est nomen collectivum presbyterorum cœtum sed nomen officij eorum munus designans, & perinde valet (inquit celebris Theologus*) ac si dixisset, *fac vt gratia quam per manuum impositionem accepisti, cum te Presbyterum crearem, non sit irrita*: & *Presbyteri* ac *Episcopi* nomina Act. 20. Phil. 1. sicut, & *Apostoli* ac *Episcopi* Act. 1. 20 &, Ambrosio interprete, Ephes. 4. 11. promiscuè usurpantur.

* Calvin. in hunc locum.

includerentur. Cum enim tria sint genera probationum quibus ab accusatore rei convincuntur, *Indicia seu præsumptiones*, *Instrumenta*, *Testes*, & ultimum censeatur omnium firmissimum; Apostolus (sicut recte infert Ambrosius) innuit Timotheo, vt difficiliùs admitteret accusatores adversus Presbyteros, propter sacram eorum dignitatem, quàm adversus Laicos: nempe tametsi contra hos ob accusationem probatam per indicia & instrumenta; tamen aduersus istos, non nisi accusatione probatâ per testes, sententiam (vt loquuntur Iurisconsulti) condemnatoriam ferret. Neque hujus jurisdictionis amplitudinem diminuerunt subsequentium seculorum Episcopi: plures enim ex iis in Concilio Antiocheno congregati, canone primo statuerunt; *Laicos excommunicatos fore & eiectos ex Ecclesia, si contumelioſius adversus ea quæ in sancta & magna Synodo Nicæna rectè decreta essent, perstiterint.* Et quartum Oecumenicum Concilium 630 Episcopis constans, decrevit; *Si quis laicus in turpibus & nefarijs lucris Simoniaci ambitûs, ad sacros ordines consequendos, mediator apparuerit, anathematizetur.* Si autem Episcoporum cœtus in Laicos universim; possunt etiam singuli in singulos sententiam excommunicationis denunciare, ideóque & eos ad judiciorum examen subeundum adigere; vt delictum quo excommunicationem meriti sunt, confiteantur, aut illius per varia probationum genera rei peragantur. *Nos enim* (inquit August. Episcopus lib. de pœnit.) *in quenquam sententiam ferre non possumus, nisi convictum vel sponte confessum.* Et hoc contentiosum Episcoporum circa causas Ecclesiasticas judicium, Imperatori Iustiniano visum est adeo sacrum; ut Authent. 123. illud aduersùs Iudicum civilium incursus pio hoc decreto muniverit: *Si Ecclesiastica causæ sint, nullam communionem habeant Iudices civiles circa tales examinationes; sed sanctiss. Episcopus secundùm sacras regulas his causis finem imponat.* Hæ autem causæ possunt esse vel de criminibus oppositis pietati in Deum, aut illis justitiæ & temperantiæ partibus, quæ cum pietate arctissimum habent nexum, qualia præcedenti capite enumeravimus, vel de rebus sacris. Res autem sacræ tales indigitantur, aut ratione personarum quarum peculiari usui dicantur, ut beneficia Ecclesiastica, decimæ, oblationes, quibus aluntur Ecclesiæ pastores; aut propter actiones quibus inserviunt, vt sacræ ædes & cœmeteria in quibus Dei cultus celebratur & administrantur Sacramenta; aut respectu suæ primæ institutionis, vt Matrimonium à Deo ipso in Paradiso ordinatum, & Christi præsentiâ ac primo miraculo ornatum; aut ex innata sua conditione, quales sunt ultimæ defunctorum voluntates seu testamenta. Nam hæc, quamvis Ethnicorum, semper habita fuere sancta & inviolata; quantò magis sacra censenda sunt testamenta Christianorum, qui in iis animam Deo, corpus sub spe beatæ resurrectionis loco sacrato, bona egenis Christi membris legare solent? Atque Episcoporũ in Anglicana Ecclesia jurisdictio, sub supremo Regiæ Majestatis

jestatis jussu & imperio, in has omnes sacras causas & alias illis vicinas se extendit; quæ ad hæc capita, & hunc in ordinem redigantur. Causæ, civiles sunt vel criminales. In *civilibus*, *Actor* persequitur ipsum jus & interesse, vt satisfactio fiat de damno vel injuriâ allatâ: in *criminalibus*, *Accusator* aliquod crimen judici defert propter publicam punitionem, & in communem plurium vtilitatem, qui metu pœnæ à scelere coercentur. Et quando *Actor* persequitur ipsum jus seu interesse, hoc potest esse vel publicum, vt cum actio intenditur pro cõtributione in reparationem Ecclesiæ & cœmeterij insumendâ, & pro acquisitione alicu jus rei quæ desideratur in Ecclesia; vel privatum cum ius petitur in causis *Matrimonij*, *successionis in bona defuncti*, & in causis *Ecclesiasticorum iurium*.

Ius autem in causis *matrimonij* diversimode petitur. 1. Ad illud *conciliandum* vel per *actionem directam*, ut juxta contractum celebretur; & post celebrationem, quando alter conjugum alteri vi vel dolo aufertur, ut restituatur, & quando alter alterius asperitate cogitur discedere, denuo recipiatur, humanius tractetur, & ei præstentur obsequia conjugalia: vel per *actionem contrariam*, veluti quando intendimus actionem *iactationis* matrimonii contra eum, qui falso iactat contractum matrimonialem intercessisse in prejudicium nostrum. 2. Ad matrimonium *supportandum* quando post nuptias agitur de legitimis vel illegitimis natalibus, & de pecunia in dotem cum sponsa promissa. 3. Ad matrimonium *dissolvendum* quoad præsuppositum vinculum, ob defectum consensus ex metu, ex ætate infra 14. maris, & 12 fœminæ annos, vel ex personæ ignorantia; ob precontractum alterutrius cum alio matrimonium, frigiditatem perpetuam & incurabilem, consanguinitatẽ vel affinitatem contractam per concubitum licitum aut illicitum. Vltimò ad matrimonium *separandum* secundum thorum & mensam, vel propter adulterium, vel propter nimiam sevitiam: & in separatione ex hac posteriori causa peractâ, agitur ad comparandum alimoniæ sumptus, quibus uxor in quam sævitum est, se sustentet.

Ius *successionis in bona defuncti* petitur, cum testamento ab eo condito, agitur ad illud exhibitum probandum vel improbandum; vel ad legatum aliquod consequendum: & si aliquis mortuus sit intestatus aut quasi intestatus, (quod fit cum nullus sit, qui onus executionis testamenti in se suscipere velit) ad consequendam administrationem, aut contra temerarium administratorem.

Causæ *Ecclesiasticorum iurium* sunt decimæ prediales, personales vel mixtæ; oblationes debitæ pro consuetudine in qualibet anni quarta vel aliis temporum vicibus, in baptismis, matrimoniorum benedictionibus, gratiarum actione à puerperio, sepulturis; mortuaria etiam, impensæ ob dilapidationes ædificiorum Ecclesiasticorum per predecessorem factas, pensiones indemnitatis vel visitationis ratione plerumque præstandæ,

Syno-

Synodalia, ſalaria ex cauſis extrajudicialibus, Curatis & Ædituis debita; denique jura beneficij vel *acquirendi*, cùm præſentatum Ordinarius abſque legitima cauſa rejicere videtur; vel *retinendi* contra Ordinarium aliumve quemlibet, qui beneficio ejuſve poſſeſſione abſque legitima cauſa nos ſpoliatos volunt; vel *recuperandi* contra Ordinarium, qui minùs juſtè nos ſpoliaſſe beneficio ejuſve fructibus videtur, & contra quemlibet alium, qui in noſtrum beneficium intruſit ſe propriâ authoritate aut prętenſâ Ordinarij admiſſione. Proceſſus in his omnibus cauſis dijudicandis, non ad libitum Iudicis, ſed ad Iuris Canonici jure Cæſareo adaucti & peculiaribus noſtræ Eccleſiæ Conſtitutionibus à fæcibus expurgati, amuſſim formatus, primùm inchoatur vel à *vocatione Rei* in jus per *monitionem* factam ei præſenti à Iudice; vel per *citationem*, quandoque perſonaliter, aliquando viis & modis pręſtitam; nempe denuntiando illam publicè in Eccleſia parochiali, aut ad locum ſolitæ habitationis *rei* affigendo. Hanc *citationem* ſequitur litis *conteſtatio*, quæ proprie fit quando certum aliquid ita ab actore affirmatur & reo negatur, ut inde ſtatus cõtrouerſiæ, ſive facti, ſive juris neceſſariò emergat. Et, ſi controverſia juris eſt, legibus Eccleſiaſticis ſuprà capite ſecundo deſcriptis: ſi facti, partim probationibus per *teſtes*, *Inſtrumenta* authentica, privata, originalia vel tranſumpta; per indicia levia, probabilia, violenta; partim legitimis in hæc omnia exceptionibus dirimitur. Et quoties graviores cauſæ, quas vocant *plenarias*, præſertim in Curiis Archiepiſcopalibus occurrunt; in his probationibus & exceptionibus examinandis, ab Advocatis utriuſq; Iuris peritiſſimis, non modò Canonici ſed ipſa Iuris Cæſarei penetralia ex Menochio de *præſumptionibus*, Farinachio de *teſtibus*, Maſcardo de *probationibus* aliiſque doctiſſimis Iuriſperitorum de iiſdem argumentis voluminibus, tanquam media Iudicem dirigentia, promuntur affatim & ſumma cum accuratione ventilantur. Quibus vltimo loco, definitiva Iudicis ſententia ejuſque executio ſubnectuntur.

Et hæc de Eccleſiaſticis cauſis, quas appellant *civiles*. Sequuntur *criminales* præcedenti capite ſigillatim enumeratæ; de quibus in Eccleſia Anglicana, ordinariâ Epiſcoporum authoritate (de qua ſolùm impræſentiarum verba facimus, & non de ſuprema & immediata poteſtate Regia, qua ordinantur Eccleſiaſtici proceſſus, *ſecundùm*, ut dicunt, *tenorem literarum patentium* ab ea manantium) judicium variè inſtituitur; per viam *Accuſationis*, *Denuntiationis*, vel *Inquiſitionis*. Per viam *Accuſationis*, quando quis ſuſcipit ſe crimen contra accuſatum probaturum, & hunc in finem teſtes producit, à judice citandos & examinandos. Per viam *denunciationis*, cum Oeconomi qui publici ſunt miniſtri ad munus ſuum fideliter obeundum jurejurando obſtricti, qualibet triennali Epiſcopi viſitatione, & per binas vices annuatim, judici Eccleſiaſtico delicta detegunt: ſed probationis onus, quia præſumuntur quicquid hac in re faciunt, non odij & malevolentiæ

lentiæ sed fidei suæ liberandæ causâ fecisse, minimè subeunt. In utroque judiciali procedendi modo, non necessariò præcedere debet privata accusati vel denunciati admonitio, Matth. 18. præscripta. Nam peccata quædam *Indiçijs, famâ, facti* (ut loquuntur) *notorietate*, vel alijs mediis in aliqua vicinia aut communitate publica sunt; quædam privata & non aliquo horum modorum patefacta. Et hæc rursum vel tantùm afferunt dispendium ei in quem peccatur, aut cedunt quoque in aliorum damnum, & suâ naturâ instar pestis sunt subitò contagiosa; cujusmodi sunt schisma, & hæresis quæ *serpunt ut cancer*: quia eorum patroni omni quo possunt nisu, ubique sua zizania satagunt seminare, *ut post se discipulos abducant*. Peccata quando privata sunt, & ei solum sunt detrimento in quem peccatur, (*si in te peccaverit*;) delinquentes, ut monet Christus, privatim *arguendi* sunt (nisi ex aliqua circumstantia, prudenti constiterit eos hujusmodi correptione fore nequiores,) antequam [a] Ecclesiæ, id est, (Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio Interpretibus) *Ecclesiæ* [b] *Præsidibus ac Præsulibus*, Euangelicè [c] denunciantur. Quoniam sicut Medicus si fieri potest, ægrotum sine alicujus membri amputatione sanat: sic charitas Christiana salutem fratris studet promovere absque famæ jacturâ, *ne* (ut Hieronym. in 18. Matt. admonet) *si semel pudorem & verecundiam amiserit, permaneat in peccato*. Sed tametsi delicta sint privata, tamen si aliis sint perniciosa & virus suum citissimè diffundant, absque ulla prævia delinquentis admonitione, Ecclesiastico Iudici per accusationem vel denuntiationem illico deferuntur. Spiritualis enim plurium pernicies, cui hac denunciatione vel accusatione remora injicitur, majus damnũ est, quam unius hominis famæ jactura. Et si hujusmodi occulta peccata; multò magis famâ, indiciis aliisve mediis propalata, nulla privata monitione præeunte, Ecclesiasticis præsulibus, iisdem modis deteguntur. Reus enim, crimine ejus jam divulgato, hac detectione nullam famæ jacturam patitur, & publicâ criminis vindictâ ac punitione scandala auferuntur infirmis, & improbi â peccando deterrentur. Divi Pauli ad Timotheum Ephesi Episcopum præceptum hoc est; *Peccantes* peccatis manifestis (ut hunc locum

a Sic Augustin. tractat. 50. in Ioan. his verbis; *Si hoc* (nempe Tibi dabo claves, &c.) *Petro tantum dictum sit, non facit hoc Ecclesia*: sub *Ecclesiæ* nomine rectores Ecclesiæ, Petrum & cæteros Apostolos eorumque successores complectitur; quibus unà cum Petro hanc potestatem à Christo donari voluit, secutus Ambrosium lib. de dig. sacerd. cap. 6. dicentem: *claves illas regni cœlorum in beato Petro Apostolo cuncti suscepimus sacerdotes.*

b Per Ecclesiæ præsules Chrysostomus non intelligit tantum illorum cœtum, sed etiam singulos seorsim. Nam homil. 61. in Matth in hæc verba; [*Amen dico vobis quicquid ligaveritis in terra*,] verbis, [*Dic Ecclesiæ*,] proximè subnexa, ita scribit; *Non dixit Præsuli*, (numero singulari) *vinculis istum constringe; sed si ligaveris, hæc vincula indissolubilia manent.*

c Secundùm scholasticos & Canonistas, est vel Euangelica denuntiatio qua crimen denuntiatur Prælato tanquam Patri ad proximi delinquentis emendationem; vel denuntiatio judicialis, qua crimen deferitur Prælato tanquam Iudici ob publicam ejus punitionem: non in hac sed in illa, ordo Matth. 18. a servatore præscriptus, observandus est.

locum Augustin. 16. Serm. de verbis Domini interpretatur) *coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant.* Tertius modus instituendi judicium Episcopale in Ecclesia Anglicana, est per specialem *inquisitionem* contra certam personam: in qua Episcopus vel alius Iudex Ecclesiasticus, ne deficientibus accusationibus & denunciationibus, delicta impunita maneant in gravissimum Ecclesiæ detrimentum; *ex officio suo* vel interrogat alias personas ex eadem vicinia cum *reo*, de ejus crimine, illarum informationes & testimonia contra eum assumendo; vel sciscitatur ipsum *reum* de suo delicto, ut illud in judicio detegatur & detectum censuris Ecclesiasticis castigetur. Alias personas interrogat, cùm crimen prius fuerit (ut dicunt) notorium, aut criminis perpetrati fama, indicia ex quibus fama statim est secutura, aliave legitima ejus retegendi media *per clamosam insinuationem*, id est, frequentes hominum fide dignorum sermones, ad ejus aures delata præcesserint. Nam quivis Iudex tenetur bono publico consulere cum minimo bonorum cujuslibet privati hominis dispendio, quibus prou. 24. 1. bonum nomen præcipuè accensetur, quod haud parum lædituꝛ, cum de aliquo apud alios fit inquisitio, tametsi postea insons appareat. Ipsum *reum* etiam, interpolito ad veritatem declarandam juramento, modò sit verisimile eum non pejeraturum, de suo delicto sciscitatur; cùm delicti fama, manifesta indicia, & reliqua illud detegendi media, duobus testibus fuerint comprobata: idque jure, quando enim rei crimen per famam, indicia aliave media quadantenus sit detectum; tum *reus*, illud prodendo, ipse se minimè accusat, sed ab his, divinâ justitiâ res ita ordinante ac disponente, potiùs accusatus est: & ideò ad gloriam & justitiam Dei clariùs manifestandam, crimen perpetratum sincerè & apertè confiteri obstringitur. Achani scelere Iosuæ 7. quadantenus cœlitus patefacto, dicit Iehosua Achano; *Fili mi tribue nunc gloriam Iehova Deo Israelis, & ede ei confessionem, & enuncia mihi quid feceris.* Et in hoc genere judicialium processuum, Episcopi aliique Iudices Ecclesiastici habent totius mundi Iudicem, quem imitentur. Nonne à Deo, Genes. 18. actum est contra Sodomitas per *inquisitionem*, sola in sacro contextu, post perpetrata scelera, famâ præeunte? *Clamor Sodomorum* (inquit Deus) *cum multus sit, descendam & inquiram an secundùm clamorem qui pervenit ad aures meas, omninò faciant.* Similiter Genes. 3. idem tremendus Iudex tantùm ex præcedentibus, in contextu sacro, primæ inobedientiæ indiciis, egit contra Adamum, eum interrogando & examinando. Cum enim levi quodam Dei per hortum adventantis strepitu audito, se abscondisset a facie Dei, & inter densas arbores delituisset (quæ fuere conscii animi indicia) *Deus inclamavit ad illum; ubi es?* Interrogationes ei proposuit; *Quis indicavit tibi nudum te esse? An de fructu vetito comedisti?*

Quæ

Quæ à Moſe cum humanitùs, & per alluſionem ad conſuetudines judiciorum inter homines, de Deo dicantur, & in ſacris Scripturis Deus nuſquam humanitùs perhibeatur iniquè egiſſe; hominum judicia eodem ordine inſtituta, æquiſſima eſſe teſtantur: quamvis Eccleſiaſtica judicia non ita hominum ſunt, quin ut *ea ſumma futuri judicij præiudicia eſſe* in Apologetico doceat Tertullianus; quod illorum præſidibus, ad iſtius ſeveritatem, ſinceritatem, æquitatem, juſtitiam æmulandam, acuminata calcaria admovere deberet.

De Cathedralibus Eccleſijs.

CAP. VIII.

QVemadmodum in civili, ſic in Eccleſiaſtico regimine unaquæque Ciuitas ſuum habuit territorium, quod Iuriſconſultis eſt *univerſitas agrorum intra fines uniuscuiuſque ciuitatis*; & in Conciliis & hiſtoria Eccleſiaſtica *Parœciæ* nomine ſignificatur. *Quæ ſunt in unaquaque Eccleſia* (inquit Concilium Chalcedonenſe canon. 16.) *rurales parœciæ aut regionales, inconcuſſa apud eos maneant qui illos tenent, Epiſcopos.* Cum verò in his cujuſque urbis parœciis & territoriis eſſent multi vici, & minora oppida, his ſingulis ſinguli, ſed ipſi urbi plures presbyteri præficiebantur: & hi, à Concilio Ancyrano canon. 13. *Presbyteri urbis* nominati, illis, quos idem Concilium *Regionarios Presbyteros* vocat, ita præeminebant dignitate; ut *regionarii Presbyteri in Dominico civitatis offerre non potuiſſent præſente Epiſcopo & Presbyteris urbis, neque panem dare in oratione neque calicem.* Et quandoquidem Epiſcopi ex antiquiſſimâ Eccleſiæ praxi & tandem Sardicenſis Concilii Canone ſexto, *non in vico aut modica civitate, cui ſufficiebat unus Preſbyter*, ſed in urbibus celebrioribus, ad quas verbo vitę paſcendas plurium Presbyterorum exigebantur operæ, conſtituti, memores erant moniti Solomonis, *Salus eſt in multitudine conſiliariorum*; hos urbium Presbyteros, in gravioribus Eccleſiæ negotiis, ſæpius ad deliberandum ſibi adſciverunt. Cornelius Epiſcopus Romanus ac Cyprianus Epiſcopus Carthag. in ſuis Epiſtolis, teſtantur ſe in iis quæ ad ſuarum Eccleſiarum adminiſtrationem pertinebant, uſos eſſe conſilio ſuorum [a] Presbyterorũ, quos ideò Hieronymus ad Ruſticum, *Senatum Eccleſiæ* appellavit. Quia autem frequentes erant harum conſultationum occaſiones, Auguſtinus Epiſcopus Hipponenſis cum

[a] Hi Presbyteri qui non ſolum Epiſcopo in Eccleſiæ regimine aſſiſtebant, ſed etiam verbum prædicabant & Sacramenta adminiſtrabant, erant *ſeniores Eccl ſiæ; ſine quorum* (inquit Ambroſius) *Conſilio*, non ſine quorum authoritate, *nihil* ad publicum Eccleſiæ bonum ſpectans, *agebatur in Eccleſia.* Vnde Cyprianus cum Clerum ſeditioſum habuiſſet, & plebem partium ſtudioſam, etſi ad utriuſque benevolentiam concilandam, Epiſt. quinta profite-

Epiſt.

retur, *a primordia sua Episcopatus se statuisse nihil sine eorum consilio & consensu sua privatim sententia gerere* : tamen Epist. 69. omnium hæreseôn & schismatum fontem indicans, ait; *unde Schismata & hæreses ortæ sunt & oriuntur, nisi dum Episcopus qui unus est* (in unaquaque Ecclesia, & ideo solus authoritate) *præest, superbâ quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur?* Vide quoque Cypriani Epist. 55. & ejus librum de vnitate.

Epist. 137. multos sub se Presbyteros haberet; ex illis (ut Possidius, in ejus vita refert) quasi collegiũ instituit Clericorum, *qui cum ipso semper una etiam domo ac mensa sumptibus communibus alùti & vestiti sunt*, & quos Epist. 110. vocat *Collegas*, quorũ in gubernandâ Ecclesiâ operâ utebatur. Hunc Ecclesiæ Senatum, & hoc Collegium, nostræ Ecclesiæ Cathedrales aliquo modo referunt, atq; in præcipuis imitantur. Nam in hisce Ecclesiis plura sunt membra: 1. *Lectores Epistola & Evangelij*, 2. *pueri et viri* **Symphoniaci*, qui Regiis injunctionibus tenẽtur *hymnos in Dei omnipotentis laudes cantare iis modulationibus, ut ipsæ hymnorum sententiæ una intelligantur.* 3. *sunt subcanonici, sive vicarii chorales*, matutinis & vespertinis precibus publicè in choro quolibet die celebrandis, frequenti Eucharistiæ administrationi servientes, & per Canones *ne ignavi in otio vitam ducant, studio scripturarum incumbẽtes.* 4. *sunt Canonici seu Prebendarij*, quorum in antiquioribus Ecclesiis aliqui sunt non *Residentiarij*, sedes habentes in choro, sed non suffragium in Capitulo, & secundùm Ecclesiarum suarum consuetudines, statis vicibus concionantes; alii *Residentiarij*, qui tum sedent in choro, tum ferunt suffragium in Capitulo, ac quibus toto necessariæ suæ *residentiæ* tempore incumbit, ut sint hospitales & non modò in Cathedrali Ecclesia cujus sunt Canonici, sed in aliis etiam Ecclesiis ejusdem diœceseos, unde ipsi vel ipsorum Ecclesiæ aliquod vectigal seu annuos reditus percipiunt, Euangeliũ diligenter annuntient. Postremò, in Cathedralibus Ecclesiis antiquæ fundationis, sunt Officiarii, ut *Thesaurarius, Præcentor, Cancellarius, Subdecanus* (quorum varia sunt juxta diversarum Ecclesiarum statuta munera.) Et his omnibus præest Decanus, qui *nonaginta dies ad minimum singulis annis in Ecclesia sua Collegiata residere, per totum hoc tempus verbum divinum sedulò prædicare, hospitalitatem exercere, festis solennibus (si ad hoc peragendum præsens non fuerit Episcopus) decenti capa amictus sacram cœnam administrare* canonibus obstringitur. Iam verò Episcopus hunc Decanum, & aliquos ex Canonicis & Officiariis recensitis, in Presbyteris & Diaconis [a] ordinandis & à beneficio vel officio [b] removendis, in colloquiis cum inquietis & turbulentis schismaticis ad eos in ovile reducendos & sedandos, in præfractis hæreticis juridicè condemnandis,

*Cantores sacri in Concil. Laodiceno, can. 22. & 23. inter eos qui sunt ecclesiastici ordinis, recensentur.

a *Presbyter* (inquit Concilium Carthag. 4. Canon 3.) *cum ordinatur, Episcopo benedicente & manum super caput tenente, etiam omnes Presbyteri assistantes manus suas iuxta manum Episcopi super caput illius teneant*, Cui concinunt Ecclesiæ Anglicanæ Canones decernentes, Presbyteros & Diaconos ordinandos, *assistente non solum Archidiacono, sed Decano & duobus ad minus Prebendarijs, aut (illis legitimè detentis) quatuor alijs gravioribus personis, qui Magistri Artium ad minimum extiterint, & pro legitimis concionatoribus legitimè approbati fuerint.*

b Canon est Ecclesiæ Anglicanæ, ut Episcopus sententiam

demnandis ac anathematizandis, in ſententia excommunicationis ſolenniori adverſus facinoroſos & infames peccatores denunciandа, & in aliis Eccleſiæ publicis & maximi momenti negotiis tranſigendis, ſibi aſſociat. Neque Eccleſiæ Cathedrales Epiſcopis tantùm in regimine ſuppetias ferunt; ſed cùm ſuas ſedes habeant in urbibus, ad quas totius diœceſis miniſtri quandoque confluunt, quarum incolæ ſæpius ſupra rudioris plebis captum literati ſunt & ſalutari religionis notitiâ imbuti, in quibus plures pauperes & egeni, & non pauci infirmi ac devoti ſenes laboribus & occupationibus prorſus inepti; his omnibus maximo ſunt uſui & emolumento. Miniſtris verbi per Epiſcopales diœceſes villarum & oppidorum curæ præfectis, ſi quæ in legendo aut cum aliis diſſerendo occurrunt dubia; à Cathedralium Eccleſiarum Decano & Canonicis qui ruralibus Presbyteris eruditione præcellerent, illorum enodationem petunt; ciues ad ſolidum verbi cibum percipiendum præparati, Decani & Canonicorum accuratioribus concionibus erudiuntur; pauperum viſcera illorum hoſpitalitate refocillantur; & decrepiti ac pii ſenes Sacra in his Eccleſiis frequentiùs celebrata adeundo, majori ſui cum ſolamine vitam tranſigunt.

depriuationis vel *depoſitionis* pronunciet, *adhibitis Cancellario, Decano, & aliquot Prebendarijs Cathedralis Eccleſiæ, ſi prope illam Curia teneatur; vel Archidiacono alijſq; ad minus duobus grauibus Miniſtris, concionatoribus.* Hæc forma deponendi vel depriuandi Preſbyteros propè accedit ad præſcriptum Concil. Hiſpalen. 2. can. 6. *Epiſcopus Sacerdotibus ac miniſtris ſolus honorem dare poteſt, ſolus auferre non poteſt.*

De Epiſcoporum in Eccleſia Anglicana Cancellarijs, Archidiaconis, & Decanis ruralibus.

CHAP. IX.

DIvina ſapientia per Dei amanuenſes, Prophetas & Apoſtolos ſcriptis mandata (Pro. 2.) docet *omnem orbitam bonam*, ducentem ad vitam æternam; & *tota Scriptura* (2. Timoth. 3.) *diuinitùs eſt inſpirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem quæ eſt in iuſtitia: vt perfectus ſit*, non modò quivis è fidelium grege, ſed *homo Dei*, id eſt Propheta, (2. Reg. 5.) Paſtor. (1. Timoth. 6.) *ad omne opus bonum*, æternæ ſalutis adeptioni neceſſarium, *perfectè inſtructus*. Nam verbis proximè præcedentibus Apoſtolus aſſeruerat ipſum Timotheum *ſacris literis poſſe reddi ſapientem*, non omnimodò; ſed *ad ſalutem*. Hinc multa ſunt Eccleſiæ uſui quandoque commoda, ſine quibus ſalutem & vitam æternam conſequamur, in ſacra pagina minimè exarata; quæ ideo non divinâ ſolo verbo ſcripto ſuffultâ, ſed humanâ fide (qua etiam renitente ac reclamante quicquid agimus peccatum eſt, Rom. 14.) prudentum & piorum virorum au-

thoritati aut naturæ lumini tantum innixâ, vera & licita eſſe credimus. Hujus generis plura occurrunt in Chriſtianæ Eccleſiæ politia, quæ (ſicut in Iudaïca fuit Eccleſia infra anguſtos unius regionis fines concluſa) non poteſt eſſe in quibuſdam minutioribus circumſtantiis ubique una, propter immenſam varietatem regionum, Nationum, Rerumpublicarum, per quas diffunditur. Vnde, etſi *Moſes* (Heb. 3) *fidus in tota Dei domo tanquam famulus*, ferè minutiſſima quæque ad Eccleſiam ſub veteri Teſtamento gubernandam tradiderit; tamen Chriſtus qui magis fidus eſt *ſuper Dei domum ſicut filius*, e uſq; Apoſtoli ſub novo Teſtamento tantùm generalia & magis neceſſaria jecerunt Eccleſiaſtici Regiminis fundamenta: reliqua verò diverſis gentibus & Regnis, ſecundùm diſpares illorum conſuetudines adaptanda, particulariũ Eccleſiarum prudentiæ permiſerunt. Tertullianus lib. de fuga in perſecutione, tantùm tres ordines, quibus Eccleſia regitur, tanquam à Chriſto ejuſque Apoſtolis conſtitutos, recenſet. Et longè poſt eum Optatus; *Quatuor* (inquit) *ſunt genera* (divinâ nempe inſtitutione) *capitum in Eccleſia, Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum & fidelium.* Verùm Chriſtianis poſteà Eccleſijs, & unà Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum occupationibus auctis; unum idemque munus in plura diſpartitum eſt, & alii Clericorum ordines Eccleſiaſticâ authoritate ſunt invecti. Hinc enim, *Eccleſidici* ſeu Epiſcoporum *Ecdici* Concilii Chalcedonenſis canone ſecundo, *Archidiaconi* apud Hieronymum ad Evagrium, *Periodeutæ* Concilii Laodicæni canon. 56. *Chorepiſcopi* Concilii Nicæni canon. 8. Denique in Decretis Gratiani, ex antiquis Patribus & Conciliis conſutis, *Archipresbyteri urbani & Regionarij* emanârunt: quorum præcipua munera, Epiſcoporum hodie in Eccleſia Anglicana Cancellarii, Archidiaconi & Decani rurales adminiſtrant. Etenim Cancellarii utriuſque juris periti, Epiſcopis in audiendis Eccleſiaſticis cauſis contentioſæ juriſdictionis præcipuè ſunt adjumento; cujuſmodi officio antiquitus fungebantur *Eccleſidici* ſeu Epiſcoporum *Ecdici*, quos doctiſſimus Gotofredus in annotationibus ad Codicem de Epiſcopis & Clericis, ex Papia colligit *fuiſſe Defenſores & adiutores Epiſcopi nulli certo loco deputatos, eiuſque vicem* in hujuſmodi negotiis *impleniſſe.* Archidiaconorum officium in Eccleſia Anglicana, eſt primò (ſicut & Gregorii Magni ætate, ut ex ejus lib. 1°. Epiſt. 10. licet colligere) curare bona Eccleſiæ, inquirendo de ejus ſartis tectis & ſupellectile: deinde more veterum *Periodeutarum* (quos ſcribit Balſamo in explic. canon. 56. Concilii Laodicæni, olim *circumcurſaſſe & ſpiritualia delicta obſeruaſſe*) *inquirere de exceſſibus Eccleſiaſticis*, & graviora quæque referre ad Epiſcopum, cujus hac ratione *Oculi* appellantur. Poſtremò Presbyteros admiſſos ab Epiſcopo ad *titulum* beneficii, in ejus *poſſeſſionem* deducere; & reliquam

prout

prout *præſcripſerint*, juriſdictionem Eccleſiaſticam exercere. Decani rurales veteris Eccleſiæ Chorepiſcopis & Archipresbyteris *Regionariis* haud diſſimiles, ab Epiſcopis qui illos eligunt, plerunque adhibentur, ad convocandum Clerum, ad ſignificandum Presbyteris & Diaconis infra ſuos *Decanatus* non nihil (ut fit) per literas, ad inducendum in beneficia vice Archidiaconi remotius agentis. Atque hæc omnia conducunt ad Eccleſiæ regimen in foro exteriori: in interiori conferunt verbi prædicatio & Sacramentorum adminiſtratio per miniſterium presbyterorum, de quibus agemus capite ſubſequenti.

De Presbyteris, Diaconis, Oeconomis, Teſtibus Synodalibus, Ædituis.

CAP. X.

VOcatio Presbyterorum *externa* vel *interna* eſt, quæ non conſociantur perpetuò; ut ſacri miniſterii efficaciam à Dei inſtitutione, & non miniſtrantium dignitate manare diſcamus. *Interna* illorum eſt quos Deus ad ſacrum miniſterium idoneos fecit, donando illis facultatem & ardens deſiderium promovendi regnum Dei, Deumque glorificandi per doctrinæ cœleſtis promulgationem, ſacramentorum adminiſtrationem, & Chriſtianæ vitæ ſanctimoniam. *Externa* verò bipartita eſt, cum ſit vel ad ipſum ſacrum miniſterium, vel certum locum quo miniſterium exerceatur. Atque hæ duæ vocationes externæ licet ut plurimùm conjungantur, ſecundùm primævæ & Eccleſiæ Anglicanæ Canones, quibus cautum eſt neminem *ſine certo* [a] *titulo & deſignato muneris ſui exercendi loco ordinandum*: tamen quandoque, ſicut olim in primæva, ſic hodie in Anglicana Eccleſia, aliqui vocantur ad miniſterium certo miniſterii ſui loco minimè deſtinati; ut *Socii Collegiorum & ante quinquennium Artium Magiſtri propriis ſumptibus degentes in Academijs*: & ideò de his duabus vocationibus ſeparatim agemus, à vocatione ad miniſterium auſpicantes.

a *Nemo abſolutè ordinatur nec Presbyter, nec Diaconus, nec quilibet omnino eorum qui ſunt in ordine Eccleſiaſtico; niſi ſpecialiter in Eccleſia Civitatis aut vici, aut in Martyrijs vel monaſterijs* (quæ teſte Poſſidio de vita Auguſt. cap. 11. Seuero Sulpitio de vita Martini. cap. 11. Hieronim. Epiſt. 4. ſicut & utriuſque apud nos Academiarum Collegia, olim erant ſeminaria ad miniſterium Eccleſiæ amplificandum. Et ideo Eraſm. lib. 2. deſcript. Britan. cap. 6. comparat noſtrorum Academicorum vivendi rationem & modum, priſco.um Monachorum præſcriptis & inſtitutis) is *qui ordinandus eſt pronuncietur*. Concil. Chalcedon. canon. 5.

Quamprimùm Chriſtus paſſione ſua & morte peccatorum pretium ſolverat, ſuis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus (Ioan. 20.) donavit poteſtatem remittendi peccata hoc ritu, his verbis; *Inſufflavit iis, & dixit iis,*

Accipite Spiritum ſanctum: quorũ remiſeritis peccata, remittuntur iis; quorum retinueritis, retenta ſunt. Primum (ut docet Auguſt. lib. 4. de Trinitat. cap. 20.) *afflauit eos* ut oſtenderet ſe, quâ Deus eſt, authorem fuiſſe Spiritûs ſancti, quẽ illis daturus erat, ſicut quâ homo ſenſibilis flatûs quẽ ore ſuo exhalauerat. Deinde per *Spiritum ſanctum* Hier. Epiſt. 150. ad Hedibiam, intelligit *Spiritûs ſancti gratiam*; & per Spiritus ſancti gratiam Chryſoſt. (Hom. 85. in Iohan.) *poteſtatem & ſpiritualem gratiam remittendi peccata*; quod verba [*quorũ remiſeritis peccata &c.*] quæ Chriſtus per exegeſin immediatè ſubjunxit clare demonſtrant: ut lib 1. de pœnitent. cap. 2. verè dixerit Ambroſius; *Qui* (in ſacra nempe ordinatione) *accepit Spiritum ſanctum, accepit poteſtatẽ peccatum ſolvendi & ligandi*: non proprie ut Deus, qui ſolus *delet iniquitates*; ſed quia accepit poteſtatem utendi medijs quibus Deus remittit peccata. Media autem illa ſunt Sacramentorum adminiſtratio, publica remiſſionis peccatorum denunciatio pro concione, in pœnitentium exomologeſi, vel poſt generalem totius Congregationis confeſſionem; & privata denique remiſſionis peccatorum denuntiatio in ægrotis viſitandis & afflictis conſcientiis conſolandis. Nam non modò proprium & peculiare munus erat olim Apoſtolorum, aut hodie eſt Presbyterorum (quoad miniſterialem remittendi peccata poteſtatem in foro conſcientiæ) Apoſtolis ſuccedentium, Sacramenta adminiſtrare, & pro cõncione, in exomologeſi, vel poſt unanimem totius Congregationis confeſsionem, remiſſionem peccatorum denunciare publicè: ſed etiam in ægrotorum viſitatione, & afflictarum conſcientiarum conſolatione privatim. Nuſquam in ſacra Scriptura cuiquam credentium præterquam Apoſtolis, & illorum ſucceſſoribus, Epiſcopis & Presbyteris, ſpecialis facta eſt promiſſio de efficaci per eum remiſſionis peccatorum denunciatione ne privatim quidem. Immò hujuſmodi denunciationis poteſtas, particulari Dei mandato in verbo ſuo ſcripto, fidelium nemini niſi Presbyteris conceditur. Solis [a] Apoſtolis (quibus in hoc ſacro munere ſurrogantur à Deo ſoli Epiſcopi & Presbyteri) Chriſtus dixit; *Accipite Spiritum ſanctum: quorum peccata remiſeritis* (ſine ulla publici vel privati loci limitatione) *remittuntur ijs*; *quorum retinueritis*, (ſine ulla publici vel privati loci determinatione) *retenta ſunt.* Quare etſi reliqui fideles, ut monet Apoſtolus (1. Theſſ. 5.) *ſe mutuò hortentur & ædificent* hiſtoricâ & (ut ſignificantiùs loquamur) narrativâ promiſſionum Evangelij commemoratione, ex communi officio charitatis peractâ: tamen ſoli Presbyteri, ſive publicè ſive privatim, miniſteriali poteſtate ex ſpeciali à Deo vocatione iis donatâ, & peculiari promiſſione

a *Ligandi atque ſolvendi poteſtas, quamvis ſoli Petro data videatur a Domino; tamen & cæteris Apoſtolis datur, nec non etiam nunc in Epiſcopis & in Presbyteris, omni Eccleſiæ.* Rabanus in Catena Aquinatis ad 16. Matth. & Rabano accedit Hadrianus in quartum Senten. *De clave Miniſterii dictum eſt Petro, Tibi dabo Claves, & in Petro, omnibus ſacerdotibus, quibus in Ordinatione datur Spiritus ſanctus, ut quorum remiſerint, &c.*

promissione de ejus rectè administratæ efficacia, stabilita; peccatorum remissionem denuntiare possunt. Et quamvis (ut præcipit Apostolus Heb. 5.) *nemo sibi hunc honorem*, hanc potestatem *sibi assumat, nisi vocatus fuerit a Deo*; nihilominus illam Presbyteri recipiunt à Deo non immediatè, sed ministerio hominum, quos (vt ex perpetua Christianæ Ecclesiæ traditione liquet) constituerunt Apostoli ad eam communicandam, manuum impositione, & ipsis Christi aut paris significationis verbis; *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* Sed sine præeunte Christi insufflatu, ut istos hujus potestatis conferēdæ sub Christo ministros, non cum Christo authores esse patefacerent. Atque hi Presbyterialis potestatis in Ecclesia propagandæ Ministri, per mille quingentos annos fuere Episcopi. Nam in Ecclesiasticis tot annorum monumentis, tantū apud Epiphanium hæresi 69. unum legimus Coluthum Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyterum, ab Episcopo suo temerè deficientem, Presbyteros quosdam, cùm non esset Episcopus, sed tantum Presbyter, ordinasse; qui ilicò (referente secundâ Athanasii Apologiâ) *in generali Concilio apud Hosium reliquosque Episcopos appellatus, iussus est se pro Presbytero sicut anteà gerere, & quotquot ab eo ordinati erant, ad priorem statum retracti sunt.* Immò quia quidam Episcopus oculorum dolore laborans, in ordinandis Presbyteris & Diaconis iis tantùm manus imposuit, & adstanti Presbytero imperavit, ut ordinationis verba legeret; Concilium Hispalense secundum canone 5. decrevit, *Vt, qui ab eo non consecrationis titulum sed ignominiæ elogium perceperunt, à gradu Sacerdotalis vel Levitici ordinis quem peruersè adepti sunt, depositi æquo iudicio abiiciantur. Tales enim meritò* (inquit canon) *iudicati sunt removendi, quia pravè inuenti sunt constituti.* Quare hodie in Ecclesia Anglicana venerandam antiquitatem quà potest per dispares temporum conditiones imitante, soli Episcopi his verbis, *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* Presbyteros creant; licèt unà cum iis Decani, Cathedralium Ecclesiarum Præbendarii & Archidiaconi, ad tam sacro-sanctam & publicam actionem communibus votis promovendam, manus quoque imponant. Locus verò & tempus quibus adeò sacer ritus celebratur, sunt ei admodum consentanea. Ecclesiæ enim Anglicanæ constitutionibus locus Presbyteris aut Diaconis ordinandis dicatus, est *Ecclesia Cathedralis, vel Parochialis, vbi Episcopus commoratur*: tempus, *Dies Dominici immediatè sequentes ieiunia quatuor temporum vulgò Septimanas Cinerum, ad preces & ieiunia in solemnibus Ministrorum ordinationibus antiquitus institutas, atque in Ecclesia Anglicana hodie continuatas.* Verum quia Diuus Paulus (1. 5.) Timotheum & in eo omnes Episcopos seriò admonet; *ne manus cito* [a] *cuiquam imponant, neque communicent*

[a] *Quid sibi vult* (inquit Chrysost.) *citò id est, non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia: sed ubi consideratio diuturna præcesserit, exactissimaq; discussio, tum tandē imponatur manus. Neque enim ea res periculo caret: eorum enim qua ille* malè ordinatus *peccavit, tu quoq; pœnam dabis, quia initium dedisti etiam præcedentium delictorum.* Quomodo præcedentium delictorum? Explicat Theophylactus: *præteritorum peccatorum es reus, quòd ea neglexeris, ac tenebras fecisti lucem, nec dimisisti eum, ut lugeret & commissa plangeret.*

communicent peccatis alienis. Vlteriùs nostræ Ecclesiæ canones præcipiunt; ut *Episcopus priusquam cuilibet ordinando manus imponat, diligenti eum examine excutiat ac exploret præsentibus ijsdem Ministris, quos velit in impositione manuum sibi assistere.* Hujus autem examinis hic canon, hæc amussis est: *Nullus Episcopus in sacros ordines quenquam de cætero cooptabit, nisi qui ex sua ipsius Diœcesi fuerit, vel ex altera nostratium Academiarum prodierit, vel literas* (quas vocant) *dimissorias attulerit ab Episcopo, de cuius iurisdictione existit; & nisi 23. si Diaconus fieri expetit, et si Presbyter 24. ætatis suæ annum iam compleverit; ac etiam in altera dictarum Academiarum gradum aliquem Scholasticum susceperit; vel saltem nisi rationem fidei suæ iuxta Articulos Religionis in Synodo Episcoporum & Cleri ann. 1562. approbatos, Latino sermone reddere possit, & eandem Scripturæ testimonijs corroborare; ac ulteriùs de vita sua laudabili, & morum integritate literas testimoniales exhibuerit, sub sigillo alicuius Collegij Cantabrigiensis aut Oxoniensis ubi anteà moram fecerat, vel certè trium aut quatuor gravium Ministrorum, unà cum subscriptione & testimonio aliorum probabilium & fide dignorum hominum, quibùs eiusdem vita & mores per proximum triennium fuerint explorati: Denique nisi prius tribus articulis, primo de supremâ Regis authoritate in personas & causas Ecclesiasticas, secundo de approbanda forma publicæ Liturgiæ, ordinandi Diaconos, Presbyteros, Episcopos, quòd non sint Dei verbo contraria; tertio de articulis religionis, quibus Archiepiscopi, Episcopi utriusque Provinciæ, ac totus Clerus Synodo Londinensi ann. 1562. consenserunt, quòd Dei verbo sint consentanei, lubens, & ex animo subscripserit. Quòd si quis Episcopus in sacros ordines quempiam sine prædictis qualitatibus, aut iusto* (ut supra) *examine cooptârit; per Provinciæ suæ Archiepiscopum ea de re certiorem factum, (assidente vno alio Episcopo) ab omni ordines conferendi potestate in integrum biennium secludetur.* Atque ita habemus externam Presbyterorum vocationem ad suum ministerium. Vocatio, quæ est ad certum ministerii locum, vt ad *Rectoriam* vel *Vicariam*, ordine sequitur.

A quibus, aut quo modo, Presbyteri in definitum, quo munus suum obeant, locum eligantur, nullum in sacris Scripturis præceptum extat, immò nec exemplum. Nam Presbyteri, quos (Actor. 14) Paulus & Barnabas per Lystrę, Iconii, Antiochiæ Ecclesias perhibentur χειροτονεῖν; non creati fuerunt populi suffragiis, sed impositione manuum tantum ordinati. χειροτονία enim significat passim in Ecclesiasticis scriptoribus manuum impositionem, quâ sacri ordines conferuntur. Chrysostomus in hæc verba de Diaconis Act. 6. καὶ προσευξάμενοι ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας, *Et cum precati essent imposuerunt eis manus*; ita scribit ἐχειροτονήθησαν διὰ προσευχῆς. τοῦτο γὰρ ἡ χειροτονία, *Manus impositæ sunt cum precibus: hoc est enim* χειροτονία. Hinc Presbyterorum electiones ad designata loca, quibus officio suo fungerentur, in primæva Ecclesia admodum variæ extiterunt.

Quan-

Quandoque enim factæ ſunt ſine populi ſuffragiis, ſicut Frumentius, teſte Ruffino (lib. 10. hiſt. cap. 9.) ab Athanaſio creatus eſt Epiſcopus Indorum, ipſis Indis nihil ea de re cogitantibus: & Concilio Laodiceno à ſexta Synodo Oecumenica approbato, canon. 13. decernitur; *non permittendas eſſe turbis ſeu populo electiones eorum qui in Sacerdotio conſtituendi ſunt.* Nonnunquam eligebantur per populum vel Epiſcopum: Hieronymus enim ad Ruſticum Monachum ſcribens, *Cum ad perfectam ætatem perveneris, & te vel populus vel Pontifex civitatis in Clerum elegerit*; non obſcurè innuit ſua ætate alios in clerum ab Epiſcopo aſſumptos fuiſſe ſine populo, alios à populo oblatos Epiſcopo ut in Clerum coopta-rentur. Aliquando (ut ex Concilij Carthaginenſis 3. can. 22. conſtat) populo tantum præſente eligebantur, ut contra eligendi vitam & mores exciperet; qui fere mos hodie in noſtris ordinationibus obſervatur. Sepe etiam & à Clero, & populi duntaxat primoribus, cum novella Conſtitut. 123. leges Imperatoriæ jubeant, *Clericos & Primates civitatis convenire, & propoſitis iis ſacroſanctis Euangeliis, decreta facere de tribus perſonis, è quibus melior arbitrio ordinantis eligatur.* Tandem, cum hominum pietas paululum deferveſceret, quò Eccleſias, quę ad huc multis defuerunt villis & oppidulis, alacriùs ædificarent, illarum fundatores, Concil. Toletan. 9. canon. 2. jus habuerunt, *Rectores idoneos in iiſdem Baſilicis offerendi Epiſcopo ordinandos.* Et ab hac Eccleſiarum conſtructione, præterea etiam fundatione quando Eccleſiæ extruendæ prædium relinquebatur, & dotatione cum miniſtris Eccleſiæ alendis neceſſaria fuerint conſtituta, manavit (ut ipſi jurium noſtrorum municipalium libri teſtantur) *ius* (quod vocant) *patronatûs* in Eccleſia Anglicana; in qua, hoc jure potiti, Preſbyteros exhibent Epiſcopis in *Rectorias* & *Vicarias* inſtituendos: quod tamen Epiſcopi juxta canones nequeunt præſtare, niſi priùs Presbyter exhibitus ſeu præſentatus, *literas ſuæ Ordinationis iis oſtenderit, de morum honeſtate vitæq; probabili congruum teſtimonium exhibuerit, debitè examinatus miniſterio ſuo dignus inventus fuerit, ſolenni iure eiurando Simoniæ ſuſpicionem averterit, & tribus demum articulis ſuprà recitatis ſubſcripſerit.* Et quò Epiſcopi majori accuratione & vigilantia, hæc omnia in externa Presbyterorum vocatione, tum ad miniſterium, tum ad locum, quo exercetur miniſterium, exequantur; *quolibet anno ad feſtum Sancti Michaelis Archangeli, vel intra ſex hebdomadas idem feſtum ſubſequentes, unuſquiſque Epiſcopus tenetur numerum, nomina, gradus & qualitates eorum omnium quos in ſacros ordines vel ad aliqua beneficia eodem anno præcedenti promoverit, ad Archiepiſcopum tranſmittere.* Iam Presbyterorum poſtquam ita Epiſcopi Inſtitutione ad *Rectoriæ* vel *Vicariæ* titulum, deinde Archidiaconi inductione ad alterutrius poſſeſſionem admiſſi fuerint; hæc eorum munera ſunt & officia: Verbum ſyncerè prædicare (ſi Epiſcopi authoritate ad concionandum fuerint approbati) per ſingulos dies Domini-

cos in Eccleſiis ſuis vel vicinarum aliquâ Miniſtro concionatore deſtitutâ; legere omni die Dominico (ſi ad concionandum non fuerint approbati) homilias publica authoritate præſcriptas, cùm in ipſorum Eccleſiis deficiet concio, quæ ut ſingulis menſibus habeatur per concionatorẽ legitimè approbatum, tenẽtur procurare; adminiſtrare Sacramentum Baptiſmi, in quo pueros cœnæ Dominicæ incapaces pro ſuſceptoribus admittere, & quem, ſi infans ſit infirmus aut in mortis periculo, differre prohibentur; adminiſtrare Sacramentum Euchariſtiæ, & ab ejus perceptione, extraneos, in genua non inclinatos, manifeſtè infames aliquo ſcelere, & in eo impœnitenter viventes, cum proximis ſuis malitioſè contentioſos, œconomos & teſtes Synodales in criminibus Ordinario retegendis nefariè perjuros, ſchiſmaticos Anglicanę Eccleſię doctrinam aut diſciplinam aperte calumniantes, repellere donec reſipuerint; Liturgiam, ad rubricarum in ea præſcriptum diebus ſacris, & in eadem Litaniam diebus Mercurii & Veneris, diſtinctè & cum debita reverentia recitare; diebus Dominicis, & feſtis ante preces Veſpertinas ad ſemihoræ ſpatium vel ampliùs, iuventutem & rudiorem plebem examinare, & inſtruere in Catechiſmo qui in libro Communium precum extat; diebus Dominicis tempore divinorum, feſtos, vigilias, dies carnis-priviales in ſequentem ſeptimanam incidentes populo denunciare; matrimonium celebrare, gratias agere à puerperio, ægrotantes ſedulò viſitare & conſolari, defunctos ſepelire; in his ferè omnibus peragendis congruo ſuperpelliceo, & caputiis, ſi gradum aliquem in Academia ſuſceperint, indui; baptizatorum, nubentium, ſepultorum, regiſtrum conſervare; Pontificios noſtris ſacris intereſſe recuſantes, & alios ſententiâ excommunicationis ob inſignem contumaciam vel graviora ſcelera obſtrictos, ſingulis ſex menſibus ſequentibus, die aliquo Dominico, tempore divinorum pro excommunicatis denunciare: Denique omnes Pontificios, cujuſcunque ſexus, vel ætatis ultra tredecim annos, qui Sacramenti participes eſſe, vel noſtris publicis precibus intereſſe renuerint (obſervato inter eos diſcrimine,) in ſuis parochiis ut inquilinos vel hoſpites commorantes, eorumque vera nomina vel quæ aliâs pro tempore uſurpant exquirere, in ſcriptum referre, illudque ante feſtum Natiuitatis ſuis Ordinariis fideliter exhibere. Et ultra hæc omnia, Preſbyteri docti & magis exercitati, frequentiùs habent conciones funebres, baptiſmales, nuptiales; conciones in Epiſcoporum viſitationibus & conſecrationibus, Diaconorum & Presbyterorum ordinationibus, inferiorum Magiſtratuum electionibus, coram Regis Iudicibus & Iuſticiariis pro tribunali ſeſſuris, ad celebrandum diem, quo Rex regnum ſuum auſpicatus inauguratus ſeu coronatus eſt, ad commemorandam liberationem Regis aut Regni à publicis & graviſſimis periculis, graſſante peſte & fame, in ſchiſmaticorum & hæreticorum libris publicè com-

comburendis, ad inſignes ſchiſmaticos (cùm in eos Epiſcopi ſolennem ſententiam (vt loquuntur) condemnatoriam ſint laturi) redarguendos, & refutandos; aut quando aliæ iſtiuſmodi occaſiones obvenerint: quas ideò percenſemus, vt qui in Academiis ſacro Miniſterio ſe conſecrant, quàm grave ſit onus præſentiant, & ad illud obeundum accedant vndique paratiores. Atque ad hunc Presbyterorum ordinem in Eccleſia Anglicana, Diaconorum ordo [a] gradus eſt & veluti præparatio. Nam vtcunque in prima Diaconorum inſtitutione (Actor. 6.) eorum officium quo maximè tenebantur occupati, erat miniſtrare menſis, & diſtribure eleemoſynas Hieroſolymis; dum ibi erat bonorum communio, & Diaconorum oeconomiæ omnes ſuas facultates commiſerat credentium multitudo (qua de cauſa tunc temporis eorum quoque electio multitudini permiſſa eſt:) illos tamen verbum prædicaſſe & baptizaſſe teſtatur Philippus, qui [b] Diaconus (Actor. 8.) (priuſquam eſſet Euangeliſta, Act. 21) *Prædicabat Chriſtum, & credentes baptizabat.* Cujus veſtigiis inſtiterunt proximorum ſeculorum Diaconi, quos ſimiliter prædicaſſe & baptizaſſe, teſtes ſunt Patres antiquiſſimi, [c] Origenes & [d] Tertullianus. His enim quandoque Diaconi functi ſunt miniſteriis, muneris in quo illa ætate præcipuè verſabantur, ornandi causâ, & quò maiori fide & religione illud adminiſtrarent; cùm hujuſmodi quaſi ſymbolis admonerentur, non eſſe civilem & merè politicam villicationem quam gererent, ſed ſacram & Deo dicatam: & hinc etiam Apoſtoli (Actor. 6.) *adhibitis precibus, ijs manus impoſuerunt.* Veruntamen (vt ex Nicæni Concilii 1. can. 19. liquet) *non habuerunt poteſtatem offerendi*, ſeu gratiarum actione elementa Euchariſtica conſecrandi; licet (quemadmodum Apologiâ ſecundâ tradidit Iuſtinus Martyr) *dederint vnicuique eorum qui adfuerunt percipiendum panem & vinum & aquam*, quæ prius per Presbyteros *gratiarum actione conſecrata ſunt.* Breuiigitur, Diaconorum (qui ſæpe in novo Teſtamento, quia (Actor. 6.) oportebat eos *ſpiritu ſancto & ſapientia plenos eſſe*,

[a] Pref-

a D. Paulus (1. Tim. 3. 13) ſic alloquitur Diaconos: *Qui benè miniſtrauerint, gradum bonum ſibi acquirent*, hoc eſt, gradum Diaconatu ſuperiorem. More enim Hebræo poſuit poſitivum Apoſtolus pro comparatiuo, bonum gradum pro meliori. Cui interpretationi ſuffragatur in hunc locum Ambroſius, dicens; *Poterunt digni fieri Sacerdotio*: ita ut hæc promiſſio ſit ſtimulus ad benè miniſtrandum in Diaconatu, ad gradum Presbyteratûs tanquam pietatis & virtutis præmium conſequendum.

b *Non quidem Apoſtolus, quemadmodum vnanimi conſenſu veteres Eccleſiæ ſcriptores teſtantur, Epiphanius maximè de Simone & Simoniacis ſcribens. Licèt enim Diaconorum partes eſſent, communium Eccleſiæ opum, & pauperum curam gerere: ſimul tamen illis permiſſum erat Euangelij prædicationem ſuſcipere, ſi quando neceſſitas ita poſtularet, quod in Stephani exemplo hucuſque vidimus.* Gualt. in Act. Apoſt. cap. 8. hom 56.

c *Omnes Presbyteri & Diaconi eruditionis, & erudientes adhibens correptionem, & verbis auſteritatibus increpans.* Origines homil. 1. in Pſal. 37.

d *Dandi Baptiſmum in habet ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi authoritate propter Eccleſiæ honorem.* Tertul. de Baptiſmo.

[a] Vt Actor. 14.23. *Cum ordinassent per singulas Ecclesias Presbyteros id est* (inquit Theod. Beza) *Pastores, Diaconos, & alios Ecclesiæ gubernationi Præfectos: hîc enim vt alibi sæpe generaliter accipitur Presbyteri nomen.* Act. 15.23. vbi Lucas Ecclesiam Hierosolymis, in qua (Act. 6.) Diaconi constituti sunt, in tres ordines, *Apostolos, Presbyteros, Fratres* distribuens, Diaconos Presbyterorum ordine necesse est complectatur. 1. Tim. 5. 16. Ibi enim *Presbyteri*, id est Diaconi, *qui bene præsunt* in bonorum Ecclesiasticorum Oeconomia, *duplici honore*, hoc est, (inquit Chrysost.) *reverentia & subsidio rerum necessariarum digni* perhibentur: *maximè Presbyteri*, qui non ut Diaconi pauperum & bonorum Ecclesiasticorum curis distracti, *in sermone & doctrina πονοῦντες* sunt, quandoque laborantes, sed *κοπιῶντες* tempestiuè & intempestiuè desudantes. Nam (ut rectè annotat Theodorus Beza in 11. Matth. 28.) plus est *κοπᾶν*, quam *πονεῖν*, si propriam utriusque significationem spectemus: sicut etiam apud Latinos plusculum declarat fatigatum esse, quàm laborare.

[a] Presbyterorum nomine intelliguntur,) officium erat obventionũ Ecclesiæ & pauperum curam gerere, baptizare, concionari, (si iis hoc ab Apostolis & Episcopis permissum fuerit) & ferre opem Presbyteris in Eucharistia administranda: quæ fere omnia Diaconi hodie in Ecclesia Anglicana exequuntur. Sed cum teste Concilio Gangrensi, can. 6. & 7. *ex oblationibus fructuum*, & Chalcedonensi canon. 23. *ex agrorum fructibus*, Ecclesiæ reditus valde excreverant; ut Diaconi Presbyteris Sacramenta dispensantibus, ac aliis suis muneribus magis spiritualibus liberius inservirent: onus curandi obventiones Ecclesiasticas in Oeconomos rejectum est. Vnde Concilium Chalcedonense canone citato decrevit; ut *omnis Ecclesia Episcopum habens, haberet etiam Oeconomũ de Clero proprio, qui dispenset res Ecclesiasticas secundùm sententiam proprij Episcopi.* Ad cujus canonis ferè præscriptum, nostræ quoq; Ecclesiæ Oeconomi, (qui vnanimi, si fieri possit, Parochianorum & Ministri cõsensu quotannis in Paschali hebdomada eligendi sunt) reditus Ecclesiæ cogunt, lege experiuntur ad illos vi detentos redimendos, horum tum acceptorum tum expensorum in Ecclesiæ vsum, veram & accuratam rationem Ministro & Parochianis reddunt, maceriam Cœmeterij, navem Templi, e, usque ornamenta & reliquam supellectilem, ut libros, Eucharisticam mensam, calicem, patinam, eleemosynarum cistam, publicis parochiæ sumptibus sarta tecta & decora tuentur; parant etiam panem & vinum in S. cœnam, tempore divinorum collectionem peragunt pro pauperibus extraneis, & contributiones operibus publicis insumendas denunciant. Præterea, more Ecclesiasticorum *Visitatorum*, (quorum meminit Gregorius Magnus lib. 3. epist. 2.) inquirunt nequiter viventes, eosque admonent, magis scandalosos Episcopo qualibet triennali visitatione, & bis annuatim necessariò deferunt: in quibus occupationibus, Testes quoque Synodales iis diligenter opitulantur. Denique navant operam vna cum Ministro, custodiendo Baptismorum, Nuptiarum & Sepulturarum indici, prospiciendo præterea nequis absque facultate legitima sese ingerat ad concionandum, & ut omnes Parochiani (quo etiam munere Testes Synodales Oeconomis sunt adminiculo) Ecclesias suas diebus Dominicis & festivis debitè frequentent, atque i, sdem per integrum rei sacræ tempus, cum silentio & decoro intersint.

Hujus-

Hujuſmodi ſunt munera Oeconomorum & Teſtium Synodalium, quibus ultimo in loco ſuccedunt *Aeditui*, antiquis oſtiariis, Concilii Laodiceni canon. 23. inter ordines Eccleſiaſticos enumeratis admodum ſimiles; qui ſecundùm noſtræ Eccleſiæ Conſtitutiones debent eſſe ad minus viginti annos nati, vitæ probitate, & idonea legendi, ſcribendi & cantandi ſcientiâ præditi, quò Eccleſiæ Miniſtris (penes quos jus eſt eos eligendi) & Oeconomis munia ſua obeuntibus commodiùs quandoque famulentur. Atque ita omnes Eccleſiæ Anglicanæ gubernatores, Rectores, Miniſtros, eorumque ordinationes, poteſtatem, officia, ſtrictim percurrimus: Leges vero & Conſtitutiones ad quarum amuſſim cuncta hæc diriguntur, ut plurimùm condunturin Synodis provincialibus vel nationalibus, quas proximo capite habemus delineatas.

De Anglicanæ Eccleſiæ Synodis nationalibus & provincialibus.

CAP. XI.

TAmetſi Gregorius Epiſcopus Nazianzenus, Epiſt. 42. ad Procopium, ſuâ ætate, propter hominum pravitatem (turbulentiſſimis enim Eccleſiæ temporibus vixit, quibus in Oriente Valentis Imperatoris à Catholica fide alieni auxilio, Hæretici plurimùm valuerunt) *ſe nullius unquam Synodi bonum & felicem exitum vidiſſe*, profiteretur: tamen ad difficiles in fide quæſtiones diſcutiendas, tollendos abuſus, eutaxiam & legitimum in diſciplina ordinem conſtituendum, pacem & publicam concordiam fovendam, *Conciliorum in Eccleſia Dei ſaluberrimam eſſe authoritatem*, epiſt. 118. veriſſimè dixit Auguſtinus. Sic Concilii Conſtantinopolitani primi authoritate, controverſia de S. Spiritus divinitate à Macedonio mota, dirempta eſt: Ancyrani Concilii canonibus, *apoſtatæ, laſcivi, adulteri, divinatores, magi* ſeveriſſimè caſtigati ſunt: Synodus Gangrenſis Nicæno primo quaſi contemporanea, compeſcuit contemptum publicorum *conventuum in domo Dei, privatas conciones extra Eccleſiam* ſuſtulit: Oecumenica Synodus Chalcedonenſis præſentiâ 630. Patrum ornata, tumultus in Eccleſia ab Eutychianis manantes feliciſſimè ſedavit. Et hi Conciliorum legitimè coactorum & ritè ordinatorum fuere fines, ad quos ut plurimùm collimârunt. Concilia autem legitimè dicimus coacta, quæ, poſtquam Politici Magiſtratus evaſere Chriſtiani & *Eccleſiæ Nutrii*, illorum authoritate ſunt congregata; ritè ordinata, quæ veris & genuinis ſuis ad deliberandum & definiendum membris conſtabant. Etenim cum pii Principes ſub veteri Teſtamento in *Chriſtum incarnandum* credentes, (ut David

1. Chron.

1. Chron. 15. Ezechias 2. Chron. 29. Nehemias. Nehem. 7.) Conventus Sacerdotum ad peragenda Iehovæ negotia coegerint; & ipse Christus novam convocandi Ecclesiasticos congressus viam minimè instituerit, sed tantum iis S. Spiritûs sui præsentiam (Matth. 18.) promiserit: Reges & Principes sub novo Testamento in *Christum iam incarnatum* fidentes, eandem potestatem maximo Ecclesiæ bono exercuerunt. Primi generalis Concilii Nicæni Patres (vt ex Synodicâ eorum epistolâ apud Socratem lib. 1. cap. 9. ad Ecclesiam Alexandrinam, liquet) Imperatoris Constantini jussu convenerunt. Nec posteà Christiani Imperatores huic potestati renunciarunt: nonne quarta Oecumenica Synodus Chalcedone celebrata, sicut in ipsius limine indicatur, coacta est *ex decreto piissimorum & fidelissimorum Imperatorum, Valentiniani & Martiani*? A generalibus Conciliis ad Nationalia, & Provincialia descendamus. Sardicense, teste Theodoreto lib. 2. c. 8. a Constante; Aquilienſe cui interfuit Ambrosius, narrante ipso Concilio, à Theodosio; Thessalonicense, ut constat ex Synodica 453. à Gratiano indicta sunt. Et licèt antiquitùs Metropolitani, postquam Imperatores Christo se dederunt, Provinciales Synodos sæpius vocarint; hoc non tam suâ fecerunt quàm [a] Imperatoria potestate, qua Concilium Nicænum primum, & Chalcedonense stabilita sunt. Hujus enim canon. 18. & illius [b] 5. (qui unà cum reliquis utriusque Concilii canonibus, aut à [c] Constantino, aut à Valentiniano, & [d] Martiano Imperatoribus confirmati sunt) statuerunt, *Vniuscuiusque Provincia Episcopos debere convenire, ubi Metropolitanus Episcopus probaverit.* Qui penè mos obtinuit in Ecclesia Anglicana, cujus hodie Archiepiscopi ad nutum Regium, Nationales aut Provinciales Synodos solent indicere.

Quænam igitur sint Concilia legitimè congregata intelligimus; vera & genuina eorum membra sunt Ecclesiæ Pastores, Episcopi & Presbyteri. Cùm nascente Ecclesia, gravis de ceremonialis legis observatione exorta esset controversia, *Apostoli* (quibus vult Hieronymus in epist. ad Marcellum Episcopos peculiari jure succedere.) & *Presbyteri* Actor. 15. *Hierosolymis congregati sunt, ut disficerent de hacre: tota enim Ecclesia & Fratres*, qui (v. 22. & 23.) ab Apostolis & Presbyteris secernũtur,

a Nam si quis excipiat quasdam Provinciales Synodos, ut Ancyranam & Neocæsarienſem post libertatem religionis Constantini edictis Ecclesiæ concessam, absque Constantini jussione fuisse coactas; concedimus absque particulari & expressa, sed non tacita & generali jussione: quia cum Constantinus vel alii Christiani Imperatores religionis libertatem Ecclesiæ concesserunt; simul jus celebrandi quotidianas synaxes, & cogendi Synodos, a quibus in quotidianis synaxibus eutaxia conservaretur, tribuerunt.

b Hic Canon quintus Concilii Nicæni statuit, ut bis in anno Synodi fiant Provinciales: sed quorum consensu Concilium Antiochenum Nicæno quindecim annis posterius, explicat canon. 20. *Nullis vero licuit per se Synodos celebrare sine iis, quibus Metropoles credita sunt.*

c Imperator Constantinus. (ut refert Eusebius lib. 3. de vita Constantini. cap. 22.) *Decreta* Nicæni Concilii *sigillo suo confirmavit.*

d Hujus Chalcedonensis Concilii Patres (teste Euagrio lib. 2. cap. 4.) sua decreta condiderunt cum hac conditione, *si ista sanctissimo nostro Domino* (hoc est Imperatori) *placuerint.*

tur, huic primo Christianæ Ecclesiæ Concilio sponte adfuerunt, non tam ut *dispicerent de hac re*, quàm ut animi sui dubia Apostolis & Presbyteris *dispicienda* proponerent; horumque publico [a]judicio, propter sacrosanctam eorum vocationem & quia Ecclesiæ erant Pastores, aliis præscribente, in privatis suis judiciis, (quibus singuli quà Ecclesiæ oues, tantum sibi præscribere potuerunt) dirigerentur. Hinc, etsi (v. 22. & 23.) *tota Ecclesia ac fratres* una cum Apostolis & Presbyteris in Concilio Hierosolymitano congregatis, miserunt *delectos viros Antiochiam*, & in Epistola horum manibus tradendâ suum consensum, ad pleniorem concordiam testandam apposuerint; hujus tamen Concilii dogmata non *totius Ecclesiæ & fratrum*, sed Apostolorum & Presbyterorum sententiis definita sunt: cum (Actor. 16. 4.) non *fratrum* aut *Ecclesiæ*, sed *Apostolorum & Presbyterorum qui Hierosolymis erant*, *Decreta* appellentur. Et huic primo Christianæ Ecclesiæ Concilio, quæ sequuta sunt, in definiendis religionis controversiis & sacris Canonibus decernendis, tanquam suo prototypo simillima extiterunt. Nam quamvis ad illa quidam ex [b]plebe accesserint, ut (teste Rufino lib. 1. Eccles. hist. c. 3.) in Niceno Concilio ad differendũ plurimi, quidam etiam pij ad testãdum suum zelum & fidem confirmandam; è quorum numero fuit *Confessor* ille *homo simplex* (apud Sozomen. lib. 1. cap. 17.) qui in eodem Concilio divinis eloquiis, *Philosophum obstupefecit*: vltronei tamen hi omnes advenerunt, neque in Conciliis, decisivum suffragium habuerunt. Nam apud Sozomen. lib. 1. cap. 16. Constantinus scribit ad *Ecclesiarum Præsides*, & non ad quempiam ex plebe, ut ad diem præstitutum, Nicææ adsint. Et in generalibus Conciliis sæpius [c]soli Episcopi (non quòd non liceret Presbyteris, ut somniant Romanenses, in his habere suffragia decisiva; sed quòd ad vitandam ingentis multitudinis ataxiam non expediret;) & in Provincialibus tantum Episcopi, Presbyteri, & quandoque Diaconi (sicut in Romano Concilio contra Novatum apud Eusebium

a Christus omnes pastores in suos greges constituit *Patres* (1. Cor. 4.) *Speculatores* (Ezech. 3.) *Doctores* (Ephes. 4.) *Episcopos*, seu Superintendentes (Act. 20.) *Ductores & Præfectos* (Heb. 13.) ad illos instruendos, regendos, dirigendos in via salutis. Quam potestatem Christus seorsim iis dedit in Diœcesanas & parochiales suas Ecclesias, eandem in Synodis congregati in totam Ecclesiam retineant est necesse; præsertim cùm Saluator noster (Matth. 18.) *duobus vel tribus* prælatis (vt hunc locum Chrysost. Euthym. Theophylact. interpretantur) *nomine suo coacto*, promiserit per specialem Spiritus S. assistentiam se fore *in medio eorum*. Nam vt infert Cœlestinus Epist. ad Concilium Ephesinum, *Si tam exiguus numerus Spiritu sancto non destituitur, quo modo non credemus eum multo magis in medio vestrùm esse, vbi tanta multitudo sanctorum in vnum conveniunt.*

b Dictionem [*Plebis*] ea notione accipimus, qua Concilium Carthaginense de hæreticis baptizandis, in ipso sui limine his verbis: *Cum in vnum Carthaginem convenissent Kalend. Septemb. Episcopi plurimi ex Provincia Africa, Numidia, Mauritania, cum Presbyteris & Diaconis, præsente etiam plebis maxima parte.*

c Hoc patet ex subscriptionibus generalium Conciliorum magis antiquorum, in quorum calce apponuntur Episcoporum, aut Presbyterorum qui Episcoporum erant Vicarij (qualis fuere *Vitus* seu *Victor* & *Vincentius*, qui in Nicæno primo pro Romano Episcopo subscripserunt) nomina adscripta reperiemus.

sebium lib. 6. cap. 43. Antiocheno apud eundem lib. 1. cap. 30. Elibertino, & Arelatensi secundo, testantibus horum subscriptionibus) Ecclesiastica decreta condiderunt. Et hinc in Ecclesia Anglicana primævæ Ecclesiæ vestigia premente, vocantur ad Synodos Nationales & Provinciales solùm Episcopi, Decani, Archidiaconi, & duo demum Presbyteri ex singulis Diœcesibus, totidemque ex [a] Cathedralibus Ecclesiis, in his Capitulorum, in illis communibus Parochorum suffragiis electi: à quibus cum de religionis dogmatibus vel sacris Canonibus fuerit maturè deliberatum & definitum, Regiâ authoritate censentur rata; immò nonnunquam, quò hæc placita Synodica arctiùs constringant immorigeros, post Regiam illorum confirmationem, à suprema Parliamenti Curia tanquam Regni leges promulgantur: quemadmodum Iustinianus quatuor prima Concilia Oecumenica sigillatim à diversis Imperatoribus priùs confirmata, ad horum decreta magis corroboranda sancivit Novella 131. ut *vicem legum* (nempe Imperialium) *obtinerent sacri Ecclesiastici Canones, qui à Sanctis quatuor Conciliis constituti sunt & confirmati.*

[a] Concilii Tarraconensis infra quingentos post Christum annos Tarraconę in Hispania celebrati 3. Canon est; *Epistola per fratres a Metropolitano dirigenda sunt, ut non solum à Cathedralis Ecclesiæ Presbyteris, verùm etiam de Diœcesanis ad Concilium trahant.*

TAB AFFINITATIS,
ET NTRA QVOS
ION LICET
RE.

OS.

Aff.	Nepotis ex sorore relicto.	28	Sisters daughters husband.
Aff.	Nepte vxoris ex frapote mariti ex fratre.	29	Husbands brothers sonne.
Aff.	Nepte vxoris ex sorpte mariti ex sorore.	30	Husbands sisters sonne.

Notandum est pr ro celebratione matrimonii publicè per Ministrum, rorumue locum inter clesia tribus diebus Dominicis diuersis, seu festiuis dentes in recta linea vt si quis impedimentum ad contractum rescinden-

Secundò quod c it, audiatur, & huiusmodi matrimonii celebratio ens, & dirimens, ta nterpositâ) differatur, donec appareat, vtrùm iusta quæ ex vnâ tantum ium adduci queat.

traque.

Tertiò ex mente l o & legitimo matrimonio illegitimum impedimen- um impedit, & distr it, vt idem matrimonium infirmare possit, pœnam monio contrahitur. m incurrit.

Quartò in Contra

non exprimuntur) tu radibus prohibitis matrimonium contrahere præ- intelligant, quid æqu nter hoc fecerint, non solum filii ex tali coitu suscep- tractus ineant. r, verumetiam contrahentes per Ordinarios suos

Quintò nulli Rec rium, & voluntatem pœnâ affici possunt.

parochialem Ecclesia

clesiis exemptis, seu p e Ministri inter prohibitas personas matrimoni- constitutâ à lege hui uiusmodi contractibus interesse præsumunt, ab rati Certificatorium i, siue ministerij per integrum triennium debent uersis parochiis com secundùm leges puniri.

sebium lib. 6. cap. 43. Antiocheno apud eundem lib. 1. cap. 30. Elibertino, & Arelatensi secundo, testantibus horum subscriptionibus) Ecclesiastica decreta condiderunt. Et hinc in Ecclesia Anglicana primævæ Ecclesiæ vestigia premente, vocantur ad Synodos Nationales & Provinciales solùm Episcopi, Decani, Archidiaconi, & duo demum Presbyteri ex singulis Diœcesibus, totidemque ex [a] Cathedralibus Ecclesiis, in his Capitulorum, in illis communibus Parochorum suffragiis electi: à quibus cum de religionis dogmatibus vel sacris Canonibus fuerit maturè deliberatum & definitum, Regiâ authoritate censentur rata; immò nonnunquam, quò hæc placita Synodica arctiùs constringant immorigeros, post Regiam illorum confirmationem, à suprema Parliamenti Curia tanquam Regni leges promulgantur: quemadmodum Iustinianus quatuor prima Concilia Oecumenica sigillatim à diversis Imperatoribus priùs confirmata, ad horum decreta magis corroboranda sancivit Novella 131. ut *vicem legum* (nempe Imperialium) *obtinerent sacri Ecclesiastici Canones, qui à Sanctis quatuor Conciliis constituti sunt & confirmati.*

[a] Concilii Tarraconensis infra quingentos post Christum annos Tarraconæ in Hispania celebrati 3. Canon est; *Epistola per fratres a Metropolitano dirigenda sunt, ut non solum à Cathedralis Ecclesiæ Presbyteris, verùm etiam de Diœcesanis ad Concilium trahant.*

TABVLA GRADVVM, AFFINITATIS, ET CONSANGVINITATIS INTRA QVOS IN ECCLESIA ANGLICANA NON LICET MATRIMONIVM CONTRAHERE.

ADMONITIO

Ad omnes Matrimonium contracturos.

Primò non contrahant cum personis infra nominatis, aut cum aliquibus similis Affinitatis, aut Consanguinitatis contra Dei & Regni huius leges.
Secundò non ineant clàm contractus sine Parentum, aut Tutorum consensu, & consilio, cum legum diuinarum, & humanarum violatione.
Tertiò diuortio seu separatione à Iudice ad tempus factâ inter Coniuges non nouos ineant contractus, legibus, quæ adhuc vim obtinent, hoc prohibentibus.

Viro non licet contrahere matrimonium cum		*Fœminæ non licet matrimonium contrahere cum*	
Secundus gradus in linea recta ascendente.		Secundus gradus in recta linea ascendente.	
Con. Auia.	1 *Grandmother.*	*Con.* Auuo.	1 *Grandfather.*
Aff. Aui relicta.	2 *Grandfathers wife.*	*Aff.* Auiæ relicto.	2 *Grandmothers husband.*
Aff. Prosocru, vel socru magnâ.	3 *Wives grandmother.*	*Aff.* Prosocero, vel socero magno.	3 *Husbands grandfather.*
Secundus gradus inæqualis in linea transuersa ascendente.		Secundus gradus inæqualis in linea transuersali ascendente.	
Con. Amita.	4 *Fathers sister.*	*Con.* Patruo.	4 *Fathers brother.*
Con. Matertera.	5 *Mothers sister.*	*Con.* Auunculo.	5 *Mothers brother.*
Aff. Patrui relicta.	6 *Fathers brothers wife.*	*Aff.* Amitæ relicto.	6 *Fathers sisters husband.*
Aff. Auunculi relicta.	7 *Mothers brothers wife.*	*Aff.* Materteræ relicto.	7 *Mothers sisters husband.*
Aff. Amita vxoris.	8 *Wifes fathers sister.*	*Aff.* Patruo mariti.	8 *Husbands fathers brother.*
Aff. Matertera vxoris.	9 *Wifes Mothers sister.*	*Aff.* Auunculo mariti.	9 *Husbands mothers brother.*
Primus gradus in linea recta ascendente.		Primus gradus in linea recta ascendente.	
Con. Matre.	10 *Mother.*	*Con.* Patre.	10 *Father.*
Aff. Nouerca.	11 *Stepmother.*	*Aff.* Vitrico.	11 *Stepfather.*
Aff. Socru.	12 *Wifes mother.*	*Aff.* Socero.	12 *Husbands.*
Primus gradus in linea recta descendente.		Primus gradus in linea recta descendente	
Con. Filia.	13 *Daughter.*	*Con.* Filio.	13 *Sonne.*
Aff. Priligna.	14 *Wifes daughter.*	*Aff.* Priuigno.	14 *Husbands sonne.*
Aff. Nuru.	15 *Sonnes wife.*	*Aff.* Genero.	15 *Daughters husband.*
Primus gradus æqualis in linea transuersali.		Primus gradus æqualis in linea transuersali.	
Con. Sorore.	16 *Sister.*	*Con.* Fratre.	16 *Brother.*
Aff. Sorore vxoris.	17 *Wifes sister.*	*Aff.* Leuiro.	17 *Husbands brother.*
Aff. Fratris relicta.	18 *Brothers wife.*	*Aff.* Sororis relicto.	18 *Sisters husband.*
Secundus gradus in linea recta descendente.		Secundus gradus in recta linea descendente.	
Con. Nepte ex filio.	19 *Sonnes daughter.*	*Con* Nepote ex filio.	19 *Sonnes sonne.*
Con. Nepte ex filia.	20 *Daughters daughter.*	*Con.* Nepote ex filia.	20 *Daughters sonne.*
Aff. Pronuru. i. relicta Nepotis ex filio.	21 *Sonnes sonnes wife.*	*Aff.* Progenero. i. relicto Neptis ex filio.	21 *Sonnes daughters husband.*
Aff. Pronuru. i. relicta Nepotis ex filia.	22 *Daughters sonnes wife.*	*Aff.* Progenero. i. relicto Neptis ex filia.	22 *daughters daughters husbād.*
Aff. Priuigni filia.	23 *Wifes sonnes daughter.*	*Aff.* Priuigni filio.	23 *Husbands sonnes sonne.*
Aff. Priuignæ filia.	24 *Wifes daughters daughter.*	*Aff.* Priuignæ filio.	24 *Husbands daughters sonne.*
Secundus gradus inæqualis in linea transuersali descendente.			25 *Brothers sonne.*

Con.	Sorore.	16 *Sister.*
Aff.	Sorore vxoris.	17 *Wifes ſiſter.*
Aff.	Fratris relicta.	18 *Brothers wife.*
	Secundus gradus in linea recta deſcendente.	
Con.	Nepte ex filio.	19 *Sonnes daughter.*
Con.	Nepte ex filia.	20 *Daughters daughter.*
Aff.	Pronuru. i. relicta Nepotis ex filio.	21 *Sonnes ſonnes wife.*
Aff.	Pronuru. i. relicta Nepotis ex filia.	22 *Daughters ſonnes wife.*
Aff.	Priuigni filia.	23 *Wifes ſonnes daughter.*
Aff.	Priuignæ filia.	24 *Wifes daughters daughter.*
	Secundus gradus inæqualis in linea tranſuerſali deſcendente.	
Con.	Nepte ex fratre.	25 *Brothers daughter.*
Con.	Nepte ex ſorore.	26 *Siſters daughter.*
Aff.	Nepotis ex fratre relicta.	27 *Brothers ſonnes wife.*
Aff.	Nepotis ex ſorore relicta.	28 *Siſters ſonnes wife.*
Aff.	Nepte vxoris ex fratre.	29 *Wifes brothers daughter.*
Aff.	Nepte vxoris ex ſorore.	30 *Wifes ſiſters daughter.*

	Primus gradus æqualis in linea tranſuerſali.	
Con.	Fratre.	16 *Brother.*
Aff.	Leuiro.	17 *Husbands brother.*
Aff.	Sororis relicto.	18 *Siſters husband.*
	Secundus gradus in recta linea deſcendente.	
Con	Nepote ex filio.	19 *Sonnes ſonne.*
Con.	Nepote ex filia.	20 *Daughters ſonne.*
Aff.	Progenero. i. relicto Neptis ex filio.	21 *Sonnes daughters husband.*
Aff.	Progenero. i. relicto Neptis ex filia.	22 *daughters daughters husbād.*
Aff.	Priuigni filio.	23 *Husbands ſonnes ſonne.*
Aff.	Priuignæ filio.	24 *Husbands daughters ſonne.*
	Secundus gradus inæqualis in linea tranſuerſali deſcendente.	
Con	Nepote ex fratre.	25 *Brothers ſonne.*
Con.	Nepote ex ſorore.	26 *Siſters ſonne.*
Aff.	Neptis ex fratre relicto.	27 *Brothers daughters husband.*
Aff.	Neptis ex ſorore relicto.	28 *Siſters daughters husband.*
Aff.	Leuiri filio. i. nepote mariti ex fratre.	29 *Husbands brothers ſonne.*
Aff.	Gloris filio. i. nepte mariti ex ſorore.	30 *Husbands ſiſters ſonne.*

Notandum eſt primò quod inter eas perſonas, quæ parentum, liberorumue locum interſe obtinent (hoc eſt) inter aſcendentes & deſcendentes in recta linea contrahi nuptiæ non poſſunt in infinitum.

Secundò quod conſanguinitas & affinitas matrimonium impediens, & dirimens, tam inter eas perſonas, & per eas contrahi poteſt, quæ ex vnâ tantum parte cognatæ vel affines ſunt, quàm quæ ex vtraque.

Tertiò ex mente legis conſanguinitas aut affinitas, quæ matrimonium impedit, & diſtrahit, tam ex illicito coitu, quam ex iuſto matrimonio contrahitur.

Quartò in Contractibus inter perſonas dubias (quæ in hac tabula non exprimuntur) tutiſsimum eſt, Iuriſperitos primò conſulere, vt intelligant, quid æquum, quid honeſtum, priuſquam huiuſmodi contractus ineant.

Quintò nulli Rectori, Vicario, aut Curato extra ſuam Curam, aut parochialem Eccleſiam ſiue Capellam, nec in priuatis domibus, aut Eccleſiis exemptis, ſeu priuilegiatis matrimonium celebrare licet, ſub pœnâ conſtitutâ à lege huiuſmodi matrimonium prohibente. Præterea Curati Certificatorium habere debent de contrahentibus, cùm ipſi in diuerſis parochiis commorantur.

Sextò Banna pro celebratione matrimonii publicè per Miniſtrum, ſeu Vicarium in Eccleſia tribus diebus Dominicis diuerſis, ſeu feſtiuis denunciari debent; vt ſi quis impedimentum ad contractum reſcindendum, allegare velit, audiatur, & huiuſmodi matrimonii celebratio (idoneâ cautione interpoſitâ) differatur, donec appareat, vtrùm iuſta exceptio in contrarium adduci queat.

Septimò qui iuſto & legitimo matrimonio illegitimum impedimentum malitioſè obijcit, vt idem matrimonium infirmare poſsit, pœnam à legibus præſcriptam incurrit.

Octauò qui in gradibus prohibitis matrimonium contrahere præſumunt, licèt ignoranter hoc fecerint, non ſolum filii ex tali coitu ſuſcepti illegitimi habentur, verumetiam contrahentes per Ordinarios ſuos iuxta eorum arbitrium, & voluntatem pœnâ affici poſſunt.

Nonò quicunque Miniſtri inter prohibitas perſonas matrimonium celebrare, aut huiuſmodi contractibus intereſſe præſumunt, ab executione officii ſui, ſiue miniſterij per integrum triennium debent ſuſpendi, vel aliter ſecundùm leges puniri.